BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
E
57
NAPOLI

57

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ARTIS
RECTE RATIOCINANDI
ELEMENTA

AB

ANDREA AMBROSINIO

Presbytero Congregationis S. Petri
a Cæſarano

IN GRATIAM STUDIOSÆ JUVENTUTIS

ELUCUBRATA.

B. R.
NEAPOLIS

NEAPOLI MDCCLXXIII.
EX OFFICINA PACIANA.

UTRIUSQUE FACULTATIS NUMINE.

Quid in homine proprium? RATIO: hæc perfecta, & conſummata felicitatem hominis implevit. Ergo ſi omnis res, quum bonum ſuum perficit, laudabilis eſt, & ad finem naturæ ſuæ pervenit; homini autem ſuum bonum RATIO *eſt: ſi hanc perfecit, laudabilis eſt, & finem naturæ ſuæ attigit.*

L. A. Seneca epiſt. LXXVI.

JANUARIO·MARIÆ SALVIO,

VIRO EXCELLENTISSIMO,

MARCHIONI S. ANGELI

AD SCALAM.

Andreas Ambroſinius

S. P. D.

QUum pluries mecum reputaverim, Ampliſſime Marchio, cujus munita auſpiciis mea iſthæc Opella in publicum edi poſſet; Tu, nomenque tuum mihi peropportune venit in mentem: quam quidem memoriam gaudio ſummo affeciſſe me ingenue fateor, atque animum meum valde incertum inquietumque mirifice confirmaſſe. Enimvero quum ad hæc maximo ſint in honore litteræ, atque iis excolendis ſedula per præcipuas Eu-

Europæ partes opera ſtudioſe imp[illegible]tur: nihil propterea ſcriptionis pro[illegible] commendaturque; niſi quod novit[illegible] excellentia, atque utilitate ſua lect[illegible]m animos vel torpentes in admirationem ferme abripiat. Hinc nitide liquet, quantopere validum ei præſidium ſit perneceſſarium, cui typis conſignare animus eſt, librum, nec rei novitate præſtantem, nec ſermonis elegantia præclarum; maxime ſi ejus auctor, nec famam alias apud eruditos homines magnam nactus ſit, nec alio quodam illuſtri facinore in republica litteraria innotuerit. Quæ quum ita ſe habeant, peroptime mihi, meique libelli honori conſuluiſſe ii æſtimabunt univerſi, qui Te, Marchio Excellentiſſime, tuaſque animi dotes apprime norint. Quidni? Quos enim latet, Ariſtarchos moroſiores a livida, uti ſolent, cenſura quandoque ſe cohibere; quum alicujus magni viri nomen in libri fronte inſcriptum offendant? Sive ea ad ſummum dumtaxat carpere, peſſimeque traducere, quæ re mereantur vera ſapientum virorum obtrectationes? Atque tantum aberat, ut procaces ejuſmodi hominum contumelias ipſe effugiſſem, quin male mulcatum, atque

illiberaliter proſciſſum dimiſiſſent; quippe qui homo nullius plane nominis in orbe litterario quum eſsem, opus in lucem emittere impudenter auſus fuiſsem, neque novum, neque alia ratione præclarum. Tuo igitur patrocinio ſecurus meus liber in vulgus prodibit. Tibi enim neque ſumma auctoritas, quam præ ceteris antiquus (*a*) familiæ tuæ ſplendor, nobilis tui ſanguinis nitor, graviſque oris totiuſque corporis habitudo tibi conciliat, deeſt; neque omnigena atque ſelecta eruditio: quæ quidem binæ res præfractæ quoque frontis tricones exterrere haud parum ſolent: auctoritas, inquam, qua eorum petulantia ingenia coercere ac refrenare potenter valeas; atque eruditio, qua non modo eorum objecta ventilare, ac ſtrenue exſufflare, verum etiam audacem eorum ignorantiam confundere feliciter queas. Atque, ut auctoritatem mittam, totumque illud bonorum genus, quod ita tuum eſt, ut & aliorum (*b*) eſse inficias ire nequeam,

 &

(a) Familiam Salviam ſatis antiquam eſſe, vel ex eo liqueſcit, quod Senis jam tum, quum libera viveretur Republica, ac multo ante ann. 1555. in quo Carolus v. Senenſes in ſuam ditionem redegit, viri illuſtres ab eadem ſtirpe prognati primos honores, ac ſumma dignitatis ſubſellia obtinuerint. Conſul. Hiſt. Senenſ. cl. Orlandi Malvoltii.

(b) Nam etſi magnus illi accedat ſplendor, cui Majores ſunt

& quidpiam de tua multiplici tantum doctrina attexam, quis eſt, Deus bone! qui tuam ſelectam, minimeque inficetam eruditionem verbis pro dignitate exprimere valeat? Ingenium tibi excellens eſt, in quo tanquam in pingui feracique ſolo, omnes illuſtres ſcientiæ, ingenuæque artes non ſolum excipiuntur, colliguntur que, ſed etiam ſuccreſcere in dies uberrime videntur. Ac ſtudium illud tuum bonarum litterarum ingens, cui operam dare vel a puero (*c*) in Nobilium Collegio incœpiſti, neque intermiſſum, nec paulliſper tepefactum, qui tuæ vitæ rationem novit, aſſeverare poterit: quin imo litteræ adeo tibi in amoribus ac deliciis ſunt, ut nec impendio, nec labori indulgeas, ut ex remotis etiam ac longinquis regionibus libros optimos tibi ſummo pretio conquiras, quorum lectione animum tuum eru-

di-

ſunt excellentia ac virtute præſtantes, & cum nobiliſſimis familiis affinitate copulati, uti ex tuis Pomponius Salvius vir in expediendis extricandiſque negotiis maximæ dexteritatis, ut in Conſiliarii s. Claræ munere obeundo luculenter commonſtravit; quique, atque item alii ex tuo ſanguine cum nobiliſſima gente, vel Brancacia, vel Roſſia, vel Macedonia, vel Caracciolia cognatione ſe ſe devinxerunt: tamen te jam multarum illuſtriumque familiarum propinquitate conſpicuum, ex propriis tuis bonis, dotibuſque laudandum duxi.

(c) Tuorum Majorum ingenua æmulatione percitus, ac præcipue Aſcanii Salvii, qui publicus juriſprudentiæ profeſſor Senis exſtitit; ac Virginiæ Martini Salvi clariſſimæ poetriæ; cujus quidem Carmina fuerunt Lucæ per Dominicum edita. Adeatur Diarium Senenſe Hieronymi Gilii.

ditione non vulgari pulcherrime diteſcas. Neque porro ita otioſus eſſe Tu vales, ut nihil omnino agere videaris: quod tibi datur, a moleſtioribus tui principatus, litium curis, ac fortunæ jactationibus, quarum pondere fere opprimeris, excepti ac ſubſicivi temporis, eo Tu quaſi ludibundus uteris in libris lectitandis. Quid ſi mores tuos plane aureos commendare vellem? Potuitne quiſquam bonus unquam tecum biduum agere, tuæque mirificæ ſuavitatis partem aliquam delibare, quin, ut ſibi totam vitam tecum ducere liceret, vehementiſſime exoptaverit? Ita Tu, quod rariſſimi exempli eſt, & vix paucos ejuſmodi reperies, incredibilem vitæ integritatem cum ſumma comitate & facilitate probe copulare noviſti. Sed nolo plura de tuis moribus, ne tibi faſtidium creem, adnectere; atque ut quid præterea me in eam mentem impulerit, ut Nomini tuo opus meum inſcriberem, verbis exprimam. Quum ſis ita adverſus Collegium hocce, cui nomen jandiu dedi, animo benevolo comparatus, ut nullam tibi præripi accaſionem ſinas, quin indubia hujuſce miræ benevolentiæ nobis argumenta exhibeas; atque ejus

membra vel minima amore plane paterno proſequaris: ut pro hiſce benefactis non modo tibi gratias agerem, ſed pro modulo meo omnium collegarum ferme nomine referrem, munus iſthoc tibi offerendum duxi: munus quidem, quod ſi aut ex ſua, aut ex tua dignitate ſpectabitur, perexiguum; ſi vero ex viribus meis, mediocre; ſi denique ex animi affectu, maximum erit. Quid quod volumen iſtud Artis recte ratiocinandi præcepta quum complecteretur, nulli aptius nuncupari poterat, quam tibi, cui perpauci in rite recteque ratiocinando vel de involutis negotiis pares offenduntur? Quare ſcite prudenterque me geſſiſſe conſicitur: nihilque eſt reliqui, Ampliſſime Marchio, niſi me amare, uti cœpiſti, pergas. Vale. Ex Ædibus Solitudinis s. Petri a Cæſarano III. Kal. Auguſti 1773.

ANTECESSIO.

I. Dubium mihi non eſt, quin plerique eorum, qui adeo moroſi ac delicati ſunt, ut non modo ineptis & exſuccis, verum etiam ſcitis, elegantibusque aliorum lucubrationibus ſæpe faſtidiant, conſilium hujuſce opellæ in vulgus emittendæ meum, in meliorem æquioremque partem ſint accepturi: quin imo inflatis buccis, & ſcintillantibus oculis, ſeverum induti ſupercilium clamitabunt: quouſque tandem ingenti logicarum inſtitutionum copia obruemur? quouſque eadem crambe millies recocta, nec ſale nec pipere adſperſa nobis (lautis oppido viris!) edenda exhibebitur? quouſque torcularia nulli reipublicæ litterariæ bono atque utilitati deſudabunt? quouſque nugatoriis hiſce nentis doctis ſapientibuſque hominibus nauſea ſtomachuſque creabitur? Papæ! Sed bona verba quæſo; & ne in me miſerum inauditum debacchemini, inque meum opus ſententiam temere pronuncietis, exoro.

II. Ac principio illud ſibi reſponſum habeant tricones iſti, quod dediſſe qui in eadem ſparta illuſtranda anteiverunt me, probe norunt, vel noſſe debent, quum eo tempore ejuſmodi ſcientiam, Baconis, Gaſſendi, Carteſii, Hobbeſii, Claubergii, Auctoris Artis cogitandi, Malebranchii opera & induſtria eo perfectionis jam evectam eſſe videbatur, ut nec ſplendorem, nec lumen, nec incrementum novum excipere amplius poſſe crederetur. Deinde jandiu in noſtræ juventutis ſtudioſæ commodum philoſophiæ univerſæ elementa elucubrare animus erat: at quum mihi id muneris demandatum ſentii, ut in re philoſophica opti-

me ſpei adoleſcentes inſtituerem, id oneris alacri animo ſubii, atque per annum integrum ex ore meo politioris Logicæ Inſtitutiones prælegente pendentes detinui. Quo factum eſt, ut uberrimam, nec admodum ſpernendam ſegetem domi congeſtam deprehenderem: hinc animum ſubito meum perculit conſilium eam accuratius expoliendi, atque in lucidum ordinem ac formam redigendi, juventutis erudiendæ ſtudio. Acceſſerunt amicorum calcaria, quibus & mentem aperui meam, & partas opes perluſtrandas exhibui.

III. Verum equidem animi pendebam, quum pro quadam verecundia, tum pro quodam penitus inſito publici judicii metu, magnopere veritus ne quum in vulgus emitterem opus, quod nullam novitatis ſpeciem præſe ferret, in me eruditorum hominum odium concitarem. Interea mihi quid conſilii caperem hærenti illud b. Auguſtini lib. I. de Trinit. cap. IIII. occurrit, „ Utile eſt plures a pluribus fieri libros, diverſo ſtilo,... etiam de quæſtionibus eiſdem, ut ad plurimos res ipſa perveniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic „ quod non parum animum valde ancipitem confirmavit. Atque in manus ſumens, evolvenſque cl. viri J. Facciolati elegantiſſimam Logicam in Parænesim ad juventutem logicæ artis ſtudioſam incidi, ubi præ aliis „ Per ego vos, ſcribit, deos, hominesque rogo, ne ſinatis vobis imponi, libelloſque obtrudi ſcite eleganterque ſcriptos, qui ſalutem humanæ menti afferre dicuntur, artem tradere cogitandi. Vix pauca complectuntur, quæ ad Logicum formandum pertineant: quique ſe illis per hos annos dediderunt, prima quidem facie mirifici viſi ſunt veritatis indagatores ac judices; ſed quum ad manus & pugnam res venit, riteque diſputandum fuit, tum vero apparuit, quantuli eſſent. Hinc publicæ ſtudentium concertationes, quæ more majorum inſtitutoque habentur, ſublata paſſim concertatione, in quaſdam veluti recitationes evaſere „. Hiſce igitur permotus animum ad ſcribendum appuli, ac diurna nocturnaque manu recentes juxta ac veteres de re logica ſcriptores verſare

ſare cœpi, atque apes induſtrias imitatus, quæ vagantur, & flores ad mel conficiendum idoneos carpunt; deinde quicquid attulere diſponunt, ac per tavos digerunt; & ut Virgilius cecinit:

. . . . . liquentia mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas:

Ita equidem quæ in aliorum lucubrationibus præclare excogitata, dilucide explicata viſa mihi ſunt, excerpſi, digeſſi, & operi meo intermiſcere curavi, ne quid ei deeſſet, quod ad juventutem inſtituendam apprime facere videretur.

IIII. Neque enim opus eſt, ut qui alicujus artis ſcientiæve elementa elucubrare decrevit, ea in medium proferat, quæ nemo adhuc ſcriptitarit; ſed ita oratione res proſequatur, ut nec injucundum, nec inutile opus ſuum eſſe dijudicetur. Quod quidem ab iis quoque factitatum deprehendi, qui magnum ſibi in republica litteratorum virorum nomen compararunt. Quorum alii aperte & in anteceſſum, ne eis plagiarii nota impingeretur, id præmonuerunt; alii etſi lectores ea de re monitos haud faciant, ſuis porro locis quum aliena proferunt, auctores indigitare non omittunt; alii aliorum opera invadunt expilantque, & ne auctores quidem indicare curant. Auctores novarum rerum perpauci ſunt. Invaſit plane me ingens admiratio, qui maximopere lectione Artis cogitandi oblectabar, firmum ratumque animo habebam ejus auctorem ingenii ſui fœtus, labores, meditationes, animadverſiones, inventa exhibere; quum lectitanti mihi Diſſertationem primam operi præfixam, obviam iſthæc verba venerunt: „ Exigit a nobis juſtitia, ut lectorem certiorem faciamus, conſiderationes, quas heic novas dicimus, quia in vulgaribus Logicorum ſcriptis non reperiuntur, illius omnes non eſſe, qui in hoc opere conſcribendo laboravit; ſed alias mutuatas eſſe e libris cujuſdam philoſophi, cujus magnum hoc ſæculo nomen eſt, ac in quo tantus elucet ingenii nitor, claritaſque, quanta in reliquis deprehenditur confuſio atque obſcuritas, alias vero deſumtas ex opuſculo non dum

edi-

edito cl. Paſchalii, cui nomen L' eſprit de Geometrie, Anima Geometriæ: atque hæ præcipue parte I. cap. VIIII, inveniuntur, ubi de differentia definitionum nominis, & rei diſſeritur; atque parte IIII. ubi quinque regulæ traduntur, quamvis heic fuſius explicentur, quam in illa ſcriptione originali. En vero de iis obſervanda jam occurrunt, quæ de vulgaribus Logicorum libris in hunc noſtrum translata ſunt. Primo propoſitum eſt ea omnia heic tradere, quæ revera utilia comperta ſunt; qualia habenda regulæ figurarum, nominum, ac idearum diviſiones, & quædam de propoſitionibus animadverſiones. Alia quidem parum utilia judicavimus, qualia ſunt quæ de categoriis, locisque Topicis traduntur: hæc tamen ideo non omiſimus, quia pauca ſunt, & facilia, communiterque addiſcuntur „. Et hæc capiti ſecundo partis IIII. intermiſta„ Maxima pars eorum, quæ heic de quæſtionibus dicuntur, excerpta ſunt ex ſchedis mss. Carteſii, quarum me pro ſua humanitate participem voluit Dominus Clercelierius„. Quid vero adnectam de Arte Logicocritica Ant. Genuenſis, quæ magnam auctori ſuo peperit famam? Quum in manus meas libri de re logica cl. Verneji venerunt, eoſque lectitavi, ſtatim ſentii utrumque Vernejum ſcilicet & Genuenſem eadem plane tempeſtate ſcribentes eadem ferme in ſuis lucubrationibus producere; neque id pernegat, imo fatetur Vernejus ipſe in præf. ac proinde ex fontibus eiſdem, quæ promunt, hauſiſſe palam eſt, videlicet ex Bacone, Ridigero Graveſandio, Coudworto, Malebranchio, Wolfio, Lockio, Clerico, Auctore Artis cogitandi, aliiſque. Quo ſpectant quæ congeris atque obgannis, inquit fortaſſe quiſquam? Ut nimirum auctores hoſce nihili ducamus? Minime gentium. Sed ut æquum cuique pretium ſtatuatur; atque illuſtratores non pro inventoribus obtrudantur, magna non pro maximis ingeniis venditentur, aliena non pro propriis accipiantur. At enim de illis, qui tanquam hujuſce facultatis magiſtri habentur, quid ſentis? Veritatis amore adactus pronunciare audeo, nec Lockium, nec

Wol-

Wolfium, nec Malebranchium, nec Clericum &c. ex ſuo penu omnia quæ afferunt, depromſiſſe, ſed quæ ex aliorum ſcriptionibus edidicerunt, nobis propinare, novis dumtaxat coloribus depicta, novaque facie adornata. Quid muſſitas? Latet fortaſſe te in more poſitum eſſe apud tranſalpinos præſertim homines, tacitis auctorum, librorumque nominibus, veluti proprii ingenii fœtus, quæ ex aliorum ſcriptis ſurripuerunt, venditare? Videſis vol. 11. Ideæ hiſt. Ital. Litter. cap. 1. art. 3. Hyac. Gimmæ. Semina, particulas earum rerum, quæ verſant, ex antiquis extraxerunt; quod pro re nata in operis hujuſce progreſſu adverto, ac præſertim in 1. horumce elementorum libro, in quo de rebus a recentioribus philoſophis enucleatis ſermonem inſtituo, ſed antiquorum auctoritate illuſtro: hinc auctoritates Ciceronis, Senecæ, Plutarchi, aliorumque utramque pagellam faciunt. Notarunt jam id quam plures viri lyncei's oculis præditi, ut Huetius in Cenſura philoſ. Carteſ. Corſinius in 11. diſſertatione Plutarchi libro adjecta, de Placitis Philoſophorum a ſe latinitate donato, in qua plures recentiorum Philoſophorum ſententias cum illis veterum a Plutarcho relatis comparat, atque ejuſmodi inventa non hiſce, ſed illis eſſe honori vertenda jure ſummo contendit; aliique non pauci.

V. Sed eo, unde diſceſſit, redeat oratio noſtra. Opus igitur aggreſſus ſum eo animo, ut recentia ſimul & ſcholaſtica complecterer, ſed quæ in utriſque philoſophis ſelectiora, ſolidiora, ſcituque digniora mihi viſa ſunt. Recentiorum præſertim veſtigia preſſi, ſed ſcholaſtica etiam delibare oportuit ob juventutis ſtudioſæ commodum, ne alibi quærere cogeretur, quod heic habere nulla temporis jactura poſſet. Quare in id ſedulam operam navavi, lacertoſque omnes intendi, ut qui hujuſcemodi Logices Elementa apud ſe haberet, nullius plane Logicæ amplius indigeret ex iis, quas vel recentiores Philoſophi, vel politiores Scholaſtici ediderunt. Utrum ex voto mihi negotium ceſſerit, judicium apud æquos rerum æſtimatores eſto. Non ſum equidem neſcius, quam na-

tura

tura proclives ad aſſentandum nobis ſimus; ac proinde ne turpiter fallar, & fallam, ſapientes incorruptoſque cenſores quæro.

VI. Auctores porro qui ad id operis conficiendum ſymbolam ſuam contulerunt, & honoris, & grati animi cauſſa recenſere decet: atque agmen ducat Genuenſis, cujus Logica reliquis fere omnibus præſtat, cui ſuccedunt Purchotius, Corſinius, Graveſandius, Heineccius, F. a Brixia, Soria, Auctor Artis cogitandi, Muſſchenbroekius, Wolfius, Jacquierius, Vernejus, Ferrarius, Facciolatus, aliique. Quum vero de ſcholaſticis reculis verba facere oportuit, Auctorem Artis cogitandi, & Facciolotum adii, quorum alter ejusmodi res docte & ſapienter verſavit, alter vero ſcitè & eleganter. Hiſce quidem omnibus acceſſerunt ea, quæ diuturna harum rerum diſceptatione ipſe animadverti, excogitavi, deprehendi, quæ, quantulacunque ſint, ſuis collocata ſedibus invenientur. Equidem ingenue fateor ingenioli mei exilitatem: ſed me quod non parum confirmavit, id ſane fuit, poſſe videlicet hominem mediocris ingenii ea procudere majori attentione, diuturniori tempore adhibito, & tranquilliori placidiorique otio pollentem, quæ vir magno præditus ingenio, cito & mille curis diſtentus præſtat. Quanquam in re quavis nec omnia vident omnes, nec quicquam jam inventis adjicere difficile eſt.

VII. Antequam te dimittam, benevole lector, atque præfandi finem faciam, moneam te oportet quædam, ne quum in ea incurreris mihi vehementer ſubiraſcaris; ad manus ſcilicet venient tuas Logicæ P. Alterii, & Rogerii, quorum primus paucis pagellis rem logicam expedivit, alter fuſiori calamo eam eſt proſequutus: utrumque tamen in hiſtoria logicæ, quam pertexo, laudatum minime nanciſceris; quamvis uterque ille Ferrariæ, hic Neapoli opera ſua typis conſignarint, prius quam iſthoc opus publicam lucem aſpiceret: præterea lectitanti tibi num. VI. cap. III. lib. I. occurret Mazochius adhuc inter mortales agens, quum jam inenarrabili totius Europæ lit-

litterariæ luctu diem extremum ætatis 89. obierit anno 1771. menſ. Octobr. Quid ita? Libellus hic quinque ab hinc annis excudi cœperat, atque ſeptem ejus folia typico prælo jam erant commiſſa, quum incepto opere ſuperſedendum fuit. Quid enim? Nec brevis eſt, nec jucunda hiſtoria, quam quidem, ne te animi pendentem dimittam, paucis habere volo. Quum in id ſcriptionis perpoliendum, & æneis litteris commendandum incumberem, iſchiadico morbo me correptum ſentio (quem difficilimæ diuturnæque curationis eſſe norunt omnes) atque libris ex medicorum conſilio vale dicere cogor, nec non ad equitationem, & honeſta ſolatia animum convertere. Divina porro ope ad priſtinam ſanitatem reſtitutus, atque fractis viribus jam plane refectis, eo loci commigrare, ejus, qui Collegii mei frena moderabatur juſſu, adſtringor, quo nullus eſt excolendis ſtudiis ineptior; quippe quia ubi qui commorantur, tam multis & inter ſe diſcordibus muneribus implicantur, ut longe plerumque abſint ab eo otio perfruendo, quo ſi careas, litteris vacare furtim dumtaxat poſſis, & in horis ſubſicivis, non vero iiſdem penitus devoveri. Quo quidem in loco quum moram agerem, tum excitandis Chriſticolis ad virtutis amorem, morumque ſanctitatem, nec non ingenti animarum religioſarum agmini qua monitis, qua catecheſibus, proſpiciendo; tum ruſticæ rei domeſticæve curandæ ſedulam operam navare debui, & carptim tantum & millies interpellatus incœpto operi perficiendo vacare ita, ut non vice ſimplici me hujuſce ſuſcepti laboris pœnituerit, valde pertæſum tot diverticulis & intermiſſionibus. Sed quoniam id operis jam pollicitus eram, atque adeo paratum jactaveram, amicis lectitandum exhibueram, qui rumorem in vulgus ſparſerant; cum librariis & glutinatoribus impenſarum rationem iniveram, virum eruditum atque honeſtum fatigaveram, ut ſibi dicari pateretur; quid plura? ex parte jam typis excuderam: iccirco intermiſſum negotium reſumendum, ac proſequendum fuit.

VIII. Jam vero ad ſtilum quod attinet, nec ſie-

cus, nec barbarus eſt, ſed forſan inquies copioſior, quam philoſophum deceat; verum ſi acute animadverteris, me in didacticis preſſiorem, in præjudiciis vero vel enucleandis, vel carpendis fuſiorem orationem adhibuiſſe deprehenderis; quod eſt apte congruenterque dicere. Ceterum ſi quod verbum, vel liberius, vel minus caſtigatum in eos, quorum opiniones, erroreſve inſector, calamo exciderit; id nec odio, quo vacare profiteor, nec maledicentiæ, a qua vehementer animus meus abhorret, adſcribito; ſed vel nimio veritatis tuendæ amori, vel ad ſummum fervidæ juventutis ardori.

VIIII. Poſtremo antequam vale tibi dicam, amice lector, adverte quod hic, quem tibi ſiſto, liber eſt prima totius operis pars, & veluti major nata filia quæ tremebunda in publicum procedit, ne inurbane & illiberaliter ab hominibus plus forte æquo naſutis excipiatur. Eſtque Logica omnibus quidem numeris abſoluta. Altera vero pars, ſeu germana minor, majoris fortunam ſecundam (ſi ita mihi ſperare licet) proſpiciens, e ſcriniis in quibus jam deliteſcit, in vulgus prodibit alacriori cultu, hilarioríque fronte, monilibus pretioſis adornata, habitu eleganti circumveſtita; ut quæ non exſuccas & inficetas e Peripateticis ſcholis tricas, nodos, quæſtionesque nihili afferat, ſed ex amœnioribus recentis philoſophiæ hortulis fruges, & ſucci plenas ſegetes exhibeat adoleſcentibus, de rebus ad Logicam attinentibus diſceptare, ut mos eſt, cupientibus. Hæc te monenda duxi, jam me ama, & vale.

TO-

TOTIUS OPERIS SUMMA ET INDEX.

ANTECESSIO. pag. 1

PROLEGOMENA.

De Logicæ nomine, fine, muneribus, materia, partitione, neceſſitate, utilitate, jucunditate, origine, & progreſſu. pag. 1

LIBER PRIMUS.

De animi natura, atque operationibus; deque præjudiciorum fontibus in animo, in corpore, atque extra nos exſiſtentibus. 46

Cap. I. *Quid ratio, & quam neceſſaria ſit ejus cultura: Interna cogitationum noſtrarum principia, animus, & corpus. Animi ſedes, natura, operationes, cum corpore conjunctio attinguntur, atque explicantur. Quid præjudicium, error, atque ignorantia ſint, definitur.* 47

Cap. II. *De fontibus præjudiciorum, ac primum de iis, qui in intellectu inſident, ignorantia nimirum naturali, intellectus brevi capacitate, ſtupiditate, levitate, ſophiſtice, præcipitantia, attentionis defectu, & immoderata ſciendi cupidine; nec non de remediis opportunis adhibendis.* 64

Cap. III. *De præjudiciorum fontibus in voluntate exſiſtentibus, ſcilicet de naturali averſatione a labore, in voluptates propenſione, proficiendi in ſcientiis deſperatione, ſanitatis amittendæ timore, tepido veritatis amore, peſſima ſtudiorum electione, ineptis profeſſoribus, opinione falſa, pietatem cum doctrina pugnare; deque præceptionibus ad hæc omnia ſpectantibus.* 81

Cap. IIII. *De variis affectuum nominibus, finitione, natura, atque offendiculis, quæ in ferendo de rebus judicio nobis objiciunt; ac potiſſimum de amore, odio, cupiditate, iracundia, invidia, dolore, lætitia, ſpe,*

ti-

timore, ſuſpicione, errore; nec non de monitis quibuſdam ad affectus attinentibus. 98

Cap. V. *De fontibus præjudiciorum in corpore inſidentibus, nimirum de corporis inertia, temperamentorum finitione, cauſſis, diſtributione, ac natura; de phantaſiæ indole ac vi, diverſitate, atque erroribus; de viris memoria æque ac ingenio præclaris; memoria dumtaxat egregia, aut debili; de artis reminiſcendi ſcriptoribus; & canonibus horum regimini inſervientibus.* 113

Cap. VI. *De ſenſuum fidelitate; deque præjudiciis ex ipſis dimanantibus, ſcilicet ex tactu ſuper corporum gravitate, reſiſtentia, duritie, lenitate, calore, & frigore; ex guſtu; olfactu; auditu; atque ex viſu ſuper corporum magnitudine, extenſione, figura, lævitate, aſperitate, motu, velocitate, ſitu, & coloribus; nec non de monitis quibuſdam ad rem facientibus.* 136

Cap. VII. *De externis præjudiciorum fontibus a Tullio enumeratis, nimirum de puerorum contubernio cum nutricibus imperitis, ac famulis ſceleſtis; parentum incuria in filiis, & filiabus educandis; magiſtrorum moribus, & auctoritate; poetarum lectione; populi fabellis, & ineptiis; deque canonibus iſthæc reſpicientibus.* 139

Cap. VIII. *De quibuſdam aliis externis offendiculis, queis remorantur adoleſcentes, ne litteris excolantur, ac præjudicia ponant, id eſt, paupertate, divitiarum, negotiorumque copia; loco non opportuno; & munerum, honorumque defectu.* 157

LIBER SECUNDUS.

De perceptione, ideis, & vocabulis. 163

Cap. I. *De perceptionis, & ideæ definitione, natura, diſcrimine, atque ſuper ea re philoſophorum ſenſis. Hobbeſianæ, & Arnaldinæ opinionis confutatione. de idearum partitione, tum ſuæ originis, & naturæ ratione; quum ex relatione ad mentem, & objecta expenſarum.* 164

Cap.

Cap. II. *De univerſalium inventore, & de ſingulorum definitione, id eſt, generis, ſpeciei, differentiæ, proprii, & accidentis; de idearum objectis, categoriarum indole, ac numero. de ſubſtantia, ejuſque modis; de poſtprædicamentis. ubi varia oppoſitorum genera explicantur.* 179

Cap. III. *De ſigni natura, ac diviſione; de triplici cogitationum noſtrarum indice; de vocabulorum neceſſitate, uſu, atque abuſu; de regulis ad loquentes, audientes, & utroſque una ſimul ſpectantibus; de definitionis natura, ac generibus; & de diviſione, ejuſque multiplici ſpecie.* 191

LIBER TERTIUS.

De judicio, enunciatione, & arte critica. 208

Cap. I. *Judicii natura in aperto ponitur: intellectus non autem voluntatis fœtus eſſe oſtenditur: Carteſianorum difficultates enodantur. Judicii ſimplicitas demonſtratur; atque objectionibus adverſariorum reſpondetur.* 209

Cap. II. *Enunciationis natura explicatur; quæ primum ratione materiæ, vel neceſſaria, vel contingens, vel poſſibilis, vel impoſſibilis cet. eſt; deinde ratione formæ, vel ajens, vel negans eſt; tum ratione quantitatis, vel univerſalis, vel particularis, vel ſingularis, vel indefinita eſt; poſtremo ratione qualitatis, vel vera, vel falſa; & ratione modi, vel abſoluta, vel modalis eſt. Huic enunciationis diſtributioni ſubtexuntur ejus proprietates.* 215

Cap. III. *De veritate univerſim accepta, & de metaphyſica, morali, ac logica: de ſcientia, ac multiplici ejus genere: de triplici evidentiæ, & certitudinis ſpecie: de certitudinis gradibus: de fide: quid ſibi velint hæ formulæ: ſecundum, contra, & ſupra rationem: quid ſit probabilitas, opinio, dubitatio, ſuſpicio: num poſſit opinio cum ſcientia, & fide conſiſtere.* 231

Cap. IIII. *De Criticæ nomine, & finibus: de ſenſuum uſu in corporum cognitione: de experimentis, & obſervationibus rite conficiendis cum regulis ad id negotii*

gotii ſpectantibus. 240

Cap. V. *De duplici auctoritatis genere divinæ nimirum, & humanæ: de Scripturarum, Traditionum, Conciliorum, Patrum auctoritate præceptiones nonnullæ: regulæ* XIII. *proponuntur auctoritatem eorum ſpectantes, qui dogmata enunciant: præcepta varia in medium afferuntur, quum ad eventus omnes univerſim ſumtos, tum ad præteritos maxime, atque futuros pertinentia.* 247

Cap. VI. *Errorum cauſſæ in vetuſtis codicibus occurrentium aſſignantur: regulæ codicum pretium, uſumque ſpectantes: ſuppoſitio, corruptioque librorum apud veteres juxta ac recentes auctores; & regulæ quarum ope deprehendi queant.* 263

Cap. VII. *De apparatu ad rectam ſcriptorum intelligentiam neceſſario; de monitis* XIII. *quorum lumine involuta auctorum ſenſa, neque perſpicue litteris conſignata aſſequi poſſumus; de multiplici artis criticæ abuſu; ac de quibuſdam intemperantioris criticæ viris.* 279

LIBER QUARTUS.

De Ratiocinatione. 294

Cap. I. *De ratiocinationis indole, definitione, præſtantia, nomenclatione, & partibus; de variis ejus formis, id eſt ſyllogiſmo, inductione, exemplo, enthymemate, epichiremate, dilemmate, & proſyllogiſmo.* ibid.

Cap. II. *De ſingulis ratiocinandi formis ad ſyllogiſmum revocandis: de duplici ſyllogiſmi ſpecie; regulisque ad eum attinentibus: de ſyllogiſmi materia, forma, figura, & modo: de legibus* I. II. III. & IIII. *figuræ; de modo directo, & indirecto; atque de reductione ſyllogiſmi imperfecti ad perfectum.* 305

Cap. III. *De ſyllogiſmo complexo; & regula generali pro quovis ſyllogiſmo expendendo, num rite concludat: de ſyllogiſmo demonſtrativo, topico, & ſophiſtico; ubi & ſophiſmata in medium afferuntur; deque ratione ſophiſmata diluendi.* 318

LI-

LIBER QUINTUS.

De Methodo. 340

Cap. I. *De methodi finitione, ac diſtinctione ab ordine, & a reliquis mentis noſtræ operationibus: de materia quæſtionum, & opinionis Sorianæ confutatione; de triplici quæſtionum genere: de methodo analytica, & ſynthetica; ſimplici, & compoſita; ſcholaſtica, mathematica, & miſta, earumque legibus: de meditatione, lectione, & diſputatione rite inſtituenda: de doctoris, ſcriptoriſque muneribus.* 341

Cap. II. & ult. *De monitis quibuſdam ad omne ſtudii genus ſpectantibus: de ſtudio Matheſeos, Phyſicæ, Medicinæ, Metaphyſicæ, Ethicæ, Juris Naturæ, Gentium, Civilis, & Canonici, atque omnium ſcientiarum principis Theologiæ; nec non de auctoribus, qui ſingulas, & omnes recenſitarum ſcientiarum partes excoluerunt, illuſtraruntque.* 360



Adm. Rev. Dominus D. Salvator Rogerius S. Th. Prof. revideat, & in ſcriptis referat. Datum die 15. Jan. 1773.

F. X. VENAFR. VIC. GEN.
J. SPARANUS CAN. DEP.

EMINENTISS. PRINCEPS.

ELementa Artis recte ratiocinandi, quæ litteris conſignata tradit Vir præclariſſimus Andreas Ambroſinius, nihil omnino, quod Catholicæ fidei, aut morum honeſtati adverſetur, mihi complecti videntur. Ea igitur publico tironum uſui deſtinanda in lucem emitti poſſe duco, ſi quidem tua, Cardinalis ampliſſime, auctoritas accedat. Datum Neapoli XVI. Kal. Sept. 1773.

Emin. Tuæ

Addictiſs. atque obſequentiſs.
Salvator Rogerius.

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur. Datum die 5 Septembris 1773.

F. X. VENAFR. VIC. GEN.
J. SPARANUS CAN. DEP.

Magnificus U. J. D. D. Januarius Vicus in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat. Datum Neapoli die 27. menſis Decemb. 1772.

NICOLAUS EP. PUT. C. M.

ILL. AC REV. DOMINE.

EOrum famæ, qui de differendi ratione cum laude ſcripſerunt, audebit quidem poſthac, & fortaſſe non immerito, ſuum quoque nomen inſerere D. Andreas Ambroſinius ſuo Opere inſcripto, *Elementa Artis recte ratiocinandi*, quod mihi legendum mandaſti; in quo hanc præclaram Philoſophiæ partem, veri, ac falſi diſceptatricem, & judicem, ſatis fuſe, enucleate, prudenter, perite tractat; docendique ratione diſcentium captui maxime accommodata; quorum ſatietati etiam conſuluit, rei, quantum potuit, ſubtilitatem, ornando, acceſſito, ac paſſim interjecto aliquo Eruditionis delinimento, ut oſſium, nervorumque quaſi compagi aliquam ſuperinducti cor-

poris ſpeciem præberet. Quod autem ad meum officium pertinet, nihil quicquam noxium in eo offendi, etſi argumentum ipſum ab ejusmodi ſuſpicione longe videatur abeſse. Quapropter nil moror, quin publica luce fruatur, modo tu Auctor fias. Datum Neapoli v. Non. Quinct. MDCCLXXIII.

Addictiſs. & obſequentiſs. Cliens
Januarius Vicus.

Digitized by Google

Die 31 *menſis Auguſti* 1773.
Neapoli.

Viſo Reſcripto Suæ Regalis Majeſtatis ſub die 28 *currentis menſis*, *&* *anni*, *ac Relatione U. J. D. D. Januarii Vico*, *de commiſſione Rev. Regii Cappellani Majoris*, *ordine præfatæ Regalis Majeſtatis*.

Regalis Camara S. Claræ providet, *decernit*, *atque mandat*, *quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli*, *ac approbatione dicti Reviſoris*; *Verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica*. *Hoc ſuum &c.*

VARGAS MACCIUCCA.
FERRI.
Vidit FISCUS REGALIS
CORONÆ.

Illuſtris Marchio Citus Præſes S.R.C.; *&* *cæteri Spectabiles Aularum Præfecti tempore ſubſcriptionis impediti*.

Carulli. Athanaſius.

Reg.

PATER D. AGNELLUS CYRILLUS

Congregationis S. Petri a Cæſarano

RECTOR.

Opus inſcriptum: *Artis recte ratiocinandi Elementa* a P. D. Andrea Ambroſinio noſtræ Congregationis Presbytero elaboratum, a quibusdam ejusdem Congregationis Theologis reviſum, & approbatum; ſi iis, ad quos ſpectat, videbitur, ut typis mandetur, concedimus facultatem.

Loco ✠ Sigilli.

Ex Ædibus Solitudinis S. Petri a Cæſarano XVI. Kal. Septembris anno Æræ Chriſtianæ MDCCLXXIII.

AGNELLUS CYRILLUS.

Digitized by Google

MONITUM.

QUum folia jam typis excuſa ex typographi officina ſemel mihi perluſtranda delata ſint, ſi qua in iis menda offenderem, ut expurgari poſſent; plura feſtinantes oculos fugerunt: quapropter leviora, tuæ acribiæ, humaniſſime lector, corrigenda relinquo, graviora autem ita

MENDA	CORRIGUNTUR.
Pag. 1. v. 10. diſponeret	diſponat
Pag. 1. verſ. 27. διάνοια mentis	a διανοίᾳ, mentis
Pag. 6. v. 34. 36. & alib. exſiſtimaverunt	exiſtimaverunt
P. 32. v. 16. 20. Jo. Franciſcus	Joannes
P. 33. v. 38. Senguerdus	Senguerdus, aliique.
P. 40. v. 26. ſex volumina comprehendi fecit	hæc ſex volumina compendi fecit
ibid. v. 38. eleganterque	eloquenterque
P. 41. v. 23. Gottiebus	Gottliebus
P. 63. v. 22. & p. 78. v. 36, & p. 82. v. 2. &c. econtraria	e contrario
P. 104. v. 32. manu	manum
P. 136. v. 12. conſtitutiones	conſtitutione
P. 141. v. 15. ediſcet	ediſcent
ib. v. 29. contingit	contigit
P. 154. v. 20. præcipue; incumbunt	præcipue incumbunt;
P. 162. v. 10. penuria	penuriam
P. 181. v. 22. quibusdam	quibusdam conſtat
P. 193. v. 30. ſolet... exprobetur..., ſecus ac ſentis,,	ſoleat.. exprobretur..,, loqueris ſecus ac ſentis,,
ib. v. 33. Padirium	Papirium
ib. v. 40. circa	citra
P. 197. v. 5. renuit	tenuit
P. 196. v. 5. animadvertit. Cicero	animadvertit Cicero
ibid. v. 12. ceteris; hominibus	ceteris hominibus
P. 198. v. 2. & re atttributa, rei	& rem, & attributa rei
ib. v. 18. ad bellum	vel ad bellum
P. 199. v. 29. ſenſu vocem	quo ſenſu vocem
P. 200. v. 30. genericam.. genita, ex completa.. ſui, extremum	geneticam ... genita ex completa ... ſui extremum
P. 203. v. 13. ep LXXXVIIII.	Seneca ep. LXXXVIIII.
P. 206. v. 10. Angelo ſecus	Angelo: ſecus
P. 113. v. 5. affectiones	affectione
P. 267. v. 28. ante	paullo ante
P. 290. v. 23. hinc	hunc
P. 295. v. 4. erroris .advocāda ſine	ſine erroris... advocanda
P. 345. v. 14. tetigere	tangere



PROLEGOMENA

De Logicæ nomine, fine, muneribus, materia, partitione, neceſſitate, utilitate, jucunditate, origine, & progreſſu.

I. *Logicæ nomen.* ARTEM illam, ſive potius ſcientiam, quam verſandam aggredior, jam uſque ab antiquis temporibus varia nomina obtinuiſſe, palam eſt; quippe quæ Logica, vel Rationalis facultas a Platone, Ariſtotele, & Plutarcho, quod rationem dirigat, nominetur; Dialectica, quod ſermones ad interrogationem, reſponſionemque diſponeret, unde etiam veri & falſi quaſi diſceptatrix a Cicerone, vel diſputatrix a Quinctiliano nuncupetur; Canon ſive Canonica ab Epicureis appelletur, quod canones ſive regulas diſſerendi, inquirendæque veritatis exhibeat; Organum, Inſtrumentum, Janua ſcientiarum dictitetur ab Ariſtotele, ejuſque aſſeclis, propterea quod ad ceteras ſcientias comparandas ſummopere neceſſaria ſit. Hinc Boethius de ea in Topica Cicer. „ Hæc eſt, inquit, diſciplina quaſi diſſerendi quædam magiſtra, quam Logicam Peripatetici veteres appellaverunt. Hanc Cicero definiens diſſerendi diligentem rationem vocavit. Hæc vario modo a pleriſque tractata eſt, varioque etiam vocabulo nuncupata. Ut enim dictum eſt, Peripateticis hæc ratio diligens diſſerendi Logica vocatur continens in ſe inveniendi, judicandiq; peritiam „. A recentibus quoq; Philoſophis vario nomine donata eſt, ut quæ Philoſophia mentis, Philoſophia Rationalis, ſcientia cogitationum rectrix, Dianœtica διάνοια mentis agitatio, cogitatio, Ars cogitandi, Ars Logicocritica vocitetur. Mihi vero Artem recte ratiocinandi eam nominare collibitum eſt; quum omnia, de quibus ſermo-

Digitized by Google

nem habet, eo recta colliment, ut omnibus, queis a teneris unguiculis imbuti ſumus, præjudiciis & erroribus exutis atque amotis, apte ac ſapienter ratiocinemur.

II. *Finis, ac munera.* Natura porro Logices agnoſcetur, ſi ad ejus finem, officia, materiam, diviſionem &c. animus advertatur. Logicæ finis, ſi Jacobum Facciolatum Rudim. Logic. Protheor. I. alioſque paucos audias, eſt veritatis inventio, & explicatio; ſi vero mihi aures præbere velis, eſt recta ratiocinatio: finis enim eſt id, cujus gratia quicquam fit: omnia autem ea, de quibus Logica diſſerit, ad hominis rationem expoliendam reſpiciunt, ut ea recte uti poſſit: fateamur ergo oportet optimam ratiocinationem eſſe Logicæ finem. Quod luculentius patebit ex officiis, quæ Logicæ aſſignat Tullius de clar. orat. cap. XLI. ſcilicet: „ rem univerſam tribuere in partes; latentem explicare definiendo; obſcuram explanare interpretando; ambigua primum videre, deinde diſtinguere; poſtremo habere regulam, qua vera, & falſa judicentur, & quæ quibus poſitis ſint, quæve non ſint conſequentia „. Quæ quidem omnia huc recidunt, ut ea ex poſitis antecedentibus colligere conſequentia valeamus, quæ in illis reapſe continentur. Porro recentioris Logicæ munera paullo plura ſunt: ſiquidem ad eam ſpectat ex optimis, inconcuſſiſque axiomatis ac principiis genuina conſectaria elicere, ſophiſmata a rectis ratiocinationibus ſecernere; rationes, cauſſas, ac relationes rerum cognoſcere; errores, ac præjudicia excutere, atque expellere; expendere an vera, certaque ſint, quæ nullo adhibito accurato examine in animum noſtrum induximus; certum ab incerto diſtinguere, verum a falſo, probabile ab improbabili, ſolidum ab inani, malum a bono, æquum ab iniquo, pulcrum a deformi: ipſius quoque eſt docere ſapienter ac moderate dubitare, ubi neceſſitas id poſtulat, ſtultiſſimum atque imperitiſſimum Academicorum, & Pyrrhoniſtarum morem, qui de iis etiam dubitare amant, quæ luce meridiana clariora ſunt, caute, prudenterque vitando, atque exſecrando; denique, ut uno verbo dicam, humanam mentem in cogitando re-

regere, & gubernare, ſive homini hominem manifeſtare.

III. *Materia.* Jam vero Logicæ materia, ſive objectum, ut Scholæ loquuntur, quod menti objiciatur, varia eſt pro variis Philoſophorum opinionibus. Quas quidem antequam referam, noſſe oportet triplex objecti genus a Philoſophis diſtingui, materiale nimirum, formale, & totale, adæquatum, ſive attributionis. Objectum igitur materiale alicujus diſciplinæ eſt materia, circa quam ea diſciplina occupatur. Objectum vero formale eſt modus, quo ea diſciplina circa objectum ſuum materiale occupatur, ſive id quod in eo facultas attingit: ſic objectum materiale viſus ſunt res, quæ videntur: objectum vero formale eſt color, quem in rebus videt. Ex utroque conflatur objectum integrum, totum, ſive totale, adæquatum & attributionis, cui ſcilicet omnia attribuuntur, quæ in ea diſciplina pertractantur. His præmiſſis, jam ad Logicorum placita enarranda venio. Ac primum Nominales, quorum auctor fuit Guillelmus Okamus, natione Anglus, Ordinis Fratrum Minorum, Scoti diſcipulus, vita functus anno 1347., tradiderunt voces eſſe Logicæ objectum. Verum iſtorum ſententia fere obſolevit; ſiquidem diſciplinæ non de vocibus, ſed de rebus a vocibus ſignificatis agunt, etſi rerum loco vocabula adhibeant. Sane medicina non verſatur in iſthac voce morbus, ſed in re per eam indicata. Deinde Thomiſtæ, ac plerique alii materiale objectum Logicæ eſſe res omnes a nobis cognitas; formale vero ens rationis directivum operationum mentis, volunt. „ Per illud ens rationis, inquit reliquorum nomine illuſtris S. Thomæ aſſecla F. Antonius Goudinius Logicæ Majoris Quæſt. præamb. art. 1. intelligo artificioſam diſpoſitionem, quam ratio facit in rebus cognitis, dum eas ordinat in modum prædicati, ſubjecti, generis, ſpeciei, definitionis, diviſionis, propoſitionis, ſyllogismi, &c. ut enim ars pingendi colores artificioſe diſponit, ut repræſentent, atque adeo colores ſunt objectum materiale hujus artis; diſpoſitio vero colorum objectum formale: ita Logicæ pro-

Digitized by Google

prium munus eſt, res cognitas artificioſe diſponere in modum claræ definitionis, boni ſyllogismi &c. quo facilius a mente poſſint percipi. Unde res cognitæ ſunt ejus objectum materiale, diſpoſitio vero illa artificioſa, ſeu forma definitionis, ſyllogismi &c. eſt ejus objectum formale. Hæc dicitur ens rationis, quia non eſt in rebus, ſed ſolum in mente eam apprehendente, & res ita ordinante. Dicitur etiam ſecunda intentio, quia res afficit, non ut ſunt in ſe, ſed ut ſunt in mente. Hac adeo plana explicatione vides, quam immerito quidam, ut Thomiſtas impugnent, dicant eos habere pro Logicæ objecto chimæras „. Tum alii, quos inter eminet erudítiſſimus J. Facciolatus loco ſuperne citato, arbitrantur Logicam latiſſime excurrere, ejuſque materiam eſſe diſputationem quamlibet, quatenus per eam verum exquiritur, & judicatur: rationem vero & modum, quo utitur in exquirendo & judicando facere, ut materia, ceteroquin communis, ſit Logicæ propria. Atque in ſuæ ſententiæ confirmationem Ciceronem laudant, qui Tuſcul. V. cap. xxv. „ Sequitur tertia, inquit, quæ per omnes partes ſapientiæ manat, & funditur, quæ rem definit, genera diſpertit, ſequentia adjungit, perfecta concludit, vera & falſa dijudicat diſſerendi ratio, & ſcientia „. Quæ quidem ſententia parum ab antecedenti abludit. Poſtremo alii cenſent materiale Logicæ objectum eſſe mentis operationes, perceptionem nimirum, judicium, ratiocinationem, & methodum: formale vero easdem operationes, quatenus ad verum ſunt dirigendæ. Eaque eſt plurium recentiorum potiſſimum Edmundi Purchotii Senonenſis, P. Eduardi Corſinii Cler. Regul. Scholarum Piarum, P. Franciſci Jacquierii Minimi &c. Atque huic ſententiæ ego quoque lubens ſubſcribo, iſthac valida ratione permotus: id eſt objectum alicujus facultatis, quod ab ea facultate verſatur, expenditur, conſideratur: Dialectica autem tota eſt in operationibus intellectus expendendis, conſiderandis, regendis, & purgandis, ſicut ii qui vel a limine Logicam ſalutarunt, optime norunt: hæ igitur ſunt ejus objectum.

Sunt

Sunt fortaſſe & aliæ ſuper ea re opiniones, ſed me admodum pudet diutius hiſce tricis immorari.

IIII. *Partitio*. Ad Logicæ vero diviſionem quod attinet, partitur primo in Naturalem, & Acquiſitam. Naturalis eſt ea cogitandi, percipiendi, judicandi, & ratiocinandi facultas, quam Deus cuique homini infudit, quæ uſitatiori vocabulo Ratio, Rationiſque lumen nuncupatur. Acquiſita, ſive Artificialis eſt ea, quæ ſtudio, certis legibus, atque exercitatione comparatur. Definiturque non eodem pacto ab omnibus; quandoquidem alii vocant eam „ ſcientiam rationalem, quæ verum a falſo diſcernit „: alii„ ſcientiam de invenienda, proponendaque veritate „: alii„ artem, quæ rationem & judicium auget, format, atque regit in ſapientiæ ſtudio „: quam poſtremam Logicæ Artificialis finitionem libenter adopto. Dant & alii alias definitiones: ſed mihi tantum otii haud eſt, ut in eis colligendis inſumere valeam. Diſpeſcitur ſecundo in Topicam, & Analyticam. Illa eſt, quæ notas, locoſque docet, quibus res ad diſputandum idoneas comperiamus. Hæc vero inventas res reſolvit ac dijudicat. „ Omnis ratio diſſerendi, ait opportune Boethius in procemio de differ. Topic. quam Logicen Peripatetici veteres appellavere, in duas diſtribuitur partes, unam inveniendi, alteram judicandi; & ea quidem pars, quæ judicium purgat, atque inſtruit, ab illis ἀναλυτικὴ vocata eſt, a nobis poteſt Reſolutoria nuncupari; ea vero, quæ inveniendi facultatem ſuppeditat, a Græcis τοπικὴ, a nobis Localis dicitur „. Dividitur tertio in Dialecticam, & Apodicticam: id eſt in Diſputantem, & Demonſtrantem. Prima in materia probabili verſatur; diſſerit enim probabiliter in utramque partem. Secunda in materia neceſſaria occupatur; nam partem unam neceſſario demonſtrat. Quarto tandem diſpertitur in Docentem, id eſt, eam, quæ præcepta tradit; & Utentem, id eſt, eam, quæ ejusmodi præceptis utitur.

V. *Natura*. Ex iis, quæ huc uſque diſſeruimus, poteſt facili negotio colligi, num Logica ſcientia dicenda ſit, an

vero ars. Enim vero utroque nomine honeſtari tuto poteſt. Scientia dici poteſt, quia bonitatem regularum, quas tradit, certo evidenterque demonſtrat. Et ſcientiæ nomine nihil aliud venit, quam „cognitio certa, & evidens„; ſive „ cognitio rei per cauſſas „; ſive denique „ cognitio ope demonſtrationis comparata „. Poteſt etiam ars nuncupari, quia non modo præcepta tradit, ac demonſtrat, ſed etiam iis utitur, aliquid operatur, plura incerta continet, ceteriſque nobilioribus ſcientiis velut organum & inſtrumentum inſervit, ut Ariſtoteles, ejuſque inſignis interpres S. Thomas obſervarunt, qui illam nunc ſcientiis, nunc artibus liberalibus, id eſt, quæ a viris ingenuis & liberis excoluntur, accenſent. Hinc Tullius in Bruto cap. XLI. „ Attulit (Servius Sulpitius), inquit, hanc artem omnium artium maximam; quaſi lucem ad ea, quæ confuſe ab aliis, aut reſpondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi videris dicere, inquit. Recte, inquam, intelligis„. Atque item lib. III. de Fin. c. XXI. „ Dialectica habet rationem, ne cui falſo aſſentiamur; neve umquam captioſa probabilitate fallamur; eaque, quæ de bonis & malis diſſerimus, ut tenere tuerique poſſimus. Sine hac arte quemvis arbitramur a vero abduci, fallique poſſe „.

VI. *Diſcrimen a Rhetorica.* Præterea Dialectica officio, fine, materia, modoque diſſerendi a Rhetorica abludit. Siquidem „ Officium ejus facultatis (Rhetoricæ), ut verbis utar Ciceronis de Invent. lib. I. videtur eſſe, dicere apposite ad perſuaſionem. Finis perſuadere dictione . . . . Item quibus in rebus verſatur ars & facultas oratoria, eas res materiam artis rhetoricæ nominamus. Has autem res alii plures, alii pauciores exſiſtimaverunt. nam Gorgias Leontinus antiquiſſimus fere rhetor, omnibus de rebus oratorem optime poſſe dicere exſiſtimavit. hic infinitam & immenſam huic artificio materiam ſubjicere videtur. Ariſtoteles autem, qui huic arti plurima adjumenta atque ornamenta ſubminiſtravit, tribus in generibus rerum verſari rhetoris officium putavit, demon-

monſtrativo, deliberativo, judiciali. Demonſtrativum eſt, quod tribuitur in alicujus certæ perſonæ laudem, aut vituperationem. Deliberativum eſt, quod poſitum in diſceptatione, & conſultatione civili, habet in ſe ſententiæ dictionem. Judiciale eſt, quod poſitum in judicio habet in ſe accuſationem; & defenſionem, aut petitionem, & recuſationem, & quemadmodum noſtra quidem fert opinio, oratoris ars & facultas in hac materia tripartita verſari exſiſtimanda eſt . . . . . Quare materia quidem nobis rhetoricæ videtur artis ea; quam Ariſtoteli viſam eſſe diximus„ Modo tandem dicendi; quandoquidem Rhetor fuſiori atque ornatiori ſermone loquitur. Contra Dialecticæ munus, finem, materiam, modumque diſſerendi longe diſſimilem eſſe conſtat. Atque ut munus, finem, materiamque taceam, de quibus ſatis ſupra diſputavimus, loquendi rationem admodum diverſam adhibet Dialecticus. Hinc „ Zeno ille, uti ſcribit Tullius Orat. ad Brut. a quo diſciplina Stoicorum eſt, manu demonſtrare ſolebat, quid inter Dialecticam & Rhetoricam intereſſet. Nam quum compreſſerat digitos, pugnumque fecerat, Dialecticam, ajebat, ejusmodi eſſe. Quum autem deduxerat, & manum dilataverat, Eloquentiam eſſe dicebat. hocque uno (ait Ariſtoteles) diſferunt, quod hæc ratio dicendi latior ſit, illa loquendi contractior„.

VII. *Neceſſitas ad ſcientias comparandas.* Adhæc quæri a Philoſophis ſolet, an Logica ad ceteras diſciplinas comparandas neceſſaria ſit. Pro qua decidenda quæſtiuncula, duplex neceſſitatis genus diſtinguendum eſt: alia enim neceſſaria dicuntur ſimpliciter, ut ſcholaſtico more loquar, ut oculus ad videndum, navis ad mare trajiciendum: & alia, ſecundum quid, ut equus eſt neceſſarius ad iter facilius perficiendum. Itemq; duplex ſtatus ſcientiæ comparandæ admittendus, perfectus unus, quum nempe omnia & obſcuriora aſſequi, & difficiliora demonſtrare, & validiora objectamenta refellere potis ſumus. Alter imperfectus, quum nempe ea quæ clariora, faciliora ſunt, intelligere; & non omnes er-

rores vitare, & difficultates dumtaxat elumbes, & obvias diluere valemus. His prænotis: ajo Logicam artificialem ad omnes ſcientias facilius ac perfectius acquirendas ſummopere neceſſariam eſſe: quum ipſa, ut antea dicebamus, errorum cauſſas detegat, remediaque opportuna præbeat; rem in ſuas partes diſtribuere doceat, obſcuram vocabulorum notionem explicare, incertam determinare; regulas tradat, ut poſſis ambigua diſtinguere, falſum ſub veri ſpecie latens coarguere, rationes ad perſuadendum idoneas habere, atque id apta conſecutione conficere, quod evincendum ſuſceperis; de ſingulis diſtincte atque ordinate diſſerere, inſidioſas fucatæ ratiocinationis fallacias, & inanem ſermonis ſplendorem a ſolido rationum, & ſententiarum pondere ſeparare. Præterea ad id uberius commoſtrandum, adduci poterit argumentum illud a Galeno adverſus Eraſipratum uſurpatum, quod nimirum haudquaquam poteſt quævis enunciatio ex quavis alia enunciatione, ſive principio colligi; ſecus ex ſolis ſplendore, aut corvi nigritie Eraſiprati ſtultitiam inferre liceret: verum ex certis quibusdam axiomatis, nonniſi certæ quædam, ipſisque connexæ veritates elici recte poſſunt. Facultas igitur ea neceſſaria erit, quæ nitide nobis commonſtret, quando unum in alio contineatur, ut ſine erroris periculo poſſit ex eo inferri; quumque id in obſcurioribus ſolo rationis lumine ducti diſpicere non valeamus, opus erit nobis etiam artificiali dialectica, quæ improbo ſtudio, diligentia ſumma, exercitatione aſſidua, certisque legibus comparatur.

VIII. *Utilitas*. Hinc quoque conſequitur iſtiusmodi ſcientiam haud parum nobis eſſe profuturam. Ejus utilitatem explicat b. Auguſtinus in lib. II. de ordin. cap. XIII. „ Dialectica diſciplina diſciplinarum: hæc docet docere; hæc docet diſcere; in hac ſe ipſa ratio demonſtrat, atque aperit, quid ſit, quid velit, quid valeat „. Atque ante s. Auguſtinum Parmenides apud Platon. in Parmen. Socratem ad ſublimiora quæque properantem alloquens: „ pulcher ſane, ajebat, atque divinus eſt impetus iſte tuus, qui ad rationes ſe fert.

Ce-

Ceterum collige teipſum, diligentiusque te in ea Facultate (Logica) exerce, quæ inutilis eſſe videtur multis, & quædam garrulitas nuncupatur, dum juvenis es; alioquin te veritas fugiet „. Unde optime Stoici Dialecticam „ veri & falſi ſcientiam „ nuncuparunt . „ Hinc absque Dialecticæ ſpeculatione, dicebant apud Laert. VII. ſeg. XLVI. Sapientem in oratione ſine lapſu non futurum. Quippe ex ea dignoſci verum, atque falſum, probabile autem, & quod ambigue dicatur, dijudicari. Ea remota non licere rite interrogare, atque reſpondere. Neque aliter acutum, & ingenioſum, cautumque omnino in dicendo & fore, & viſum iri ſapientem. „

VIIII. *Jucunditas.* Neque ab ejusmodi labore ſubeundo abſterrere nos debet difficultas, quam ſub hujuſce ſtudii principia experimur, ob id potiſſimum, quod jucundiori & amœniori Rhetorices, & Poeſeos ſtudio plurimum ſuccedit. Verum animos addit Aulus Gellius Noct. Attic. lib. XVI. cap. VIII. „ Hujus diſciplinæ (Dialecticæ) ſtudium atque cognitio, inquiens, in principiis quidem tetra, & aſpernabilis, inſuavisque & incivilis eſſe videri ſolet. Sed ubi aliquantum proceſſeris, tum denique & emolumentum ejus in animo tuo dilucebit, & ſequetur quædam diſcendi voluptas inſatiabilis: cui ſane niſi modum feceris, periculum non mediocre erit, ne, ut plerique alii, tu quoque in illis Dialecticæ gyris atque mæandris, tanquam apud Sirenios ſcopulos, conſeneſcas „. Neque Recentiorum Dialectica iis eſt adhucdum conſpurcata nævis, qui in eam Scholaſticorum opera irrepſerant: vultus ejus horridus, & incultus in hilarem, & perpulcrum evaſit. Extra ejusdem fines eliminatæ ſunt jam diſputationes illæ futiles, ac frivolæ, quæ Scholaſticis in deliciis erant: quæque ut cum Martiali lib. XIII. loquar:

Sunt apinæ, tricæque, & ſi quid vilius iſtis: nimirum quæſtiones de univerſalibus, de prædicamentis, de poſtprædicamentis, de nominum analogia, de primo cognito, de principio individuationis, de diſtinctione quantitatis a re quanta, de maximo & mi-

minimo, de infinito, de intenſione, & remiſſione, de proportionibus, & gradibus, deque aliis hujuſcemodi ſexcentis, quæ neque ii, quibus ingenium nimis tardum minime erat, nec iis intelligendis parum temporis & diligentiæ adhibuerant, animo vel informare poterant. Neque id mirum cuiquam videri debet: quum neque illi qui iſthæc verſabant, omnes percipiebant. De hujuſcemodi deturpata Dialectica, ſive, ut eorum vocibus utar, Summulis, & Parvis Logicalibus, in quibus de terminis, eorumque proprietatibus, de quinque univerſalibus, de categoriis &c. præcepta tradunt, loquens Foxius pag. 172. de Phil. ſtud. rat. hæc habet: „ Barbaros illos & immanes ſophiſtas, qui pro Dialectica vera Summulas, ut ipſi vocant, portentaque alia librorum horribilia nobis reliquerunt; quoſque magno Dei beneficio ubique a doctis omnibus exploſos cernimus, ne dignos quidem judico, qui nominentur „. Idem de dialecticæ uſu pag. 10.„ Omitto eos, qui Summulas neſcio quas, atque terminos conſcripſere; qui ne umbram quidem Dialectices, nedum uſum ipſum, aut cognitionem ſunt aſſecuti „. Verum mea quidem ſententia, non adeo aſpere ſunt hujusmodi viri excipiendi; quippe qui meliora, ſelectioraque exhibere non poterant: hinc Hugo Grotius in Proleg. de jur. B. & P. „ Scholaſtici, ajebat, quantum ingenio valeant ſæpe oſtendunt, ſed in infelicia, & artium ignara ſecula inciderunt, quo minus mirum, ſi, inter multa laudanda, aliqua & condonanda ſunt „: tum ob illius ævi barbariem, quare dicendum potius, ſic ferebat ætas; tum ob penuriam librorum, quum ars typographica nondum ingenti mortalium beneficio innotuerat; tum etiam ob defectum græcæ eruditionis, quum nullus eſſet græce adeo doctus, ut innumera illius gentis erudita ac docta volumina latinitate donare potis eſſet. Quare hiſce deſtituti ſubſidiis nihil aliud proferre, atque lectoribus ſuis propinare poterant, quam quod ipſi inſomnes excogitarant; atque in ſuæ mentis jejunæ quidem, ſed acutæ latebris offenderant. Quod quidem quum novum atque

que inauditum foret, novis ac nondum auditis vocabulis explicare neceſſe erat. Hinc tot quæſtiones inanes, tot vocabula inficeta.

X. *Origo*. Reliquum eſt, ut Dialecticæ ortum inveſtigemus, progreſſumque deſcribamus. Socrates aſſerere non dubitavit apud Platon. in Philæbo ſcientiam hanc eſſe donum deorum, quod ad homines per Prometheum quendam una cum quodam lucidiſſimo igne deſcenderit; etenim priſci nobis præſtantiores, diisque propinquiores hæc nobis oracula tradiderunt„. Atque Tullius I. de Fin. c. XIX. „ quaſi delapſa de cœlo eſt, inquit, ad cognitionem omnium regula, ad quam omnia judicia rerum diriguntur „. Sed ut ex puriori fonte rem hauriamus, ſacris nimirum Litteris, hæ aliquid ad rem præſentem ſpectans innuere videntur: „ Deus creavit, Eccl. c. XVII. v. I. & ſeq. legitur, de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum . . . . creavit ex ipſo adjutorium ſimile ſibi; conſilium & linguam, & oculos & aures, & cor dedit illis excogitandi; & DISCIPLINA INTELLECTUS replevit illos; creavit illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu implevit cor illorum, & mala, & bona oſtendit illis „. Si ergo diſciplina, id eſt, ſcientia intellectus ornavit eum, recte quoque ratiocinandi ei facultatem impertiviſſe credendum eſt. Quocirca porro is mihi ineptire videtur, qui ex allatis Eccleſiaſtici verbis quatuor vulgatas adhæc atque communi uſu receptas Philoſophiæ univerſæ partes eruere conatur: Logicam nempe ex diſciplina intellectus; Metaphyſicam ex ſcientia ſpiritus; Phyſicam ex verbis illis „ ſenſu implevit cor illorum „; Ethicam denique ex his: „ mala, & bona oſtendit illis „. Quandoquidem iſthæc Philoſophiæ partitio, nuper, ut ita dicam, in ſcholis obtinuit: quocirca ad manus eſt præclarus Senecæ locus, qui mirificam lucem huic meo aſſerto aſpergit: „ Philoſophiæ, inquit Epiſt. LXXXVIIII., tres partes eſſe dixerunt & maximi & plurimi auctores: Moralem, Naturalem, & Rationalem. Prima componit animum; ſecunda rerum naturam ſcrutatur: tertia proprietates verborum exigit,

git, & ſtructuram, & argumentationes, ne pro vero falſa ſurrepant. Ceterum inventi ſunt, & qui in pauciora philoſophiam, & qui in plura diducerent. Quidam ex Peripateticis quartam partem adjecerunt, Civilem: quia quamdam propriam exercitationem deſideret, & circa aliam materiam occupata ſit. Quidam adjecerunt his partem, quam Græci οἰκονομικὴν vocant, adminiſtrandæ rei familiaris ſcientiam. Quidam & de generibus vitæ locum ſeparaverunt. Nihil autem horum in illa parte morali non reperitur. Epicurei duas partes philoſophiæ putaverunt eſſe, Naturalem, atque Moralem: Rationalem removerunt. Deinde quum ipſis rebus cogerentur ambigua ſecernere, falſa ſub ſpecie veri latentia coarguere, ipſi quoque locum, quem, de judicio & regula appellant, alio nomine Rationalem induxerunt: ſed eum acceſſionem eſſe naturalis partis exſiſtimant. Cyrenaici naturalia cum rationalibus ſuſtulerunt, & contenti fuerunt moralibus: ſed hi quoque qui removent, aliter inducunt. In quinque enim partes moralia dividunt: ut una ſit de fugiendis & expetendis; altera de affectibus, tertia de actionibus, quarta de cauſſis, quinta de argumentis. Cauſſæ rerum ex naturali, actiones ex morali. Ariſto Chius non tantum ſupervacuas eſſe dixit naturalem & rationalem, ſed etiam contrarias: moralem quoque, quam ſolam reliquerat, circumcidit. Nam eum locum, qui monitiones continet, ſuſtulit, & pædagogi eſſe dixit, non philoſophi: tanquam quidquam aliud ſit ſapiens, quam humani generis pædagogus„. Præterea nomine ſcientiæ ſpiritus, & ſenſus, quo cor illorum replevit, & malorum, bonorumque eis oſtenſorum, alia longe diverſa veniunt, ut eo ſuper textu acutiores doctioresque interpretes lectitanti patebit. Jam vero ex callida ſerpentis argutatione, mulieris reſponſo, atque aſtuta parentis utriusque evaſione, qua patratum facinus extenuare, diluere, atque in ſerpentem ipſum conjicere annitebantur, exque aliis innumeris Scripturæ locis hujusmodi ſcientiæ uſum, indicia, ac ſemina elicere ſtudent quamplures. Ac ſane conjici non temere poteſt,

teſt, homines ab ipſis mundi incunabulis naturali prudentia ac lumine ductos animadvertiſſe ſe in diſſerendo vel de rebus divinis, vel de humanis plures errores admittere, ac ſimul in id incubuiſſe, ut eos vitarent: quo factum eſt, ut regulis quibusdam excogitandis operam ſedulo navarent, queis regi in ferendo de rebus judicio ſine erroris periculo tuto poſſent. „ Homines enim, uti præclare obſervat Quinctilianus Inſtit. lib. III. cap. 11., ſicut in medicina, quum viderent alia ſalubria, alia inſalubria, ex obſervatione eorum effecerunt artem; ita, quum in dicendo alia utilia, alia inutilia deprehenderent, notarunt ea ad imitandum, vitandumque: & quædam ſecundum rationem eorum adjecerunt ipſi quoque. Hæc confirmata ſunt uſu, tum quæ ſciebat quisque docebat. „ Ex Jobi certe hiſtoria facile colligi poteſt jam tum homines eam facultatem egregie calluiſſe: plures in ea inter ſe diſputantes inducuntur; optime argumentantur; difficultates vel acute enodant, vel in ipſos adverſarios mirifice retorquent; rerum cauſſas ſapienter aſſignant; quæ quidem omnia aperte oſtendunt ejuſmodi artem non fuiſſe tunc temporis rudem adhuc atque imperfectam, ſed plenam perfectamque ſaltem penes Arabes. Apud Hebræos maxima ſapientiæ pars, qua adoleſcentes erudiebantur, in ſolis Dialecticæ præceptis, atque in diſſolvendis ænigmatum, parabolarum, argumentorumque fallaciis ſita erat. Rebantur enim hoc pacto eorum animos diſponi „ad ſciendam ſapientiam, & diſciplinam, ut detur parvulis aſtutia, adoleſcenti ſcientia, & intellectus; ut animadvertat parabolam, & interpretationem, verba ſapientum; & ænigmata eorum; Prov. I. II. occulta proverbiorum exquirat, & in abſconditis parabolarum converſetur; Eccleſ. XXXIX. II. ſciat verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum Sap. VIII. VIII. „.

XI. *Zeno Eleat. Logicæ inventor. Socratis, Platonisq; in eam merita.* Ceterum, licet inficiari nemo jure poterit, omnes penes gentes ad minus cultiores, Dialecticæ alicujus rudioris atque imperfectæ notitiam extitiſſe, ut ex earum diſciplinarum ſtudiis, quibus operam

ram ſedulam navabant, colligere licet: ille tamen, qui omnium primus, eruditis univerſis conſentientibus, hujuſce facultatis præcepta ſcriptis edidit, Zeno Eleatenſis fuit; quique epocham Chriſtianam 450. circiter annis præceſſit. Is Athenas veniens, librumque varia Logices præcepta complectentem a ſe conſcriptum Socrati exhibens, tanti eum fecit magnus hic philoſophus, ut non veritus ſit & ipſe eaſdem regulas adhibere. Neque Plato, ſi fidem Proclo Comment.v.l.111. habemus, alias fere præceptiones in Parmenide ac Theætheto uſurpavit, quam quas a Socrate, isque a Zenone audierat: quas quidem quum ipſe uberius auxerit, accuratius limaverit, ac ſplendidius illuſtraverit, Logicæ inventoris nomen famamque ſibi comparavit. Quæ in rem Logicam Socratis & Platonis ſcholæ contulerunt, tria potiſſimum ſunt; 1. ars opportune dubitandi; 2. ratio bene vocabula finiendi, ac quæſtionis ſtatum conſtituendi; 3. analytica inductio; quæ mirum in modum ad veritatem detegendam conducit.

XII. *Euclidis Meg. aliorumque.* Euclides a Megara, unde oriundus erat, Megarenſis cognominatus, Speuſippus, Heraclides, Eubulides, Zeno Stoicus, ejuſque diſcipulus Chryſippus, Carneades, aliique non pauci Zenonis, Socratis, ac Platonis ſtudium in re Logica augenda, expolienda, & perficienda æmulati ſunt. Hoſque inter Chryſippus, teſte Laertio in vit. Chryſippi „ adeo in Dialectica inſignis fuit, tantæque apud omnes æſtimationis, ut plerique dicerent, ſi apud deos uſus eſſet Dialecticæ, non futuram aliam, quam Chryſippeam „.

XIII. *Dialecticæ incrementa Ariſtotelis ſtudio.* Verum candide fatendum, Ariſtotelem Stagyræ natum ante Ær. vulg. ann. 386. inſignem illum Platonis diſcipulum, Alexandri M. magiſtrum omnium diligentiam longiſſime ſuperaſſe, atque iis, qui in iſthac facultate, ceteriſque Philoſophiæ partibus excolendis eum præceſſerant, palmam præripuiſſe: adeo copioſe, accurateque Logicæ partes omnes illuſtravit atque auxit, ut Logices inventor a compluribus nuncupari promeruerit; qua de re & ipſe I. Elench.

Elench. c. XXXIV. gloriatus eſt. Inficias tamen haud ivit, Laertio teſte VIII. ſeg. LVII. & IX. ſeg. XXV. primum Dialecticæ inventorem fuiſſe Zenonem. Si Franciſci Patricii dictis fidem adjungere velimus, 123. libros de re Logica conſcripſit, quorum magnam partem tempus abſumſit: quo ſuper negotio conſulendus eſt Joannes Gerardus Voſſius, de origine & conſtitutione Logicæ cap. X. Alii XVII. libris totam Logicam Ariſtotelem complexum eſſe ajunt: ſaltem hi ſunt, qui adhæc ſuperſunt. In horum primo Categoriarum inſcripto, de iis quæ perceptionem reſpiciunt, ſermonem habet. In aliis duobus, Perihermenias, ſive de interpretatione, nuncupatis, Judicii ſive enunciationis leges exponit. Quatuor Analyticorum ſuccedunt, quorum duo Priorum Analyticorum dicti de Syllogiſmo univerſe accepto agunt, duo vero alii de ſyllogiſmo demonſtrativo, ſive demonſtratione loquuntur. In aliis vero Topicorum appellatis de ſyllogiſmo probabili, & locis fuſo calamo diſſerit. Duo libri Elenchorum, quos tamen plurimi in unum contrahunt, varia ſophiſmatum genera, diſputandique methodum exhibent. Ariſtotelis Dialectica multa præclara complectitur, omnibus tamen numeris abſoluta minime eſt, ut jam viri emunctæ naris plurimi obſervarunt. Quis ergo Caſaubonum æquo animo ferre potis erit ajentem in Perſium Satyr. V. ver. LXXXVI. „ ego pueros puto fuiſſe Stoicos præ divino Ariſtotele; & eorum in hoc genere ſcripta ὕθλον, καὶ φλήναφον præ Ariſtotelis Organo, quo opere omnia mortalium ingenia (divina aut de rebus divinis ſemper excipio) longe ſuperavit „? & Scaligerum effutientem Scaligerian. I. p. 49. „ libros omnes philoſophicos Ciceronis nihili facio: nihil enim in iis eſt, quod demonſtret, & doceat, aut cogat; nihil Ariſtotelicum? „

XIIII. *Logicæ Peripateticæ fortuna. Avicennæ, & Averrhois notitia.* Logicæ Peripateticorum, ſic dictorum ab eo, quod Ariſtoteles in ſchola obambulando doceret, varia fortuna fuit, uti obſervare licet in Jo. Launoji libro, de varia Ariſt. fortuna Pariſiis edito 1653. 8. & Elſvichii conſimilis argumenti diatribis de varia Ariſt. fortuna in ſcho-

ſcholis proteſtantium. Medio certe ævo ubique locorum Ariſtotelis Logica docebatur opera potiſſimum Averrhois, & Avicennæ Arabum, qui Stagyritæ opera in ſuam linguam tranſtulerunt, commentariisque illuſtrarunt, atque in ſcholis Ægyptiis, Africanis, & Hiſpanis prælegere auſpicati ſunt. De celeberrimis hiſce binis Arabibus huc pauca adnectere ſupervacaneum non erit. Avicenna apud Arabes Abu Ali, Alhoſain Ben Sina nuncupatus, ſub Conrado II., & Henrico III. inclaruit. Is ortum duxit in oppido Balech, aut Bocara anno Chriſti 980., alias 992. ex patre Hali, matre Citara appellatis, vixit annos 58. Nondum decenni major litteras humaniores, & quicquid ſcientiarum ad Corani intellectum pertinet, calluiſſe dicitur, & totam ἐγκυκλοπαιδείαν ante annum 18. abſolviſſe, quo temporis ſpatio, nec unam noctem integram dormiviſſe perhibetur, nec interdiu aliis rebus, quam lectioni vacaſſe. conſule Voſſium de Philoſoph. cap. 14. Edvv. Pocock in ſpecim. Hiſtor. Arab. aliosque. Opera multa medica, & philoſophica edidit: philoſophica ſunt Logica, Phyſica, & Metaphyſica. Laudatores, & vituperatores nactus eſt. Cæſar Scaliger, aliique mirifice eum commendant. Contra Lud. Vives de cauſ. corrupt. art. lib. V. „ Averrhois doctrina, ſcripſit, & metaphyſica Avicennæ, omnia denique illa Arabica mihi videntur reſipere deliramenta Alchorani: nihil fieri poteſt illis inſulſius, frigidiusque „. Moderatius certe de Avicenna Benedictus Pererius in præf. in ſuos libros de principiis, & affectionibus rerum naturalium loquutus eſt „ Inter Arabes, inquiens, ſuos quoque amatores, & ſectatores habet. Quem ego in Philoſophia nec magnopere laudo, nec plane contemno. Fuit is præſtantiſſimus medicus, fuit etiam quorundam judicio peracutus metaphyſicus, ſed eum doctrinæ Ariſtotelis (quam omnibus Philoſophiæ ſtudioſis maxime probatam, & cognitam eſſe oportet) nec admodum ſtudioſum, nec admodum intelligentem, conſtat „. Averrhoes, ſive Averroes, vel Aven Rois, quaſi filius Regis, Cordubæ natus, in Africa educatus, atque tempore Miramolini Regis apud

Cor-

Cordubam clarus anno a Chriſto nato 1206. ad plures abivit. Avicennæ æmulus exſtitit. Inter Arabes Stagyritæ interpretes primas obtinuit, unde κατ' ἐξοχὴν commentator nuncupatus eſt. Græce ignarus feliciter Ariſtotelis ut plurimum mentem tenuit, quid ſi græcum ἰδίωμα calluiſſet? Non ſolum philoſophiæ, ſed etiam medicinæ intelligentiſſimus fuit: qua de re libros VII. conſcripſit, quibus titulum fecit, Colliget, quia univerſam pene medicinam complectuntur. Adiſis Symphor. Cambeg. lib. de claris medicis; Voſſium de Philoſoph. ſect. p. 90. & 91. qui eum eximiis laudibus proſequuntur. Verum ingenue fatendum longe plures & auctoritate clariores eſſe Averrois obtrectatores. Lud. Vives de cauſſ. corrupt. art. lib. V. p. 296. & 297. „Averrhoem Philoſophi de noſtra ſchola, ait, qui poſt eum ſcripſere, ita ſunt amplexati, ut pene auctoritate Ariſtoteli adæquarint, nec ſolum, qui longo poſt intervallo vixerunt, ſed qui illius quoque ætate: quod factum eſt & ignorantia meliorum, & admiratione mercimonii lingua, & ſenſis peregrini: ut gratiam ei conciliaret apud primos novitas, apud poſteros vetuſtas, nomen eſt Commentatoris nactus, homo qui in Ariſtotele enarrando nihil minus explicat, quam eum ipſum, quem ſuſcepit declarandum. Sed nec potuiſſet explicare etiamſi divino fuiſſet ingenio, quum eſſet humano, & quidem intra mediocritatem. Nam quid tandem afferebat, quo in Ariſtotele enarrando poſſet eſſe probe inſtructus? non cognitionem veteris memoriæ, non ſcientiam placitorum priſcæ diſciplinæ, & intelligentiam ſectarum, quibus Ariſtoteles paſſim ſcatet. Itaque videas eum peſſime Philoſophos omnes antiquos citare, ut qui nullum unquam legerit ignarus Græcitatis, ac Latinitatis„. Cœl. Rhodig. Lect. Antiqu. lib. III. cap. 11. Eraſmus, Phil. Mornæus de verit. Relig. Chriſt. cap. xx. Adr. Herebord. ep. dedic. ad ſelect. in Philoſ. Diſputat. Nulli religioni, uti volunt, erat addictus, quippe qui Mahumetanam, Religionem porcorum, Chriſtianam, Religionem impoſſibilem, Judaicam, Religionem infantium vocaret. Eandem circa tempeſtatem plures alii Arabes floruerunt, ut Albatenius

B

nius, Almanſor, Zour, Algazalus Mahometes, aliique.

XV. *Ariſtotelicæ Dialecticæ progreſſus cura G. Campellenſis. Præcipui Scholaſtici, P. Abael. P. Lombar. Al. de Hales.* Jam vero Arabes una cum dominatu in Hiſpaniam, Galliam, Italiam, aliasque Europæ partes Ariſtoteleam Philoſophiam attulerunt: quos ſtatim Chriſtiani ſunt imitati, atque extra ſcholas ſuas priſcis illis Timæo, Platone, Plotino, Plinio, Theophraſto, Cicerone, Seneca, aliisque id generis eliminatis, qui maximum afferre adjumentum poterant ad naturæ contemplationem, de cœlis, de elementis, de animantibus, de plantis, uni Ariſtoteli ſe addixere; atque ejus opera Arabum veſtigia ſecuti commentari ingenti cura & ſtudio cœperunt, ac præcipue Dialecticam, quippe quæ diſputandi artem præ ceteris excolat ac perficiat. Pariſiis potiſſimum ſub ſæculi XI. finem, initiumque XII. in ſcholis epiſcopalibus eam ſummo omnium plauſu tradere Guillelmus de Campellis Archidiaconus Pariſienſis, auſpicatus eſt: eodem ſcilicet anno, vel paullo ante, quo Urbanus II. omnium peccatorum remiſſionem atque indulgentiam cunctis iter Hieroſolymitanum aggredientibus publico edicto impertivit. Guillelmi fama ubique percrebreſcente, eum auditurus e Britannia Pariſios anno 1100., aut 1101. Petrus Abælardus tum adoleſcens dialectices ſtudioſiſſimus venit. Tum Guillelmus mundo vale dicens Canonicorum Regularium diſciplinam amplexus eſt: atque Abbatia S. Victoris prope urbem fundata, Catalaunenſis eccleſiæ præſul an. 1112. creatus eſt; quam quum annis ſeptem gubernaſſet, e vivis anno 1119. die 25. Januarii exceſſit. Guillelmus in ſuo e ſcholis diſceſſu, qui ſibi in philoſophico ſtudio promovendo, ſuccederet, diligenter ſelegit. Legeſis apud Bellarminum hujuſce viri opera. Valde demiratus ſum Jo. Baptiſtam Capaſſum, aliosque, Guillelmum de ſcholaſtica philoſophia optime meritum in ſuis philoſophiæ hiſtoriis haud commemoraſſe. Is primum claſſicum cecinit, ſed ſuo exemplo, atque induſtria plures viros magnos ad ea ſtudia excolenda induxit; qui-

quique in Stagyritæ interpretatione minime conſentientes, novas ſcholas inſtituerunt, de quibus verba facere oportet. Petrus Abælardus cognomento Dialecticus, natione Britannus, qui primum a recto virtutis tramite aberrans, deinde Petri venerabilis, ſanctique Bernardi opera ad bonam frugem redactus, ſancte ac religioſe vixit ad mortem usque, quæ ei 21. Aprilis 1143. ætatis ſuæ 63. contigit. Petrus Lombardus, Patria Novarienſis, Magiſter Sententiarum vulgo nuncupatus, Pariſienſis Epiſcopus obiit anno 1164. die 20. Julii. Alexander de Hales, natione Anglus ss. Bonaventuræ, ac Thomæ præceptor, demortuus anno 1245. atque in ſua Fratrum Franciſcanorum Eccleſia ſepulcro conditus eſt, cui hocce epitaphium fuit inſculptum:

Clauditur hoc tumulo famam ſortitus abunde:
Gloria Doctorum, decus & flos Philoſophorum &c.

XVI. *Albertus M., Thom. Aquinas.* Albertus Magnus Lavingæ apud Svevos ex nobiliſſima Dynaſtarum Bolſtatenſium familia ortus, Ordini Prædicatorum nomen dedit: præ aliis S. Thomam Aquinatem, & Thomam Cantipratenſem diſcipulos habuit: ab Urbano IIII. Pontifice maximo Ratisbonenſi epiſcopatu ad Danubium in Germania decoratus fuit: tandem litterarum amore, ac prioris otii ſtudio, Coloniam Agrippinam rediit, qua in urbe anno ætatis 87. (qui porro anno 1205. non 1193. natum faciunt, annos dumtaxat 75. vixiſſe ajunt) Reparatæ ſalutis anno 1280. 15. Novembris morte perfunctus eſt. „ Non ſurrexit, de ipſo Trithemius in de Script. Eccl. ſcripſit, poſt eum vir ſimilis ei, qui in omnibus litteris, ſcientiis, & rebus, tam doctus, eruditus, & expertus fuerit „. Neque id mirum ſi vera ſunt, quæ Dominicani Ordinis Annales referunt, ſcilicet eum hujusmodi ſcientiam beatiſs. Virginis Mariæ ope fuiſſe aſſecutum, ac quinquennio ante mortem Philoſophiæ oblivionem ab eadem Virgine obtinuiſſe, ut præ ceteris Konig. in Biblioth. narrat: „ Is ſectam Albertiſtarum condidit, & Ariſtotelis Philoſophiam s. Scripturæ æquiparavit. Ferdinandus Caſtillus, & Antonius Poſſevinus me-

morant, ipſum quinquennio ante mortem omnium, quæ in Philoſophia didicerat, oblitum: a B. Virgine autem impetraſſe, ne ſe in Philoſophorum opinionibus, ſed fide chriſtiana, & caritate mori ſineret „. Simoni Thurvavo Anglo, Pariſienſi Doctori ſimile quid contigiſſe ex Jo.Balæo Cent.111. notat Hornius. Is enim Dialecticus peracutus, qui circa ann. Chriſti 1200. vixit, quum in Chriſti Domini doctrinam impius eſſet, eamque ſe facili negotio refutaturam effutiret, omni non modo eruditione, ſed & loquela merito orbatus eſt. Quumque vocem recuperaſſet, neque litteras noſcebat amplius, neque orationem Dominicam; atque a filio litteras elementarias rurſus addiſcere coactus eſt. S. Thomas Angelicus Doctor vulgo appellitatus, in Aquino Latii urbe lucem primum vidit ex nobiliſſima comitum Aquinatum ſtirpe anno 1224. fratribus ac domeſticis omnibus ringentibus Dominicanum ordinem ingreſſus eſt, ac ſtudiis philoſophiæ, & Theologiæ ſub Alexandro de Hales, & Alberto M. peractis, anno 1255. una cum s. Bonaventura doctor theologus in facultate Pariſienſi creatus ad plures annos magna ſui nominis fama, auditorumque frequentia docuit. Inſignes Eccleſiæ honores ſibi oblatos conſtantiſſime repudiavit. A Gregorio X. pontifice ſummo ad concilium Lugdunenſe 11. advocatus anno 1274. in itinere vita deceſſit ætatis 50. in cœnobio Foſſænovæ ordinis Ciſtercienſis prope Amaſenum Campaniæ flumen. In omnem Ariſtotelis philoſophiam commentarios edidit. Schola, quæ ejus ſcita ac dogmata propugnat, Thomiſtarum ab ejus nomine eſt vocitata. Quid in ejus laudem adnectam? unum Erasmi viri κριτικοτατȣ elogium, qui in 1. Rom. pag.244. „ Thomas Aquinas, ait, vir non ſuo tantum ſæculo magnus. Nam meo quidem animo nullus recentium Theologorum, cui par ſit diligentia, cui ſanius ingenium, cui ſolidior eruditio, planeque dignus erat, cui linguarum quoque peritia, reliquaque bonarum litterarum ſuppellex contingeret, qui iis, quæ per eam tempeſtatem dabantur, tam dextre ſit uſus „. Quid quod eo parcior in lo-

loquendo, quo doctior erat? quare bos mutus a condiſcipulis contemtim vocabatur. Sed Albertus Thomæ ingenio perſpecto, bos hic, inquiebat, ſi mugire cœperit, totum orbem boatu ſuo implebit. Videſis Hornium hiſt. Philoſ. l. VI. c. IIII.

XVII. *Scotus, Durandus, Biel.* Joannes Duns Scotus, patria incertus, quippe quod Angli ſuum, Hiberni ſuum, Scoti ſuum, ſuum quoque Galli, & Itali eſſe aſſeverent. Magnam ſibi in Academia Pariſienſi famam peperit: in Dialectica, & ſpinoſa Theologia ad miraculum doctiſſimus, quo Doctoris Subtilis titulum promeruit, vel ut aliis placet, propterea quod immaculatam B. Virginis conceptionem ſolidiſſimis rationibus propugnarit. Diem extremum Coloniæ obiit ann. 1308. 8. Novembris ætatis ſuæ 33. vel 35. Anilis fabula eſt, Scotum in ecſtaſim familiarem morbum actum, atque a diſcipulis utpote mortuum fuiſſe adhuc vivum elatum ac ſepultum. Scotus in pleriſque s. Thomæ Antagoniſta fuiſſe perhibetur. Hinc Hornius Hiſtor. Philoſ. lib. VI. cap. 4. „ Præcipue, ſcripſit, Thomam ſibi impugnandum ſumſit tanta ſubtilitate, ut in illo ſcholaſtico dicendi genere nihil acutius, nihil accuratius, nihil abſolutius ſit. Cui ſi tempora elegantiorem cultum non invidiſſent, ſummis procul dubio in Philoſophia viris accenſeri potuiſſet „. Scotiſtæ ejus aſſeclæ nuncupati ſunt. Durandus a loco, ubi ortum traxit, a s. Porciano cognominatus, Dominicanus, ſacri Palatii magiſter, Epiſcopus porro in diverſis locis, mortuus dicitur 13. Novembris anno 1333. Guillelmus Occham natione Anglus, Scoti auditor, ejusque deinde impugnator, Occhamiſtarum, ſive Nominalium parens morte perfunctus eſſe traditur anno 1345. Gabriel Biel patria Spirenſis, Wittembergenſis Doctor, e vivis ſublatus eſt anno Æræ Vulgaris 1495. Hi, de quibus huc usque dictum eſt, novatum ſcholarum anteſignani pene omnes exſtitere. Supereſt, ut eorum hiſtoriam contexamus, qui in Ariſtotelis Dialecticam commentarios ediderunt, vel Peripateticas Logicas publici juris fecere. In anteceſſum fateor mihi animum haud eſſe exactam, atque omnibus numeris

abſolutam ejus rei hiſtoriam elucubrare: id enim opus perlongum, atque adeo infinitum foret: ſpecimen dumtaxat ejusmodi rei exhibere lectoribus meis optimum duco, tum quia inſtituti mei ratio id poſtulat, tum etiam quia, qui σύνοψιν Logicæ hiſtoriæ dederunt, ut plurimum provinciam hanc intactam præterierunt.

XVIII. *Logicæ Ariſtotelis interpretes ac ſequaces, Groſteſt &c.* Ac principio Robertus Groſteſt a Gallis dictus, id eſt, Groſſa teſta, in Anglia natus eſt. vir craſſi quidem capitis, ſed ſubtilis ingenii, magni cerebri, majoris judicii. Ad Epiſcopatum Lincolnienſem præ doctrina ac pietate aſſumtus, obiit anno 1253. Tractatus ſecundum Jo. Pitſeum plusquam ducentos, ſecundum vero Thomam Fuller. de reb. præcl. Angl. non pauciores, quam trecentos elucubravit. Ex præcipuis eſt Commentarius in libros Poſteriorum Ariſtotelis. Joannes XXI. pont. max. Ulyſſiponenſis, qui e vita migravit anno 1277., Summulas Logicales, Parva Logicalia conſcripſit, præter alia opera potiſſimum medica (profeſſione enim medicus primum fuit). De ejus ſummulis, Hornius lib. XI. Hiſt. Philoſ. c. IIII. ait „ Thoma non multum recentior fuit Petrus Hiſpanus, initio Cardinalis, poſtea Pontifex dictus Joannes XXI. qui magnam famam aſſecutus eſt Summulis ſuis Dialecticis „: quam ut extenuaret famam adjecit „ quas tamen ex Michaelis Pſelli Synopſi Organi Ariſtotelis compilavit „. Ægidius Columna Romanus, s. Thomæ Aquinatis diſcipulus, interfuit Viennenſi concilio, ac tandem ſupremum diem obiit Avenione die 22. Decembris 1316. ac Lutetiam inde ejus corpus delatum, atque in ſui Ordinis Eccleſia ſepultum eſt cum iſthac epigraphe: „ Hic jacet aula morum, vitæ munditia, Archiphiloſophiæ Ariſtotelis perſpicaciſſimus commentator, clavis & doctor Theologiæ, lux in lucem reducens dubia, Frater Ægidius de Roma Ordinis Fratrum Eremitarum s. Auguſtini, Archiepiſcopus Biturricenſis, qui obiit A. D. 1316. die 22. menſ. Decemb. „ Hieronymus Savonarola Ferrarienſis, Ordinis Prædi-

dicatorum, acris ingenii, ſummæque eruditionis vir, morum probitate clarus, in vitiis inſectandis vehemens adeo, ut præ nimia in prædicando, ac potiſſimum in carpendo Alexandrum VI., ac Romanam curiam libertate, primum concionandi facultate, deinde vita orbatus ſit anno 1498. ætat. ſuæ 46. Inter alia, Compendium Logices conſcripſit. Jacobus Faber Stapulenſis, Doctor Sorbonicus, vir corpore exiguus, ingenio maximus ad annos 101. vitam protraxit; Neraci in Aquitania ad plures abivit anno 1537., tum in Ariſtotelem ſcripſit, tum Dialecticam ipſe compoſuit, multaque ex receptis ſuo ævo opinionibus tanquam ex cœno traxit. Joachimus Perionius Benedictinus, Cormœniacenſis, natione Gallus, vir doctiſſimus, Ariſtotelis categorias; de Interpretatione, Prædicamenta, Analytica utraque; Topicorum, & Elenchorum libros latinitate donavit, & adnotationibus illuſtravit: diem extremum circa annum 1559. explevit. Dominicus Sotus Ordinis Prædicatorum, natus anno 1494. ac vita perfunctus anno 1560. plura ſcriptitavit, quæ inter ſunt commentaria in Porphyrii Iſagogen, Ariſtotelis Categorias, & libros de demonſtratione.

XVIIII. *Tomitanus, Toletus, Caſe, Fonſeca, Pacius*. Bernardinus Tomitanus, alius a Bernardino Tomitano Franciſcano, qui ſæculo XV. Aſcetica quædam compoſuit, Patavinus Philoſophus, ac Medicus, in cujus Archigymnaſio Logicam ad plures annos tradidit, præter Eclogas, & alia plura, Introductionem in Sophiſticos elenchos Ariſtotelis, & brevem methodum diluendorum Paralogismorum per diviſionem, præter illa, quæ Ariſtoteles habuit in elenchis; in Averrhoe contradictionum ſolutiones; opuſculum de ideis &c. elucubravit. Peſte tandem anno 1576. ſublatus eſt. Franciſcus Toletus, natione Hiſpanus, Cordubæ natus anno 1532. acerrimus Ariſtotelis propugnator, extremum vitæ ſpiritum edidit anno 1596. ſcripſit Introductionem ad Logicam, & Commentaria in univerſam Ariſtotelis Logicam. Joannes Caſe medicus Anglus, qui in uni-

verſitate Oxonienſi, ubi & lucis uſuram amiſit anno 1600., docuit, in Ariſtotelis Organum commentaria exaravit. Petrus Fonſeca e Societate Jeſu, natione Luſitanus, patria Viſenſis, Olyſſipone oculos in mortem clauſit anno 1619. æt. ſuæ 71. ſcripſit in Iſagogen Porphyrii, & libros VIII. Inſtitutionum Logicæ. Julius Pacius Philoſophus, juriſconſultus, hebraicæ, græcæ linguæ, ac liberalium fere omnium artium eruditiſſimus Vicentiæ in lucem editus eſt an.1550. atque an.1635.ab hominibus demigravit annos natus 85.Præter legales libros multos revera doctos, conſcripſit etiam Inſtitutiones Logicæ ad uſum ſcholæ Sedanenſis, Organum Ariſtotelis græco-latinum cum notis edidit; idem cum notis & commentariis; Rudimenta Logicæ; Doctrinæ Peripateticæ libros III. Logicum, Phyſicum, & Politicum; Logicas Diſputationes.

XX. *Ruvio*, *Averſa*, *Amico*, *Galitius*, *Oviedo*, *&c.* Verum ad eos gradum facio, qui fere omnes Peripateticæ philoſophiæ elementa in ſtudioſæ juventutis commodum elucubrarunt; atque ea occaſione Logicas quoque Inſtitutiones ſcholaſticis nugis ut plurimum refertis nobis exhibuerunt. Ac principio P. Antonius Ruvio Rhodenſis e Societate Jeſu „ commentarios breviores & maxime perſpicuos in univerſam Ariſtotelis Dialecticam una cum dubiis & quæſtionibus hac ætate agitari ſolitis condidit „ : anno 1610. qui Compluti ex officina Andreæ Sanchez de Ezpeleta in lucem prodierunt. P. Raphaelis de Averſa a Sanſeverino Clericorum Regularium Minorum „ Logica inſtitutionibus præviis, quæſtionibus contexta „ Romæ ex Jacobi Maſcardi typographio anno 1623. in publicum venit. „ In univerſam Ariſtotelis philoſophiam notæ ac diſputationes, quibus illuſtrium ſcholarum Averrhois, d. Thomæ, Scoti, ac Nominalium ſententiæ expenduntur, earumque tuendarum probabiliores modi afferuntur „ : hunc titulum operi ſuo fecit auctor P. Bartholomæus Amico ex Antio Lucaniæ Societatis Jeſu, & Philoſophiæ ac Theologiæ in Neapolitano Collegio olim profeſſor, quo quidem in opere Neapoli per Lazarum Scorigium

anno

anno 1623. edito, fuſiori, atque acutiori calamo res Logicæ verſantur. „ Totius Dialecticæ Summam ad mentem s. Bonaventuræ doctoris Seraphici ex ejuſdem ſcriptis majori, qua fieri potuit diligentia excerptæ, & in quatuor libros diſtributæ „ edidit F. Marcus Antonius Galitius de Carpendulo Brixienſis Ordinis Min. s. Franciſci Cappuccinorum Romæ apud Andream Phæum 1634. P. Franciſcus de Oviedo Madritanus e Societate Jeſu, Lugduni typis conſignavit 1640. „ Integrum curſum philoſophicum in ſummulas, Logicam, Phyſicam, de cœlo, de generatione, de anima, & metaphyſicam diſtributum ; „ cujus tomus 1. in fol. complectitur Summulas, Logicam, Phyſicam, libroſque de cœlo, & generatione. „ P. Illuminatus de Oddis a Colliſano Cappuccinus Panormi & iterum Neapoli 1670. typico prælo commiſit „ Logicam Peripateticam ad mentem Scoti, qua ſubtiliſſimi doctrina adhuc magis declaratur, defenditur roboratur. F. Fridericus Nicolaus Gavardus Mediolanenſis ordinis s. Auguſtini „ Philoſophiam Vindicatam ab erroribus philoſophorum gentilium juxta doctrinam beatiſs. P. Auguſtini Eccleſiæ doctoris, & beati Ægidii Columnæ ex ordine ejuſdem s. P. Auguſtini S.R.E. card. Archiepiſcopi Bituricenſis „ anno 1670. conſcripſit : in cujus prima parte res Logicas ſcholaſtico more verſavit. P. F. Jo. Antonius Ambroſinius ex Carthiceto oppido Piceni Ord. Min. Reg. Obſ. elucubravit „ Enchyridion philoſophicum univerſam Ariſtotelis philoſophiam compendioſe complectens, juxta mentem Scoti doctoris ſubtilis „. P. Antonius Goudin ord. Prædic. „. Philoſophiam juxta inconcuſſa, tutiſſimaque d. Thomæ dogmata quatuor tomis comprehenſa edidit, cujus primus tomus Logicam minorem majoremque complectitur. Id operis, quippe quod accurate compilatum ſit, pluries lucem vidit. P. Andreas Semery Remus e ſoc. Jeſu Summulas una cum quæſtionibus typis mandavit anno 1682. Jo: Baptiſta du Hamel „ Philoſophiam veterem & novam ad uſum ſcholæ accommodatam in lucem emiſit, cujus primum volumen Logicam continet. Iſthæc clariſſimi

au-

auctoris elucubratio ſuit pluries recuſa. Verum ne tædio lectori meo ſim recinendo operum ejusmodi titulos, qui ut plurimum in idem recidunt, paucis dicam ejusdem ſurfuris Logicas fuiſſe quoque typis commiſſas ab Antonio Caſilio e ſoc. Jeſu, a P. Vincentio Ciorla min. Convent., a P. Jo. Gabriele Boyvin fratre Minore ſtrictioris Obſervantiæ, a F. Sebaſtiano Dupasquier Min. Con., a P. F. Jacobo Caſimiro Guerinois Cenomanenſi ord. Præd., a P. F. Paulo Maria Cavvino de Nicæa ejusdem ord. Præd. a P. Jo: Baptiſta de Benedictis e ſoc. Jeſu, a PP. Bartholomæo Maſtrio de Meldula, & Bonaventura Belluti de Catana ord. Min. Conv., & paucis ab hinc annis a P. F. Joſepho Antonio Ferrario de Modoetia. Sed elegantiſſimam Ariſtotelicam Logicam lectuque dignam habuimus a viro clariſſimo Jacobo Facciolati.

XXI. *Stoicorum Dialectice.* Jam ad Stoicos gradum faciamus; quorum caput Zenonem Citticum fuiſſe ajunt: quique poſtquam Cratetem Cynicum, Stilponem Megarenſem, Xenocratem, Diodorum Cronum, & Palemonem audiverit, ad porticum quandam Athenis celebrem ſe contulit, quæ στοὰ ποίκιλη porticus varia ob varias expertiſſimi Polygnoti picturas, & piſianactia quoque nominabatur. In ea Cynicam philoſophiam emendatam docere cœpit diſcipulos ſuos, qui a porticu græce στοᾶ Stoici, latine Porticenſes, vel Porticuarii nuncupati ſunt; prius vero Zenonii a præceptoris nomine dicebantur. Stoici, in tres partes, uti jam ſuperne obſervatum eſt, philoſophiam totam dividebant, in moralem nempe, naturalem, & rationalem. Rationalem in hunc modum ſecabant apud L. Annæum Senecam epiſt. LXXXIX. „ Supereſt, ut verbis hujuſce acutiſſimi Philoſophi utar, ut rationalem partem philoſophiæ dividamus. Omnis oratio aut continua eſt, aut inter reſpondentem & interrogantem diviſa. Hanc διαλεκτικὴν illam ῥητορικὴν placuit vocari: hæc verba curat, & ſenſus, & ordinem: διαλεκτικὴ in duas partes dividitur, in verba, & ſignificationes id eſt, in res quæ dicuntur, & vocabula,

bula, quibus dicuntur. Ingens deinde ſequitur utriusque diviſio. Itaque hoc loco finem faciam; .... & ſumma ſequar faſtigia rerum. Alioqui ſi voluero facere partium partes, quæſtionum liber erit „. In hac ſchola Logices ſtudia ſummopere floruiſſe, vel inde conjicere licet, quod neminem poſſe ea arte deſtitutum ſapientem eſſe arbitrarentur. Chryſippus illuſtris hujuſce ſcholæ alumnus, Laertio teſte lib.VII. ſeg. XLVI. libros de re logica 311. elucubravit. Si Kekermanno fidem adiungimus Stoicorum, communi Sophiſtices vitio, Dialectica polluta fuit. Verum accurate Stoicos definiiſſe, diviſiſſe, ratiocinatos eſſe a libris Stoicorum, ac potiſſimum doctiſſimi viri L. A. Senecæ, qui adhæc ſuperſunt, pleniſſime erudimur. Stoicam Philoſophiam illuſtrandam ſuſceperunt inter recentiores Juſtus Lipſius, & Gaſpar Scioppius. Primus ad Philoſophiam quod attinet ſcriptitavit: Manuductionis ad Stoicam Philoſophiam lib. III.; Phyſiologiæ Stoicorum lib. III. De Conſtantia lib. II. De Lipſio, ejusque operibus, ita Jonſius de Script. Hiſtor. Philoſ. p. 144. „ Imprimis eo tempore Juſtus Lipſius, grande ſeculi decus, aliquam lucem doctrinæ morum attulit, editis ſcriptis nonnullis doctiſſimis, quibus Stoicam Philoſophiam potiſſimum ex Senecæ, & Epicteti libris explicavit. Cujus Philoſophiæ ſpecimen primum complexus eſt libris duobus, quos de Conſtantia ſcripſit (ut ipſe fatetur in præfatione prima libris de Conſtantia præmiſſa) &c. „. Secundus Elementa Philoſophiæ Stoicæ Moguntiæ 1606. 8. edidit, quæ ſæpe doctos fallunt, quos latet eſſe majoris operis ubivis obvii particulam. Videſis Mohroff. Polyhiſt. part. II. lib. I. cap. IIII. §. 2.

XXII. *Epicureorum Logice.* Convertamus nunc nos ad Epicureorum ſectam. In horum principem Epicurum, qui in lucem prodiit ann. 341. diem vero ſuum obivit ann. 269. ante Ær. Vulg. nimius Cicero de finib. lib. I. c. VII. fuit, ſcribens eum in logica arte nudum atque inermen fuiſſe; quandoquidem conſtat hunc vitum Stoicorum, & Peripateticorum dialecticen, ſophiſticen, & eri-

& eriſticen deſpectui habuiſſe, ut qui veram Logicam impenſe coleret. Quocirca Georgius Walchius in hiſtor. Logic. inter veteres neminem Epicuro melius de arte logica meritum eſſe exſiſtimavit. Epitomen Canonicæ Epicuri (id nomen Logicæ imponere ei volupe fuit) apud Diogenem Laertium lib. X. ſeg. xxx. legere licet, qui in deſcribenda Epicuri Philoſophia adeo copioſus eſt, ut huic ſectæ ipſe addictus fuiſſe videatur. Eam doctis commentariis illuſtravit celeberrimus Epicureæ Philoſophiæ reſtaurator Petrus Gaſſendus prope Diniam in Gallia natus anno 1592. atque Eccleſiæ Dinienſis Præpoſitus effectus, nec non regius in academia Pariſienſi Matheſeos profeſſor e vita exceſſit anno ætatis ſuæ 63. Æræ autem Chriſtianæ 1655.

XXIII. *Dialectice Eclecticorum*. Eorum Philoſophorum hiſtoriam logicam huc usque pertexuimus, qui certæ cuidam ſectæ adſcripti erant, reliquum eſt, ut de iis agamus, qui Eclecticum philoſophandi morem in deliciis habuerunt. Nova iſtorum familia, ex eo quod optima quæque a Philoſophis omnibus excogitata, magna acribia, exquiſitoque delectu excerpſerit ac ſelegerit, Ἐκλεκτικὴ a Græcis, a Latinis vero Electiva, & Electrix nuncupata eſt. Potamon Alexandrinus hujuſce ſectæ fundamenta jecit temporibus C. Auguſti & Tiberii, paullo ante Laertii ætatem, qui rectius ſapere, ait, incipientes non pauci, nullius addicti jurare in verba magiſtri, veritatem, ubicumque lateret, ſequi cœperunt. Quod quidem philoſophandi genus hoc pacto Clemens Alexandrinus I. Strom. p. 188. inſignis ejus ſcholæ alumnus eleganter deſcribit: „ Philoſophiam autem dico non Stoicam, nec Platonicam, aut Epicuream, & Ariſtotelicam, ſed quæcumque ab his ſectis recte dicta ſunt, quæ docent juſtitiam cum pia ſcientia, hoc totum ſelectum dico Philoſophiam „. Eclectici Philoſophi veram Logicam callerent oportebat; nam ex quavis ſecta quum meliora ſeligere ſtudebant; & recte judicandi, & vera a falſis diſcernendi; & ſolida ab inanibus diſtinguendi regulas noſcerent neceſſe erat.

Duo

Duo criteria, Potamon ex Laertio, & Suida, veri cognoſcendi poſuit; alterum quidem a quo judicium feratur, atque hoc τὸ Ἡγεμονικὸν, animi principatum, ſive mentem, vel rationem eſſe aſſeruit: alterum vero per quod judicium feratur, quod Ἀκριβεςάτην τῶν φανταςιῶν, accuratiſſimam imaginationum, eſſe dixit. Aut igitur quicquam clare diſtinčteque ἀπὸ τοῦ Ἡγεμονικοῦ a mente ſive ratione percipitur, atque id verum erit: aut clara & ἀκριβεςατὴ impreſſio in cerebrum per ſenſus facta, & objectum repræſentans, talis fuerit a mente judicata, & vera quoque erit. Hujuſce ſcholæ alumni ex Paganis Herennius, Sopater Syrus, Ædeſius, Chryſanthius, &c. ex Chriſtianis vero Ammonius Saccas, Cl. Alex., Origenes Adamantius, Gregorius Thaumaturgus, Lactantius Firmianus, &c. celebriores fuerunt. Quam plurimi ex recentioribus Philoſophis, & fortaſſe doctiores ac naſutiores eandem philoſophandi rationem uſurpant.

XXIIII. *Philoſophiæ ac Dialecticæ emendatio. Sectarum diviſio.* Renaſcentibus bonis litteris, verbis loquor Jo. Franciſci Buddei Hiſtor. Philoſ. ſuccincta delineatione pag. 74. longe alia cœpit eſſe Philoſophiæ facies, viris doctis certatim Scholaſticæ Philoſophiæ jugum excutientibus; qui tamen non unam, eandemque omnes ingreſſi ſunt viam. Quidam enim nævos, & barbariem ſaltem Scholaſticæ Philoſophiæ perſtrinxerunt, & de alia Philoſophia ſuſtituenda in ejus locum non fuere ſolliciti: alii unam ex veteribus ſectis reſtaurandam ſibi ſumſerunt: alii novam prorſus Philoſophiam condiderunt. Ad primam claſſem referri poſſunt, qui in humanioribus litteris reſuſcitandis operam, ſtudiumque collocarunt. Licet enim haud pauci illorum certæ ſectæ dederint nomen ſuum, in eo tamen conſenſerunt, idque egerunt magno conatu, ut Scholaſticorum barbariem profligarent. Sed præ ceteris tamen ſuo veluti jure huc referendi ſunt Jo. Ludovicus Vives, Laurentius Valla, Marius Nizolius, Hadrianus Cardinalis, atque alii „. Ad quam claſſem eos quoque referendos duco, qui rejecta ſcholaſtica Philoſophia, Ariſtotelem

lem ipſum ducem, magiſtrumque elegerunt, magno ſtudio in ſcholas, & Academias eum reducentes. Tales fuerunt Nicolaus Leonicus Tomæus, Petrus Pomponacius Mantuanus, Auguſtinus Niphus Sueſſanus, Daniel Barbarus Venetus, Cæſar Cremoninus, Petrus Victorius, Antonius Montecatinus, Cyriacus Strozza, Alexander, & Franciſcus Piccolominæi, Jacobus Zabarella, Petrus Jo. Nunneſius Valentinus alter a Petro Nunnez ſive Nonnio Luſitano, Cornelius Martini, Phil. Scherbius, Michael Piccartus, Erneſtus Sonerus, Chriſtophorus Drejerus, Melchior Zeidlerus, Jo. Zeiſoldus, Hermannus Conringius, Jo. a Felden, aliique. Atque huc tranſcribendum exſiſtimo, quod ceteris omiſſis, de Laurentio Valla κριτικωτάτῳ viro judicium tulit acutiſſimus Jo. Ludovicus Vives de cauſ. corrupt. Art. lib. 3. in fine, ut ſemel ediſcatur, facilius eſſe rei alicujus nævos detegere atque notare, quam eam perficere, abſolutamque reddere „: Laurentius Valla, inquit, aggreſſus eſt reconcinnationem facere Dialecticæ, in qua diſſentit ab Ariſtotele, & Peripateticis veteribus, & novis. Monet in quibusdam neutiquam prave, etſi ea ſunt perpauca; in plerisque labitur, ut fuit vir ille vehemens, & ad faciendum judicium præcipitatus. Nec ſolum in re Dialectica falſus eſt, ſed in Philoſophia, nam hanc quoque attingit, &, quod magis mirere, in præceptis Latinæ linguæ. Sed non minus illhic improbando aberravit, quam in elegantiis, & invectivis. Ceterum Dialecticæ illius errores, qui ſunt ſane multi, nos vel omittemus prorſum, vel in aliud tempus, ſi videbitur, reſervabimus: nam ſuſcipere cum eo diſputationem, res eſſet nimium prolixa, minimeque in præſens neceſſaria, quod illius argumenta nec magnis rationibus nituntur, nec proinde ſunt ab ullo recepta, tanquam dogmata artis hujus „. Huic adjiciendus quoque eſt Petrus Ramus natione Gallus, patria Veromanduus natus ann. 1515. interemtus vero in laniena Pariſienſi ann. 1572. quo de varia eſt auctorum cenſura, unus & alter interim audiatur. Hornius

nius

nius Hiſtor. Philoſ. lib. VI., c. 11. „. Succedit ſecta altera celebris, quæ Ramæa eſt. Hæc initium ſumſit non a Ramo, ſed jam olim aſſenſores habuit, & auctores eos, qui relicta Peripatetica ſchola quidvis ſibi ſtatuendum putarunt. Quales ſuperiore ſeculo fuere Laurentius Valla, & Ludovicus Vives. Nam quam multa ex Valla mutuatus ſit Ramus, Jac. Carpentarius ipſi Ramo demonſtravit. Addunt alii, ex Rodolpho Agricola magnam inventionis partem deſumſiſſe. Quæ ut negari omnino non poſſunt, certum tamen eſt, eos Ramo potius occaſionem melius de rebus ipſis cogitandi, quam ipſas res dediſſe. At quum de Ludovico Vives agitur, inquit Kekermannus, iſta excuſatio loci nihil habitura eſt: ibi enim generalia omnia, & pleraque particularia, quæ Ramus tanta cum pompa Philoſophis Italis, Gallis, Germanis tanquam ſua inventa proponit totidem verbis reperias in Ludovici Vives Commentariis de cauſſis corruptarum artium, & de tradendis diſcipulis multo ante, quam Rami quicquam in publicum appareret, evulgavit. P. autem Ramus homo dexterrimi judicii, ſolidæ doctrinæ, & liberrimi judicii, quam quoquo modo ad famam, etiam per alienæ exſiſtimationis ruinam, ſibi contendendum putaret; ex omnibus antiquis Ariſtotelem exagitandum, atque explodendum ſibi ſumſit; adeoque ea quæ ex Valla, & Vive hauſerat, velut interpolata in lucem emiſit„. Buddeus Hiſt. Phil. ſuccincta delineatione p. 77. „ Longe majori ſtrepitu, inquit, ab Ariſtotele ſeceſſit P. Ramus, qui ex eloquentia omnem Philoſophiæ, præſertim Logices, uſum metiens, ad id omnes labores ſuos comparatos voluit: unde quædam in Ariſtotelis Dialectica immutavit. Quod indigne ferentes Peripatetici Petrus Galandius, Antonius Goveanus, Cornelius Martini, Joachimus Perionius, & Jacobus Carpentarius, acriter in ipſum inſurrexerunt. Hinc magno fervore in Gallia, & Germania inter Peripateticos, & Ramiſtas de nugis, & ineptiis decertatum eſt. In Rami partes conceſſerant Philippi Melanchthoni ſectatores. Quidam Me-

Melanchthonem cum Ramo (a quo non multum ille diſcrepabat) aut Ramum cum Ariſtotele concordare conati ſunt: inter quos primas tenet Bartholomæus Kickermannus „ . Dialectica Ramiſtica in Anglia, Scotia, Germania diu floruit, & Ictis potiſſimum arriſit, Keckerm. in Præcogn. Log. tract. II. c. IIII., atque adhucdum Helvetiis aliquo in pretio eſt „ . Inter ſectatores Rami a Jonſio adnumerantur Rennemannus, Jo. Cramerus, Gerhardus, & Arnoldus, Bottii fratres, aliique plurimi.

XXV. *Veterum ſectarum reſtauratores*. Jam vero qui aliquam ex veteribus ſectis ſuſcitarunt hi ſunt, nimirum Georgius Gemiſtus Conſtantinopolitanus, Card. Beſſarion Archiepiſcopus Nicæus, Marcus Muſurus Archiepiſcopus Raguſeus; uterque Picus Mirandulanus, patruus Jo. Franciſcus, qui Romæ nongentas theſes in omni ſcientiarum genere diſputandas propoſuit; quarum quingentæ ſunt in Philoſophia veterum, Mathematica, Cabala, & Magia; Jo. Franciſcus Galeotti Pici fratris Jo. Franciſci Pici filius, Joannes Weſſelus Groningenſis; Marſilius Ficinus Florentinus presbyter; cujus tumuli Epigraphe ab Angelo Politiano confecta iſthæc fuit:

Mores, Ingenium, Muſas, Sophiamque ſupremam,
Vis uno dicam nomine? Marſilius,

Franciſcus Patricius Venetus, qui Platonicam Philoſophiam in ſcholas, & Academias reduxerunt. In vita P. D. Matthæi Boſſi Veronenſis Can. Reg. Lateranenſ. a P. D. Antonio Pallavicino conſcripta, atque adjecta opuſculo de ſalutaribus animi gaudiis in Italicum ſermonem verſo, illius clariſſimi viri, cujus perdoctas lucubrationes in unum collegit, ac Bononiæ typis conſignavit dilingentiſſimus P. D. Julius Ambroſinius anno 1627. legere licet Boſſum, Laurentii Medicei doctorum omnium ſui ævi Mecænatis juſſu, cui a ſacris confeſſionibus erat, Conventibus Platonicis adfuiſſe, quos in amœniſſimis collibus Fœſulanis, atque in ſuo Caregiano Rure, ſæpiſſime habebat nobiliſſimus ille princeps, quibus intererant celebriores, ac doctiores viri ejus ætatis, ni-

nimirum Marſilius Ficinus, Angelus Politianus, Picus Mirandulanus, Argyropylus, Hermolaus Barbarus, Scala &c., atque ibi de Platonis doctrina diſſerebant. Quocirca fallitur cl. Heineccius dum ſcribit Elem. hiſt. Philoſ. p. I. c. IIII. §. CIIII. Jo. Picum Mirandulanum Pythagoream Philoſophiam ſuſcitaſſe. Haud me præterit ipſum non ſolum Platonis, ſed etiam Ariſtotelis, aliorumque Philoſophorum doctrinas optime calluiſſe. Peripateticam cum Platonica Philoſophia copulaſſe vel ex eo liqueſcit, quod propugnandum in ea theſi ſuſcepit, quæ ſic habebat: „ Nullum eſt quæſitum naturale, aut divinum, in quo Ariſtoteles, & Plato ſenſu, & re non conveniant, licet verbis diſſentiant „. Quod quidem ante eum iisdem pæne verbis jam Simplicius aſſeruerat. Jo. Reuchlinus, Henricus Morus, Franc. Georgius Venetus, Henricus Cornelius Agrippa, aliique Pythagoræ philoſophiam e cineribus excitarunt. Utrique, illi cum Platonica, hi cum Pythagorea philoſophia Cabbaliſtica Judæorum arcana conjunxerunt. Bernardinus Teleſius Conſentinus Parmenidis philoſophiam, poſthabita Ariſtotelea, inſtaurare cœpit. Juſtus Lipſius, & Caſpar Scioppius Stoicam revocarunt. Petrus Gaſſendus Epicuream expolivit, atque catholicam, ut ita dicam, reddidit: auditores & diſcipulos habuit Franciſcum Bernierium, Michaelem Neureum, alioſque plures, quos inter adnumerandi ſunt Gualterius Charletonius Anglus, Volferdus Senguerdus.

XXVI. *Novorum philoſophiæ ſyſtematum cuſores*. Denique, ut ad eos qui nova philoſophiæ ſyſtemata excogitarunt, gradum faciam, ii primum mihi occurrunt, qui omnium Paganorum rejectis doctrinis, philoſophiam veram ex Scriptura ſacra ac potiſſimum ex Moſaicis libris petendam eſſe aſſerebant. Quam philoſophiam Moſaicam & Chriſtianam dixerunt: quam profeſſi ſunt Libertus Fromondus, Caſpar Mauritius, Ludovicus de Beaufort, Jo. Crellius, Conradus Aslachus, Jo. Amos Comenius, Jo. Bayerus, Lambertus Danæus, Thomas Burnetus,

tus, Dethlerus Cluverus, Edmundus Dickinſonus. Verum quum iſtorum plerique, aut jam alterius philoſophiæ placitis imbuti ſint, aut proprias hypotheſes ſecum afferant, & iisdem Scripturam ſacram, & hiſtoriam Moſis accomodent, non magnopere inter ſe diſſentiunt. Galilæus Galilæi Florentinus natus Piſis 1563., quo de ita Rapinius Animadv. in Philoſ. ſect. xviii. Gall. ſcribit: „ Inter omnes Philoſophos recentiores, qui celeberrimi fuerunt, ſunt Galilæus Italus; Bacon, Hobbes, Boyle Angli; Gaſſendus, Des Cartes Galli; Van Helmont Belga. Galilæus omnium ſollertiſſimi ingenii eſſe videtur. Hinc meo quidem judicio, Neotericæ Philoſophiæ parens dici poteſt. Ejus methodus cum illa Platonicorum valde affinis eſt: jucundus eſt ejus ſtilus &c. „ Obiit ann. 1642. æt. 78. Renatus Carteſius ortus Hagæ Turonum ann. 1596. novum omnino ſyſtema conſtruxit: atque rebus tum metaphyſicis, tum phyſicis miram lucem allevit. E vita exceſſit Holmiæ in Svecia ann. 1650. Quocirca præterire ſilentio minime debeo, quod eruditiſs. Huetius cenſur. Philoſ. Carteſ. obſervavit: „ Exſtitit, inquit, inter novitios philoſophos Jordanus quidam Brunus Nolanus, quem Carteſianæ doctrinæ anteſignanum jure dicas, accurate omnem propemodum ejus compoſitionem præſignavit in eo libro, quem de Immenſo, & Innumerabilibus inſcripſit. Obſervatum eſt id etiam in Actis Lipſienſibus m. Jun. 1682. pag. 187. & in Dict. verb. Brunus a Bælio. Aſſeclas habuit celebriores Henricum Regis, Danielem Lipſtorpium, Hadrianum Heerebordium, Ludovicum de la Forge, Joannem Claubergium, Tobiam Andreæ, Mariottium, Jacobum Rohaultium, Petrum Silvanum Regis, Nicolaum Malebranchium, Antonium Grandium, Edmundum Purchotium, alioſque plures, quorum omnes, alii vero nonnullas Carteſii ſententias amplexati ſunt. Gotofridus Guilielmus Leibnitius Lipſiæ natus 1646. „ Mathematicus inſignis, inquit Jo. Franciſcus Buddeus in epitome hiſt. Phil. adnotat ad §. xxxi. c. vi. pag. 490. ingenioque tam
vaſto

vaſto præditus, ut nulla fere ſit pars eruditionis, quam non attigerit. Ad Philoſophiam, quod attinet, tantum abeſt ut Carteſii aliorumque recentiorum placita prorſus calculo ſuo approbaverit, ut Scholaſticorum contra laudaverit philoſophandi rationem, earundemque labefactatam hactenus, & tantum non calculatam, poſtliminio reſtituere auctoritatem aggreſſus ſit. „ Leibnitianorum dogmatum propugnator eximius exſtitit Chriſtianus Wolfius. Iſaacus Neutonius natione Anglus in lucem proditus ann. 1642. novum philoſophandi ſyſtema commentus eſt, quo ſibi magnam apud omnes famam comparavit. Ad plures abivit vir iſte doctiſſimus ann. 1727. æt. ſuæ 85. Innumeri ſunt inter recentiores philoſophos, ſequaces ejus quorum nonnullos dumtaxat huc recenſebo nimirum Guilielmum Jacobum Graveſandium, Davidem Gregorium, Samuelem Claarkium, Georgium Keineum, Henricum Pembertonium, Joannem, & Jacobum Keill, Petrum Muſſchenbroekium: queis accenſendus eſt etiam celeberr. poeta Benedictus Stay in Rom. Archigymnaſio publ. Eloquentiæ profeſſor, qui verſibus explicandam nuper ſuſcepit Neutonianam philoſophiam. Quibus rebus expoſitis, intermiſſam Logicæ hiſtoriam reſumamus oportet.

XXVII. *Baconis, Gaſſendi, & Hobbeſii in Logicam merita.* Franciſcus Baco, Verulamii Baro, Sancti Albani Vicecomes, ſummus Angliæ Cancellarius, in qua ann. 1571. natus eſt. „ Primus tempeſtatis illius, verba ſunt Jonſii de ſcript. Hiſt. Phil. lib. III. cap. XXVII. Philoſophiæ imperfectionem adſpiciens, ejus reformationem ſuſcepit. Hinc de Augmentis ſcientiarum librum edebat ab omnibus maximo cum applauſu exceptum, in quo præter alia omnem hiſtoriam litterarum, & Philoſophiæ ſolidioris ſapientiæ ſtudiis deditis maxime commendabat, inculcabat. Idem libro profuit, quem de ſapientia Veterum ſcripſit, in quo Mythologicam Veterum Philoſophiam nobis expoſuit. Eidem Regiæ ſocietatis initia etiam debentur . . . . . Omnia ejus opera uno volumine, quæ exſtant Philoſophica, Moralia, Politica, Hiſtorica cum vita (Baconis)

ab anonymo deſcripta (cujus auctor Henning. Wittenius, teſte Placcio in Theatro) ultima vice Francofurti ad Mæn. 1665. fol. prodierunt „. In Ephemerid. Erudit. Gall. 8. Mart. 1666. præ ceteris hujus docti viri operibus magnifice commendatur ejus Novum Organum, in quo veram atque ab omnibus tricis expeditam Logicam docuit. Opus quod ipſemet auctor plurimi faciebat; cuique conſcribendo ac perficiendo octodecim annis inſudaſſe fertur. Hujuſce hominis veſtigia plures dein preſſerunt, & in Dialectica perpurganda atque augenda magnos labores exantlarunt, ut Petrus Gaſſendus celeberrimus ille Epicureæ Philoſophiæ reſtaurator; quo de ut ceteros mittam, qui ejus elogium texuerunt, ita acutiſs. Jo. Launojus Epiſt. de Gaſſendo ſcribit „ In eo peracre ingenium, & judicium, incredibile ſtudium, labor indefeſſus, ſingularis in afferenda veritate methodus, varia eruditio, eaque exquiſitiſſima terſa & laborata ſcriptio, bonitas eximia, & pietas, vitæ gravitas, morumque integritas ſumma, frugalitas priſca &c. „ Is optime de re logica meritus eſt; quippe qui ſcriptitarit, de origine, & varietate Logicæ, de fine Logicæ, & Logicas Inſtitutiones. Huic adjungendus eſt Thomas Hobbeſius, natione Anglus, ortus Malmesburiæ 1588., qui vulgo Atheus audit, etſi non deſint, qui eum ab iſthac infami nota purgare conentur. Is, fidem ſi Rapinio Animadv. in Vet. & Nov. Philoſ. ſect. XVIII. & Animadv. in Phyſ. ſect. IIIIV. Gall. habemus „ obſcurus eſt, gratiarumque expers; in ſuis ideis ſingularis, eruditus, parum tamen ſolidus; in ſua doctrina inconſtans; modo enim Epicureum, modo Peripateticum ſeſe exhibet . . . . . Magnam ingenii profunditatem oſtendit, & etiam inter poſtremorum horum ſeculorum Epicureos audaciſſimus eſt, eorumque in omnibus principia, nequaquam ſibi temperans, ſectatur. In omnibus, quæ mentem, ejuſque principales operationes reſpiciunt, perperam ratiocinatus eſt, horum ſcilicet principium phantasmatibus, & imaginationi tribuens „. Anno 1658. librum edidit de Homine, in quo tribus

bus ſectionibus integrum Philoſophiæ ſuæ ſyſtema abſolvit: quarum prima de corpore, ſecunda de homine, tertia de cive pertractat. Primæ autem ſectioni Logicam, ſive quo nomine ipſe appellat, Computationem præmittit, inque ea de Philoſophia in genere, & de nominibus, tum de Philoſophia prima, ſive notionibus generalibus naturali Philoſophiæ præmittendis, de loco & tempore; corpore & accidente; cauſſa & effectu; potentia & actu diſſerit. In ſecunda ſectione autem de Homine agens, occaſione argumenti de natura viſionis, totam fere opticam exponit. Tertiæ notiſſimos libros ſuos politicos inſerit. Hobbeſio magna fuit cum Gaſſendo, & Merſenno, quum apud Gallos moraretur, neceſſitudo. Contra aliorum, & potiſſimum Carteſii odium in ſe concitavit: de quo nunc loqui oportet.

XXVIII. *Carteſii, Claubergii, Arnaldi, Malebranchii, & Purchotii Logicæ elucubrationes.* Renatus des Cartes, vulgo Carteſius, vir procul dubio ingenioſiſſimus, ac doctiſſimus, regulas veri inveniendi a Scholaſticis traditas inutiles, ac vanas deprehendens, imo integram iſtorum Dialecticam, utpote ineptiis ac nugis plenam contemnens, aliam excogitavit, eamque breviorem, utilioremque: „ ſic pro immenſa multitudine præceptorum, (inquit in diſſert. de Methodo recte utendi ratione, & veritatem in ſcientiis inveſtigandis) quibus Logica referta eſt, ſequentia quatuor mihi ſuffectura eſſe arbitratus ſum, modo firmiter & conſtanter ſtatuerem, ne ſemel quidem ab illis toto vitæ meæ tempore deflecterem „. Accipe nunc ex ipſomet Carteſio loc. cit. iſthæc quatuor, quæ tanti ab eo ducebantur „. Primum erat, ut nihil umquam veluti verum admitterem, niſi quod certe & evidenter verum eſſe cognoſcerem; hoc eſt ut omnem præcipitantiam, & anticipationem in judicando diligentiſſime vitarem; nihilque amplius concluſione complecterer, quam quod tam clare & diſtincte rationi meæ pateret, ut nullo modo in dubium poſſem revocare. Alterum, ut difficultates, quas eſſem examinaturus, in tot partes dividerem, quot expe-

diret ad illas commodius reſolvendas. Tertium, ut cogitationes omnes, quas veritati quærendæ impenderem, certo ſemper ordine promoverem: incipiendo ſcilicet a rebus ſimpliciſſimis, & cognitu facillimis, ut paullatim, & quaſi per gradus ad difficiliorum, & magis compoſitorum cognitionem aſcenderem; in aliquem etiam ordinem illas mente diſponendo, quæ ſe mutuo ex natura ſua non præcedunt. Ac poſtremum, ut tum in quærendis mediis, tum in difficultatum partibus percurrendis, tam perfecte ſingula enumerarem, & ad omnia circumſpicerem, ut nihil a me amitti eſſem certus „. Scripſit quoque Carteſius tractationem quamdam „ de mentis directione „ quæ poſt ejus obitum gallice, & latine typis commiſſa eſt, in qua optimas philoſophandi regulas tradit. Inter Carteſii aſſeclas, Logicæ artis cultores, celebriores ſunt Claubergius, Auctor artis cogitandi, Malebranchius, aliique. Joannes Claubergius anno *1622.* natus, ac vita perfunctus anno *1665.* inter cetera, quæ elucubratus eſt opera, poſt ejus obitum binis voluminibus in 4. contenta, ac typis Amſtelodamenſibus mandata Logicam quoque conſcripſit adeo præſtantem, ut reliquis ejus lucubrationibus palmam præripiat: eam in duas diviſit partes, Geneticam ſcilicet, & Analyticam: altera nos recte cogitare docet; altera, ut rite aliorum cogitata intelligamus. Doctiſſimam inſuper Logicam Carteſianam dedit vir quidam adhucdum eruditis incertus, cui hunc titulum fecit: „ La Logique, ou l'art de penſer „. Attribuunt eam alii Nicolio, alii Trognio, alii pluribus e Portu Regio ſcriptoribus, alii denique, & rectius, Antonio Arnaldo viro illi celeberrimo, atque in litteraria hiſtoria quum ob ejus perdoctas lucubrationes, tum ob ejus perpetuam Janſenianis erroribus adhæſionem notiſſimo. Adeo accurate ſcripſit, ut Boelæi ſententia „ ipſe ſit omnium, qui quicquam typis conſignarint, doctiſſimus „. Quod quidem judicium num a veritate ſit alienum quiſque eruditus per ſe dignoſcere potis eſt. Iſtiuſmodi opuſculum in varias linguas translatum eſt,

præ-

præcipue in Latinam pluries, & in Italam, quam linguæ quum gallicæ, tum latinæ ignari legere poſſunt. Præclarum etiam opus Logicum quatuor voluminibus in poſtrema editione comprehenſum eſt illud Nicolai Malebranchii ſacerdotis oratorii gallicani Domini Jeſu, quod anno 1673. publici juris fecit, inſcriptum: „ De la recherche de la veritè „ ideſt de inquiſitione veritatis. Latinitate hoc quoque, ut decebat, ſtatim ac lucem vidit, donatum eſt. Edmundus Purchotius Senonenſis in lucem editus anno 1651., ac fato functus anno 1734. annum agens 83. Plura ſcripſit, inter quæ ſunt Inſtitutiones philoſophicæ, quarum prima pars Logicam, neque ineptam, neque inelegantem, neque lectu indignam, complectitur.

XXVIIII. *Dialectica Weincelii, Tſchirnai, Lockii &c.* Nonnulli Logicæ præcepta ex mathematicis principiis eruere ſtuduerunt. Quo ſpectat opus Herchardi Weincelii nuncupatum: „ Analyſis Ariſtotelica ex Euclide reſtituta genuinum ſciendi modum, & nativam reſtauratæ Philoſophiæ faciem per omnes diſciplinas, & facultates Ichnographice depingens „. Jenæ 1658. in 4. Ehrenfried Walter a Tſchirnao logicum opus in lucem emiſit, cui titulus erat: „ Medicina mentis, & corporis „ Amſtelodami anno 1687., & Lipſiæ anno 1695. in 4. In quo quum mentem in veritatis inquiſitione dirigit; tum quo pacto corporis ſanitas Philoſopho ſummopere neceſſaria tuenda ſit, paucis quidem, ſed valde utilibus præceptis commonſtrat. Lucubratio celeberrimi Philoſophi Angli Joannis Lokii denati anno 1704. inſcripta „ De intellectu humano „ præclara eſt, quamvis pluribus, iiſque non levis momenti nævis commaculata ſit. Chriſtianus Thomaſius, Introductionem ad philoſophiam aulicam, ſeu lineas primas libri de prudentia cogitandi „ ſcripſit, quæ Lipſiæ anno 1688. & Halæ anno 1702. edita eſt. Petrus Poiretus, veram methodum inveniendi verum conſcripſit; eamque in tres partes diviſit. In quo opere ubique fanaticum agit. Andreas Ridigerus præter Syntheticam Philo-

ſophiam editam anno 1707., in qua quamplurium Logicorum defectus prodit, & caſtigat, opus de ſenſu veri, & falſi anno 1709. litteris mandavit, in quo ſunt quidem multa egregia; ſed quum auctor magno novandi pruritu laborarit, longe plura ſunt quæ ſpongia, atque gypſo egent. Chriſtianus Wolfius mathematica methodo Logicam promulgavit, quæ plura optima continet; ſed quamplurima quoque in ea ſunt cenſura digna.

XXX. *Fardellæ, Clerici, Cruſatii &c.* Michael Angelus Fardella Drepani natus anno Æræ Vulgaris 1650. Patavinus Profeſſor anno 1696. Logicam ſolidæ eruditionis plenam typis mandavit. Joannes Clericus Genevæ ortus anno 1657. celeberrimus hujus ævi criticus, philoſophiæ ac linguæ ſanctæ apud Remonſtrantes Amſtelodami profeſſor, inter varia quæ conſcripſit volumina, eſt etiam Logica, auctore minime indigna. Joannes Petrus de Crouzas cl. philoſophus & mathematicus in vitam ingreſſus anno 1663. atque ex ea egreſſus anno 1748. plura ſcriptitavit, quæ inter eminet potiſſimum Logica gallice exarata, cui titulum hunc latine redditum fecit „ Syſtema animadverſionum, quæ tum declarandis, tum extendendis cognitionibus noſtris inſervire poſſunt, ſive novum Logicæ ſpecimen „ Amſtelodami edita fuit anno 1712. binis voluminibus in 8. comprehenſa. Idem porro opus mirifice auctum pluries recuſit, ac præcipue anno 1741. in 6. volumina diſtributum: paullo vero ante obitum ſex volumina comprehendi fecit. Gulielmus Jacobus s' Graveſande „ Introductionem ad philoſophiam „ compoſuit. Petrus van Muſſchenbroek „ Inſtitutiones Logicæ „ conſcripſit, in quibus totus pæne eſt in arte ſyllogiſtica illuſtranda. P. Eduardus Corſinius Cler. Reg. Schol. Piar. in Piſana academia philoſophiæ profeſſor „ Inſtitutiones philoſophicas ad uſum Scholarum Piarum „ Florentiæ anno 1731. promulgavit: in quarum primo tomo res Logicas erudite, eleganterque verſavit. Janus Gualbertus de Soria in eadem Piſana academia philoſophus publicus „ Rationalis philoſophiæ inſti-

tutiones, ſive de emendanda regendaque mente ſcripſit. Quod quidem opus fuit primum Amſtelodami typis commiſſum anno 1741. deinde rurſus anno 1746. Venetiis in lucem prodiit. Denique clariſ. auctor idem opus ex latina qua primum conſcripſerat in italam linguam verſum pluribuſque itidem rebus auctum Lucæ anno 1750. typis mandavit in bina volumina in 8. diſtributum, quorum alteri hunc titulum dedit: „ La ſcienza dell' Uomo, o la Filoſofia emendatrice della ragione „; alteri „ La ſcienza direttrice della ragione „. Quum rationalis philoſophia ut mentem ejuſque facultates emendet, debeat, & præjudiciorum, errorumque fontes detegere, atque notare, idearum porro judiciorum, ratiocinationum naturam, veri & falſi criteria explicare; id accuratiſſime 26. cap. in tom. 1. peracutus auctor præſtitit. Verum quum errores vitare, præjudicia exuere haud ſufficiat; iccirco auctor in altero tomo ſcientiam analyticam, ſive artem veri inveniendi verſat, ejuſque rei leges exponit, explicatque ſcientiam ſyntheticam, ſive regulas, inventam veritatem cum aliis communicandi ita ut eorum aſſenſus obtineatur.

XXXI. *Hanſchii, Heineccii, Martini.* Gottiebus Hanſchius in opere inſcripto „ Organum Organorum „ præclara exhibet de mentis directione. Jo. Gottlieb. Heineccius jc. „ Elementa philoſophiæ rationalis „ edidit; in quibus quid præſtare contenderit, nequeo elegantius dicere, quam ſi ipſius auctoris verbis dicam. „ In philoſophia Rationali, ſeu Logica, ſcribit in præfat. id egi, ut præcepta omnia ad finem, quem in invenienda, dijudicanda, communicandaque cum aliis veritate conſiſtere, omnes omnino fatentur, unice referrem. Itaque non ſolum artem ſyllogiſticam, non ſolam differendi diſputandique facultatem, ad quam plerique libelli Logicorum comparati ſunt, mihi tradendam credidi, ſed præcipue, quo ordine, quaque methodo progrediendum ſit omnibus, qui veritatem reperire, eamque a falſo diſcernere cupiunt, perſpicue monſtravi. Hinc, explicatis intellectus operationibus, perutilem de ideis do-

ctri-

ctrinam accurate expoſui, oſtendique, quomodo quilibet, comparatis ſibi claris, diſtinctis atque adæquatis ideis, definitiones ac diviſiones rite formare, ex earum comparatione varias propoſitiones, axiomata, poſtulata, theoremata, problemata, corollaria elicere, ratiocinationes ſine erroris periculo nectere, experiendo denique, meditando, legendo, diſputando, docendoque veritatem tum reperire, tum cum aliis communicare quam facillime poſſit. Non diſplicebunt, uti opinor, quæ de his omnibus, nec non de veritatis certæ ac probabilis diſcrimine, de variis veriſimilitudinis gradibus, de ordine in meditatione, lectione librorum & diſputationibus obſervando, de interpretatione porro, aliiſque capitibus ſcitu neceſſariis, non minus, quam jucundis, paſſim diſſerui. Quos aliquando duces ſequutus ſim, (neque enim me puduit, ab aliis bene animadverſa in ſyſtema meum recipere,) ingenue faſſus ſum in ſcholiis, quæ paragraphis pleriſque ſubjunxi. In iiſdem præcepta ipſa non paucis, iiſque perſpicuis, & petitis ex univerſa philoſophia exemplis illuſtravi. Quid enim abſurdius aut tædioſius eſt, quam perpetuo ingeminare illa vulgaria: „ Petrus currit, Homo eſt animal „ & ſimilia, ſine quibus hæc ſacra ſibi non conſtare, exiſtimarunt veteres? „ Huc uſque laudatus vir, qui iſthæc omnia reapſe non pertractat, ſed dumtaxat perſtringit, quum tota ejus dialectica in Veneta edit. anni 1740, pagellis 190. in 8. contineatur. Nicolaus de Martino illuſtris ævi noſtri Geometra Logicæ elementa typico prælo quoque commiſit, in quibus perſpicua dilucidaque oratione logicas præceptiones exhibet, geometriciſque exemplis tironum captui accomodatis illuſtrat.

XXXII. *P. F. a Brixia*, *Genuenſis*. P. Fortunatus a Brixia, qui in eadem civitate anno Ær. Vulg. 1701. ortum habuit, Matriti anno 1754. e vita exceſſit; Vir in litteraria republica clariſſimus; inter alios ingenii ſui fœtus immortales, quos in communem utilitatem produxit, Logica exſtat hoc nomine donata „ Philoſophia mentis methodice tractata atque

ad

ad uſus academicos accommodata „quæ publicam lucem anno 1741. primum aſpexit. Ea in quatuor eſt diviſa partes; quarum prima de ſimplici rerum perceptione; ſecunda de judicio, & propoſitione; tertia de ratiocinatione; quarta de methodo agit. His adjecit auctor ſex exercitationes ſcholaſticas in Logicam. Quæ in ea potiſſimum commendantur, ſunt ſtilus perſpicuus & conciſus; præclaræ animadverſiones; criticæ uſus; candor in iis indicandis ex quorum lucubrationibus optima excerpit: quare juventuti inſtituendæ haud ineptam puto. Venio jam ad clariſſimi viri Antonii Genuenſis Logicocriticam, quæ anno vulg. epochæ 1745. fuit primum typis excuſa. In quinque eſt diſtributa libros: quorum primus eſt de natura & operationibus mentis, de morbis intellectus, deque cauſſis errorum &c.; ſecundus de ideis, idearumque objectis & ſignis; tertius de vero & falſo, deque criteriis veri generatim; quartus de uſu auctoritatis, & arte critica; quintus de iis, quæ ad ratiocinium pertinent: quibus omnibus præmittuntur prolegomena de artis Logicocriticæ natura, origine, & progreſſu. Hanc Logicam ceteris omnibus palmam præripuiſſe fatentur omnes ingenui rerum æſtimatores: hinc demirandum haud eſt, ſi non ſemel, aut bis, ſed pluries, repetita vice publicam lucem aſpexerit. Quid magis in ea commendare debeam, non video: ſtilum purum, elegantem, perſpicuum, laconicum, uno verbo philoſophicum; ſiquidem oportet „ ſyllabas philoſophorum, uti ſcite ait antiquus ille philoſophus Zeno Citticus, ſi fieri poſſit, eſſe breves „ an ſolidam & non vulgarem eruditionem, an egregias obſervationes, an auctoris acumen, prudentiam, ſapientiamque profundam, an critices lumina ubique fulgentia; his enim aliiſque eximiis dotibus prædita revera eſt. At ſuos quoque nævos habere mihi videtur. Nam 1. ſecundam mentis operationem, judicium nempe, leviter dumtaxat attingit; 2. de propoſitionibus pauca, contra de vocabulis plura ſcribit, quaſi neceſſarium haud eſſet accurate de enunciationibus agere; a quibus ut

plu-

plurimum pendent rectæ, ſophiſticæve ratiocinationes; 3. plura capita ei inſerit vel non neceſſaria, vel tironum captui, in cujus gratiam eſt conſcripta, haud accommodata: primi quidem generis ſunt pars cap. III. nec non IIII. & V. libri IIII. quæ in tractatu de locis theologicis ſunt proprie collocanda; ſecundi vero ſunt caput V. libri II. & I. & II. libri V.; 4. in compendiaria Logicæ hiſtoria plures magni nominis Logicos, cujusmodi ſunt Cl. Claubergius, Cruſatius &c. præterit, alioſque minus celebres recenſendo: atque eos in emendatiori Logicocriticæ artis editione omittit; quum de illis in prima editione meminerit; 5. quæ de ſtudio Metaphyſicæ, Theologiæ, Phyſicæ, Matheſeos, Ethicæ &c. ſcribit adjicienda proprie iis erant capitibus, in quibus de methodo peragitur. Atque hæc notanda duxi, quibus nihil detractum volo illuſtri auctoris celeberrimi famæ, ex cujus pereruditis lucubrationibus, ſi quid profeci, ut plurimum profeciſſe ingenue fateor.

XXXIII. *Verneji*, *Jacquierii*. Eques Aloyſius Antonius Vernejus Archidiaconus Eborenſis Romæ typis Paleatini anno 1751. Logicam hoc titulo donatam „ De re Logica ad uſum Luſitanorum Adoleſcentium libri ſex „ commiſit. Quocirca animadvertendum id opus fuiſſe anno 1748. approbatum; & fortaſſe eodem vel ſequenti anno 1749. editum, etſi anno 1751. dumtaxat vulgatum ſit. In libro I. compendiariam Logicæ hiſtoriam exhibet. In II. de Logicæ natura & neceſſitate ſermonem inſtituit. In III. de ideis ac vocibus idearum ſignis agit. In IIII. de judicio verba facit; & recti ratiocinii præceptiones proponit. In V. de veritate certa, & probabili loquitur. In VI. leges tum inquirendi, tum aliis veritatem exponendi tradit. Appendicem de arte ſyllogiſtica his adjecit. Plura in eo opuſculo clariſs. Auctor complexus eſt, quæ ſi pro dignitate verſaſſet, omne ſane punctum tuliſſet. P. Franciſcus Jacquierius ex Minimorum familia anno 1759. Romæ prælo mandavit „ Inſtitutiones Philoſophicas ad ſtudia Theologica potiſſimum accommodatas „ breves quidem,

dem, ſed ſucci plenas; quarum primum volumen Logicam complectitur: in qua quid auctor præſtiterit in præfatione enarrat „ Pleræque Inſtitutiones Logicæ, inquiens Scholaſticam formam omnino prætermittunt, quod quidem antea de ſingulis Philoſophiæ partibus monueram; Inſtitutiones aliæ in Scholarum cavillationibus longiores ſunt. Eximiis præceptis abundat clariſſimi Wolfii Logica Geometrarum more accuratiſſime pertractata; at frequentioribus repetitionibus defatigantur atque opprimuntur impatientes adoleſcentium animi. Quia tamen accurata rerum diviſio mihi ſummopere placuit, ita hoc auctore uſus ſum, ut non ſolum brevi volumine, in iis quæ non prohibet ſancta Religio, ingens opus contraxerim, ſed etiam alia addiderim quam plurima quæ ad ſacræ Theologiæ ſtudium & ad defendendas contra hunc ipſum auctorem ſacroſanctæ fidei regulas conducunt, non omiſſis etiam quæſtionibus ſcholaſticis accurata ſtrictaque ſyllogiſmorum forma pertractatis, quæ quidem in prælaudata Logica deſiderantur. Tandem affirmare non dubito, in his breviſſimis Inſtitutionibus comprehendi quidquid utile in aliis omnibus Logicorum libris invenitur; imo non deerunt fortaſſe intemperantiores Critici quibus nonnulla ſuperflua & inter ſcholaſticas tricas rejicienda videbuntur. Neque me reprehendant aliqui quod nihil novi tradiderim; antiquiſſima enim ſunt nulli novitati obnoxia ratiocinandi præcepta: ſatis mihi erit ſi eam aſſecutus fuerim plenam copioſamque brevitatem quam quidem ſtudioſe conſectatus ſum „. Enim vero, ut quod ſentio, ingenue proſnam, hanc Jacquierii Logicam brevem quidem, ſed perutilem, eruditam, atque inſtituendæ juventuti compendiaria via valde accomodatam exſiſtimo.

XXXIIII. *Fromondii Buffierii*, *Hauſerii*, *Palmæ*, *Scarellæ &c.* Quid plura? infinita plane foret hæc Logicæ hiſtoria ſi ſigillatim omnes Dialecticæ inſtitutiones percenſendas ſuſciperem; quare paucis dicam, PP. Fromondium, Buffierium, Hauſerium, Palmam, Scarellam, Cavenſem, Bovam &c. Logicas In-

ſtitutiones in ſtudioſæ juventutis commodum atque utilitatem publici etiam juris feciſſe. Rudimenta quoque Logicæ habuimus a Franciſco de la Mothe le Vayer, P. Bernardo Lamio, Jo. Dominico Piſceria, P. D. Cæſareo Pozzio Congreg. Montis Oliveti, a Ludovico Philippo Thumiggio, a P. Sancheſio, aliiſque pluribus.

ELEMENTORUM
ARTIS RECTE RATIOCINANDI
LIBER I.

De animi natura, atque operationibus; deque præjudiciorum fontibus in animo, in corpore, atque extra nos exſiſtentibus.

QUEMADMODUM is, cui novam veſtem induere animus eſt, veterem prius exuat oportet: ſic tiro ſapientiæ amator qui mentem novis veriſque rerum ideis imbuere cupit, præjudicia ponat, errores expellat, queis ab infantia vel in diuturna domeſticorum, ac popularium ſuorum conſuetudine, vel in ſcholis animum infecit, neceſſe eſt. Quapropter in primo horum elementorum libro præjudiciorum fontes detegere atque lectori philoſopho commonſtrare decrevi, ut erroribus ac præjudiciis amotis, poſſit mentem fæcibus expurgatam, atque veteri veſte exutam rectis rerum notionibus perbelle adornare. Plura adhæc in anteceſſum præmitto atque expono, ne moram ei ullam injiciant atque negotium faceſſant, quum de iis in re verſanda mentio fiat.

CAPUT I.

Quid ratio & quam neceſſaria ſit ejus cultura. Interna cogitationum noſtrarum principia animus & corpus. Animi ſedes, natura, operationes, cum corpore conjunctio attinguntur atque explicantur. Quid præjudicium, error, atque ignorantia ſint, definitur.

I. *Quid ſit ratio.* TAnta eſt rationis noſtræ nobilitas, ut qualecumque bonum aliud naturale cum ea comparatum longe vilius, abjectiuſque deprehendatur. Hinc de natura ejusdem loquens Seneca epiſt.LXVI. „ Ratio nihil aliud eſt, ſcribit, quam in corpus humanum pars divini ſpiritus merſa „ & Cicero Fin.V. c. XIII. „ Ratione, ait, nihil eſt in homine divinius „. Quod quidem magis magiſque cognoſcetur ſi ad ejus operationes expendendas animus appellatur. Ipſa enim eſt ea mentis humanæ facultas, quæ intelligit, percipit, dijudicat, ratiocinatur, animadvertit, ex rebus ſingularibus & individuis, univerſales & communes elicit, eaſque accurate diſtribuit, rite definit, mirificeque diſponit, ex bene præjactis principiis genuina conſectaria deducit: neque his tantum anguſtis limitibus ſe continet, in rebus quoque Spiritalibus, Metaphyſicis, ac Mathematicis perpendendis verſatur; Deum ipſum contemplatur, atque ex rerum creatarum attenta conſideratione & examine, eum exſiſtere luculentiſſime demonſtrat; ſapientiam ejus infinitam, virtutem ſummam, providentiam accuratam, ceteraque id generis attributa colligit; ipſa æquum ab iniquo, pulcrum a deformi, honeſtum ab inhoneſto, verum a falſo, certum ab incerto diſcernit; ipſa denique quid Deo, tibi, aliiſque debeas fideliter dictat.

II. *Ejus excolendæ neceſſitas.* Verum quum hoc divinum munus haud cuique perfectum contingat; atque innumeris præterea vitiis, & maculis vel ab ipſis incunabulis fœdari plurimum ſoleat: iccirco in id ex-

expoliendum, augendum, ac perficiendum nervos omnes intendamus neceſſe eſt. „ Nuſquam non occurrunt, uti præclare obſervat doctiſſimus Auctor artis cogitandi Diſſertat. prim. procem. edit. Amſtelodam. ann. 1718. ingenia, erroribus obnoxia, quæ in vero dignoſcendo prorſus cæcutiunt; quæ omnia inverſo ordine penſitant; quæ tum ſibi, tum aliis amant malis ratiociniis illudere; quæ manus omni rationis umbræ dant; quæ in extremis ſemper, in medio nunquam verſantur; quæ vel agnitæ veritati infidum aſſenſum præſtant (illam enim caſu ſortiuntur, non præmiſſo examine aſciſcunt) vel ea obſtinantia fidem ſenſuum præjudiciis oppignorant, ut omni rationi, qua ab illis dimoveantur, aures occludant, quæ de rebus quas ignorant, quas non intelligunt, nec quæ fortaſſe a quovis poſſunt intelligi, audacter pronuntiant; quæ nullum diſcrimen inter diſcurſum, & diſcurſum ponunt; vel quæ de rerum veritate, ex loquentium voce dijudicant: horum judicio ii, qui libera, ſed ſedata voce loquuntur, veritati litant, ſecus vero, qui in dicendo incaleſcunt, vel quibus adlaborandum eſt, ut mentem exprimant, nec aliam ab hac norunt judicii ferendi methodum. Quapropter nullæ producuntur opiniones adeo abſurdæ, adeo enormes, quæ approbatoribus careant. Quicumque velit hominibus imponere, is homines dubio procul inveniet, quibus decipi voluptas erit; & nugæ omnium nugaciſſimæ quotidie ingenia offendunt, iis credendis æſtimandiſque apta. Poſtquam autem conſtitit Aſtrologiæ judiciariæ deliramentis tot capi, viroſque ceteroqui graves hanc materiam ſerio tractare nihil hac in parte mirum videri deber. Eſt in cœlo ſidus, cui nonnullis placuit Libræ nomen indere; quum tamen non magis Libram referat, quam Molam Alatam: Libra Juſtitiæ ſymbolum eſt; ergo quibus hoc ſidus naſcentibus præfuit, in viros evadent juſtos, & æquos. Tria alia in Zodiaco ſigna exſiſtunt; horum uni Aries, alteri Taurus, tertio Capricornus nomen eſt; quum tamen Elephantis, Crocodili, & Rhinocerotis nomina

na illis quis potuiſſet imponere. Utcunque Aries, Taurus, Capricornus animalia ruminantia ſunt; ergo periculum eſt, ne quis vomitu reddat, quæ medicamenta ſumſerit, dum Luna hiſce conſtellationibus ſubjacet. Ut ut ridicula, & futilia hæc ratiocinia ſint, aliqui inveniuntur, qui ea pro ſinceris mercibus vendunt, alii qui emunt „. Qui ſane abuſus humanæ rationis quum in rebus eruditis, tum potiſſimum in rebus ad mores, naturalem prudentiam, & ſagacitatem ſpectantibus occaſionem, ut puto, Rorario exhibuerunt edendi Amburgi anno 1729. librum hoc pacto inſcriptum: „ Quod Animalia bruta ſæpe Ratione utantur melius Homine „. Quo in negotio jamdudum Plutarchus hunc ſcriptorem præiverat; quippe qui ejusdem argumenti libellum, de animalium ſollertia, nuncupatum elucubrarit „. Bene adhibita ratio, veriſſime pronuntiavit Cicero IIII. Tuſcul. cernit quid optimum ſit, neglecta, multis implicatur erroribus „. Quare totis viribus enitendum nobis eſt, ut quoad ejus fieri poterit, ratio expoliatur, illuſtretur, augeatur. Nam „ id in quoque, uti animadvertit acutiſſimus philoſophus L. A. Seneca epiſt. LXXVI. optimum eſt, cui naſcitur, quo cenſetur. In homine optimum quid eſt? Ratio: hac antecedit animalia, deos ſequitur. Ratio ergo perfecta, proprium hominis bonum eſt: cetera illi cum animalibus ſatiſque communia ſunt. Valet? & leones. formoſus eſt? & pavones. velox eſt? & equi. non dico, in his omnibus vincitur. Non quæro quid in ſe maximum habeat, ſed quid ſuum. Corpus habet? & arbores. habet impetum & motum voluntarium? & beſtiæ, & vermes. habet vocem? ſed quanto clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem mobilioremque luſciniæ? Quid in homine proprium? Ratio. hæc recta, & conſummata, felicitatem hominis implevit. Ergo ſi omnis res, quum bonum ſuum perfecit, laudabilis eſt, & ad finem naturæ ſuæ pervenit, homini autem ſuum bonum Ratio eſt: ſi hanc perfecit, laudabilis eſt, & finem naturæ ſuæ attigit „. In id ergo primum incumbamus oportet,

ut præjudicia quibus inficitur, & conſpurcatur, exuat, ac ponat: atque deinde rectis rerum notionibus, optimiſque doctrinis imbuatur. Quapropter præjudiciorum, atque errorum fontes agnoſcendi ſunt, remediaque opportuniora eis applicanda. Verumenimvero quum in percipiendo, judicando, ratiocinando &c. erremus, operæ pretium erit, in anteceſſum explicare quid perceptiones, quid judicia, quid ratiocinationes, quid & quot facultates harumce operationum principia ſint; ac porro fontes, unde errores præjudiciaque dimanent, manifeſtare.

III. *Anima, & corpus cognitionum noſtrarum principia.* Duo ſunt cognitionum noſtrarum interna principia, animus ſcilicet, & corpus. Mirum fortaſſe alicui ejusmodi enunciatum videri poterit. Verum etſi cognitiones noſtræ uni animæ adſcribantur: diffitendum tamen haud eſt, eam ut plurimum ſine ſenſuum adjutorio, & corporis ope nihil parumve agere poſſe ob admirabilem atque incognitam utriuſque conjunctionem. De anima nunc, de corpore mox loquar. Anima igitur pars illa noſtri eſt, quæ non modo a rebus inanimatis, ſed etiam ab animatis ratione tamen deſtitutis nos diſcernit. Nam „generi animantium, uti ſcribit Tullius officiorum lib. I. c. IIII., omni eſt a natura tributum, ut ſe vitam corpuſque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur: omniaque quæcunque ad vivendum ſint neceſſaria, acquirat & paret: ut paſtum, ut latibula, ut alia ejusdem generis. Commune autem animantium omnium eſt conjunctionis appetitus procreandi cauſſa, & cura quædam eorum, quæ procreata ſunt„. Quibus omnibus in rebus cum belluis hominem convenire nos quoque non diffitemur„. Sed inter hominem, & belluam, pergit idem doctiſs. vir, „ hoc maxime intereſt, quod hæc tantum, quantum ſenſu movetur, ad id ſolum, quod adeſt, quodque præſens eſt ſe accommodat, paullulum admodum ſentiens præteritum, aut futurum. Homo autem quoniam rationis eſt particeps, conſequentia cernit, principia & cauſſas rerum videt, earumque progreſſus, & quaſi an-

anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus præſentibus adjungit, atque adnectit futuras: facile totius vitæ curſum videt, ad eumque regendum præparat res neceſſarias. Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini & ad orationis, & ad vitæ ſocietatem: ingeneratque in primis præcipuum quemdam amorem in eos, qui procreati ſunt; impellitque ut hominum cœtus & celebrari inter ſe, & ſibi obedire velit: ob eaſque cauſſas ſtudeat parare ea, quæ ſuppeditent & ad cultum, & ad victum; nec ſibi ſoli, ſed conjugi, liberis, ceteriſque quos caros habeat, tuerique debeat. Quæ cura exſuſcitat etiam animos, & majores ad rem gerendam facit. In primiſque hominis eſt propria veri inquiſitio atque inveſtigatio. Itaque cum ſumus neceſſariis negotiis, curiſque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, ac diſcere, cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium ad beate vivendum neceſſariam ducimus. Ex quo intelligitur, quod verum ſimplex ſincerumque ſit, id eſſe naturæ hominis aptiſſimum. Huic veri videndi cupiditati adjuncta eſt appetitio quædam principatus, ut nemini parere animus bene a natura informatus velit, niſi præcipienti aut docenti, aut utilitatis cauſſa juſte, & legitime imperanti: ex quo animi magnitudo exſiſtit, humanarumque rerum contemtio. Nec vero illa parva vis naturæ eſt, rationiſque, quod unum hoc animal ſentit, quid ſit ordo, quid deceat, in factis, dictiſque, qui ſit modus. Itaque eorum ipſorum, quæ aſpectu ſentiuntur, nullum aliud animal pulcritudinem, venuſtatem, convenientiam partium ſentit. Quam ſimilitudinem natura, ratioque ab oculis ad animum transferens, multo etiam magis pulcritudinem, conſtantiam, ordinem in conſiliis, factiſque conſervandum putat: cavetque, ne quid indecore, effeminateve faciat: tum in omnibus & opinionibus, & factis, ne quid libidinoſe aut faciat, aut cogitet „.

IIII. *Anima humana ſpiritalis, & immortalis.* Animam ſpiritalem, & immortalem eſſe, quum a fide, tum a ratione erudimur. Mitto innumera ſacrarum

litterarum teſtimonia ex veteri Teſtamento excerpta, quæ fidem quoque Hebræorum ſuper animarum ſpiritalitate, atque immortalitate patefaciunt: cujuſmodi eſt illud Gen. I. XXVI. „ Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram „ : & Jobi c. XIX. „ ſcio quod Redemtor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius „ : & Sap. c. III. „ Juſtorum autem animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. . . . ſulgebunt juſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Judicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in æternum. . . . Impii autem ſecundum quæ cogitaverunt, correptionem habebunt „. & c. V. „ Juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio illorum apud Altiſſimum: ideo accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini „ : & ea, quæ ex Apoſtolorum lucrubrationibus afferre poſſem. Sed unius Ciceronis teſtimonia nonnulla, in quibus animam & ſpiritalem, & immortalem eſſe totis ingenii ſui viribus demonſtrare conatur, in medium producam, ut os impiorum iniqua effutientium tanti viri auctoritate, ac rationibus obſtruam. „ Quid igitur, ait Tuſculan. lib. I., utrum capacitatem aliquam in animo putamus eſſe, quo tamquam in aliquod vas, ea quæ meminimus, infundantur? Abſurdum id quidem. Qui enim fundus, aut quæ tanta omnino capacitas? An imprimi quaſi ceram animum putamus, & memoriam eſſe ſignatarum rerum in mente veſtigia? Quæ poſſunt verborum, quæ rerum ipſarum eſſe veſtigia? Quæ porro tam immenſa magnitudo, quæ illa tam multa poſſit effingere? . . . . His enim in naturis nihil ineſt, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat: quod & præterita teneat, & futura provideat, & complecti poſſit præſentia, quæ ſola divina ſunt: nec invenietur unquam, unde ad hominem venire poſſit, niſi a Deo. Singularis eſt igitur quædam natura, at-

que vis animi, ſejuncta ab his uſitatis notiſque naturis. Ita quidquid eſt illud, quod ſentit, quod ſapit, quod vult, quod viget, cœleſte, & divinum eſt, ob eamque rem æternum ſit neceſſe eſt. Nec vero Deus ipſe, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quædam, & libera, ſecregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, & movens, ipſaque prædita motu ſempiterno. Hoc e genere atque eadem natura eſt humana mens. Ubi igitur, aut qualis eſt iſta mens? Ubi tua, aut qualis, potes ne dicere? an ſi omnia ad intelligendum non habeo, quæ habere vellem, ne his quidem, quæ habeo, mihi per te uti licebit? non valet tantum animus, ut ſeipſum ipſe videat: at ut oculus ſic animus, ſe ſe non videns, alia cernit. Non videt autem quod minimum eſt, formam ſuam fortaſſe: quamquam id quoque ſi relinquamus, vim certe, ſagacitatem, memoriam, motum, celeritatem videt. Hæc magna, hæc divina, hæc ſempiterna ſunt „. Et eodem in loco: „ Hæc igitur, & alia innumerabilia quum cernimus, poſſumus ne dubitare, quin his præſit aliquis conditor, vel effector?... Sic mentem hominis, quamvis eam non videas, ut Deum non vides, tamen ut Deum agnoſcis ex operibus ejus: ſic ex memoria rerum, & inventione, & celeritate motus, omnique pulcritudine virtutis vim divinam mentis agnoſcito. In quo igitur loco eſt? Credo equidem in capite: & cur credam afferre poſſum, ſed alias. Nunc ubi ubi ſit animus, certe quidem in te eſt.... Illud modo videto, ut Deum noris, etſi ejus ignores & locum, & faciem; ſic animum tuum notum eſſe oportere etiamſi ignores & locum, & formam. In animi autem cognitione dubitare non poſſumus, niſi plane in phyſicis plumbei ſimus, quin nihil ſit animus admiſtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod quum ita ſit, certe nec ſecerni, nec dividi, nec diſcerpi, nec diſtrahi poteſt: nec interire igitur.... His, & talibus rationibus adductus Socrates nec patronum quæſivit ad judicium capitis, nec judicibus ſupplex

 fuit,

fuit, adhibuitque liberam contumaciam, a magnitudine animi inductam non a ſuperbia „. Porro animi potiſſimum immortalitatem omnium gentium conſenſu oſtendit „ Et primum quidem, inquiens, omni antiquitate, quæ quo propius abetat ab ortu, & divina progenie, hoc melius ea fortaſſe, quæ erant vera, cernebat ... Itaque unum illud erat inſitum priſcis illis, quos Caſcos appellat Ennius, eſſe in morte ſenſum, neque exceſſu vitæ ſic deleri hominem, ut funditus interiret: idque quum multis aliis rebus, tum e pontificio jure, & cæremoniis ſepulcrorum intelligi licet, quas maximis ingeniis præditi nec tanta cura coluiſſent, nec violatas tam inexpiabili religione ſanxiſſent, niſi hæſiſſet in eorum mentibus mortem non interitum eſſe omnia tollentem, atque delentem; ſed quamdam quaſi migrationem, commutationemque vitæ, quæ in claris viris, & feminis dux in cœlum ſoleret eſſe „. Hinc adnectit: „ Omni autem in re conſenſio omnium gentium lex naturæ putanda eſt ... Atque hæc ita ſentimus, natura duce, nulla ratione, nullaque doctrina. Maximum autem argumentum eſt naturam ipſam de immortalitate animorum tacitam judicare „. Et in aureo opuſculo de ſenectute „: Quid plura? Sic mihi perſuaſi, ſic ſentio, quum tanta celeritas animorum ſit, tanta memoria præteritorum, futurorum prudentia, tot artes, tot ſcientiæ, tot inventa non poſſe eam naturam, quæ res eas continet, eſſe mortalem: quumque animus ſemper agitetur, nec principium motus habeat, quia ipſe ſe moveat; nec finem quidem habiturum eſſe motus, quia nunquam ſe ipſe ſit relicturus. Et quum ſimplex animi natura eſſet, neque haberet in ſe quicquam admiſtum diſpar ſui, atque diſſimile, non poſſe eum dividi: quod ſi non poſſit, non poſſe interire. Magnoque eſſe argumento, homines ſcire pleraque ante, quam nati ſint, quod jam pueri quum artes difficiles diſcant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tum primum accipere videantur, ſed reminiſci, & recordari. Hæc Platonis ſunt fere. Apud Xenophontem autem moriens Cyrus major hæc di-

dicit : Nolite arbitrari , o mihi cariſſimi filii , me ; quum a vobis diſceſſero, nuſquam, aut nullum fore: nec enim dum eram vobiſcum animum meum videbatis; ſed eum eſſe in hoc corpore ex his rebus, quas gerebam, intelligebatis . Eumdem igitur eſſe creditote, etiam ſi nullum videbitis. Nec vero clarorum virorum poſt mortem honores permanerent, ſi nihil eorum ipſorum animi efficerent, quo diutius memoriam ſui teneremus. Mihi quidem nunquam perſuaderi potuit, animos , dum in corporibus eſſent mortalibus, vivere; quum exiſſent ex iis, emori : nec vero tum animum eſſe inſipientem , quum ex inſipienti corpore evaſiſſet ; ſed quum omni admiſtione corporis liberatus, purus, & integer eſſe cœpiſſet, tum eſſe ſapientem. Atque etiam, quum hominis natura morte diſſolvitur, ceterarum rerum perſpicuum eſt, quo quæque diſcedant: abeunt enim illuc omnia , unde orta ſunt : animus autem ſolus nec quum adeſt , nec quum diſcedit ; apparet . Jam vero videtis nihil morti eſſe tam ſimile, quam ſomnum . Atque dormientium animi maxime declarant divinitatem ſuam: multa enim, quum remiſſi & liberi ſunt, futura proſpiciunt . Ex quo intelligitur , quales futuri ſint , quum ſe plane corporis vinculis relaxaverint. Quare ſi hæc ita ſunt, ſic me colitote, ut Deum : ſin una interiturus eſt animus cum corpore, vos tamen Deos verentes, qui hanc omnem pulcritudinem tuentur, & regunt , memoriám noſtri pie , inviolateque ſervabitis. Cyrus quidem hæc moriens: nos (ſi placet) noſtra videamus . Nemo umquam mihi, Scipio, perſuadebit, aut patrem tuum Paullum, aut duos avos Paullum, & Africanum , aut Africani patrem, aut patruum, aut multos præſtantes viros, quos enumerare neceſſe non eſt, tanta eſſe conatos, quæ ad poſteritatis memoriam pertinerent : niſi animo cernerent, poſteritatem ad ſe pertinere poſſe „. Quid ſolidius juxta ac elegantius addi poteſt? Videſis diſſertationem clariſſimi equitis Antonii Philippi Adami, editam Liburni anno 1759. iſthoc titulo : „ L'immortalità dell' Anima provata colla dimoſtrazione della

ſua ſpiritualità &c. „. Legi poteſt apud eruditiſſimum auctorem Hiſtoriæ Litterariæ Italiæ tom. XII. l. I. c. v. a quo integra affertur. Digna quoque ſuper eo negotio lectu eſt nobiliſſimi Marchionis Franciſci Caraccioli epiſtola ad celeberrimam Academiam Bononienſem nuncupatam de Inſtituto Bononiæ typis excuſa anno 1756. Si porro fuſiorem hujuſce rei tractationem aveas, Metaphyſicos, ac præcipue Genuenſem tom. 2. ſive 3. ut in poſtrema Neapolitana editione ann. 1761. conſulito.

V. *Animi ſedes*. Animi ſedem non eodem in loco quum veteres, tum recentes Philoſophi conſtituunt; nam Parmenides, & Epicurus in toto pectore; Stoici in corde; Diogenes in arteriaco ventriculo cordis; Democritus in toto capite; Eraſiſtratus circa membranam cerebri; Herophilus in ventriculo cerebri; Strato in ſuperciliorum interſtitio; Xerſes Perſarum Rex in auribus eam collocabant. Peripatetici vero totam in toto corpore, ac totam in quavis parte corporis; Helmontius cum aliis in ſtomachi orificio; Hamelius, Neutonus, Muratorius, Martinius, Boſchovichius in toto cerebro; Carteſius in glandula pineali, ſive in medio cerebro; Lanciſius in parte calloſa, ſive in cerebri medulla habitare animam arbitrantur. Atque hiſce per tranſennam dictis, ad animæ noſtræ operationes enumerandas ac finiendas venio.

VI. *Anima, animus, & mens quid: & quæ intellectus operationes*. Animus, anima, & mens eadem ſignificantia a nonnullis uſurpantur, etſi non deſunt, qui accurate iſthæc tria diſtinguunt; quod puriores etiam, elegantioreſque inter veteres factitaſſe in propatulo eſt. Siquidem animam appellabant halitum, ſpiritum, flatum: animum vim, qua homines ſumus, ſapimus, intelligimus: mentem vero intelligentiam; vel intellectum, hinc amentes, & dementes dicuntur, qui nulla intelligentia valent. Animus porro in ſuo ſtatu ſemper permanet, mens vero ſive intelligentia vel augetur, vel minuitur; etenim mens in dormientibus ſopitur, & in furioſis ex-

exſtinguitur. Præterea diffitendum non eſt promiſcue tria hæc fuiſſe etiam ab ipſis latinis uſurpata, ut qui in eorum lucubrationibus lectitandis verſantur, optime norunt. Animæ igitur, animi, ac mentis nomine venit ſubſtantia ſpiritalis intelligendi, atque volendi capax ad corpus informandum, movendum, ac regendum addicta. Non eſt hujus loci eam litem movere, quæ tanto animorum æſtu in Metaphyſica agitatur, de natura, ſive eſſentia animæ, num ſcilicet in perenni cogitatione, ut Carteſiani volunt, aut in facultate cogitandi, ſive in potentia ad cogitandum, uti Scholaſtici contendunt, poſita ſit. Carteſianam ſententiam nuper præ ceteris elegantiſſimus poeta Benedictus Stay in Romano Archigymnaſio publ. Eloquentiæ profeſſor, Philoſophiæ Recentioris verſibus traditæ lib. I. verſ. cxxxviiii. tom. I. Romæ 1755. confutavit.

Hinc qui nil, niſi rem, quæ cogitat, eſſe putavit
Mentem, atque ex iſto manare huic omnia fonte,
Prorſus id ille mihi temere arripuiſſe videtur;
Namque ea ſi res eſt, quæ cogitat, uſque neceſſe eſt
Naturam ſervare ſuam; proin cogitat omni
Tempore, quo perſtat revera in rebus; at iſtud
Quis ratione queat nobis oſtendere certa?
Cum laſſata virum ſopor altus membra reſolvit,
Atque papavereo conſperſit lumina rore;
Dulcia non etiam captare oblivia mentem,
Quis vincat, numquam & requiem, ſuaque otia habere?
Quis neget hoc ipſum proin, quod mens cogitat, ejus
Eſſe facultatem de multis ſcilicet unam,
Propterea ut poſſit facile hoc abſiſtere ab uſu
Incolumis? veluti quoque corpora ſæpe moveri
Cernimus, & propriam naturam immota tueri.
At vel ſemel ſi ſemper mens cogitet, exteriuſne
Non ea vis menti queat adveniſſe, ſed iſta
Lege, ut naturam ſemper comitetur eamdem.

Ut ut ſit ſatis eſt hæc ſummis labiis deguſtaſſe. Sunt nonnulli, queis volupe eſt duplicem illam facultatem, intellectum nempe, & voluntatem in anima haud ſecernere, quippe qui ejuſdem animæ actus di-

verſos eſſe arbitrentur. Verum lis iſthæc nihili eſt; nam vel actus ejuſdem facultatis, vel diverſæ nuncupentur, parum refert. Satius vero eſt hoc diſcrimen admittere, quum intelligere, & velle res ſint, ut per ſe palam eſt, admodum diverſæ. Vulgarem porro diſtinctionem animæ facultatum in intellectum, voluntatem, ac memoriam omiſi, recentium Philoſophorum nubem ſequutus, qui non diſtingui ab ipſomet intellectu, quatenus res alias perceptas, atque in cerebro per ſpecies impreſſas percipit, ac reputat, opinantur. Intellectus adhæc operationes ſunt perceptio, judicium, ratiocinatio etc.. Quæ quidem omnia ſingulatim ſunt explananda.

VII. *Quid ſit Intellectus, Perceptio, Idea, Intellectio, Imaginatio, Phantaſia, Abſtractio, Compoſitio, Animadverſio, Senſio, ſive Senſatio.* Ac primum Intellectus eſt ea mentis facultas, qua percipimus, judicamus, ratiocinamur. ſæpe etiam intellectus nuncupatur ratio. enimvero etſi a nonnullis indiſcriminatim utrumque vocabulum ratio, & intellectus adhibeantur: ii tamen, qui exactius loqui ſtudent, rationis nomine appellant eam mentis facultatem, ac vim, qua ratiocinamur, ſive ex noto ignotum, verum ex vero elicimus. Ab intellectu parum abludit ingenium; ac ſæpe utrumque vocabulum ad idem ſignificandum adhibentur. Verum ingenii nomine ſtricte venit ea vis, atque virtus mentis, qua homo acute, ac celeriter rerum cauſſas, & relationes detegit, obſcura intelligit, confuſa mira facilitate extricat, atque expedit. Hinc apud Scriptores ſæpiſſime occurrunt ingenium acre, velox, acutum, ferax, tardum, durum &c. Et b. Auguſtinus lib. X. de Trinitate c. XI. „ In his tribus, ait, memoria, intelligentia, voluntate inſpici ſolent etiam ingenia parvulorum, cujuſmodi præferant indolem. Quanto quippe tenacius, & facilius puer meminit, quantopere citius intelligit, & ſtudet ardentius, tanto eſt laudabilioris ingenii „. Perceptio, apprehenſio, ſive idea (iis enim nominibus donari vulgo ſolet, quamvis ideæ nomine mei quidem, & aliorum ſententia veniat objecti cu-

cujuſvis genuina imago in cerebro depicta, quam ἀμέσως, immediate, mens contemplatur, quemadmodum principio etiam libri ſequentis dicemus) eſt alicujus rei menti repræſentatæ contemplatio nihil de ea ajendo, vel negando. Duplicis ſpeciei eſt. Prima & nobilior eſt pura Intelligentia, ſive Intellectio, per quam ſcilicet mens, ſine phantaſmatis, ſpeciei, atque imaginis ope quidpiam cognoſcit: cujuſmodi ſunt perceptiones Dei, cogitationum, affectuum, gaudii, lætitiæ &c. Huc loci obſervandum venit, perceptionem, qua mens ſeipſam, ſuaſque cogitationes contemplatur, conſcientiam nuncupari. Altera perceptionis ſpecies, atque ignobilior, Imaginatio appellatur, eſtque illa, per quam mens imaginem, ſive phanthaſma quoddam in phantaſia, ſive in cerebro impreſſum cognoſcit; ut quum quis hominem quemdam, arborem &c. quaſi præſentem intuetur, quum tamen id rei longe abſit, atque adeo quum nullibi fortaſſe ſit. Vis iſthæc mentis noſtræ phantaſia, ſive Imaginatrix dicta, eſt ea facultas, per quam nobis corpora abſentia repræſentamus, aut etiam incorporea inſtar corporum depingimus, corporumque ipſorum imagines varie quandoque augemus, minuimus, & copulamus. Hinc Abſtractio, & Compoſitio proficiſcuntur. Abſtractio eſt, ea veluti diviſa percipere, quæ ſuapte natura copulata ſunt. v. g. concipere alborem a re alba, figuram a corpore ſeparatam. Compoſitio vero eſt, ea veluti copulata percipere, quæ ſuapte natura disjuncta ſunt; ut quum cogito de ſphinge, monſtro illo Thebano, cui caput & manus puellæ, corpus canis, alæ avis, vox hominis, ungues leonis, cauda draconis erant. Id porro mens res alias perceptas ſecum reputando peragit. quæ mentis operatio Animadverſio, ſive Reflexio appellatur, eſtque cogitatio cogitationis, ſive mentis applicatio ad comparatas notitias expendendas. Verum hæc omnia Senſatio præeat neceſſe eſt; quippe quia eidem pæne omnia hucuſque adnumerata innituntur. Senſio, ſive ſenſatio eſt perceptio rei præſentis organis ſenſuum, quæ corpus noſtrum aliqua

ta-

ſatione afficit, ut perceptio ſonorum, odorum, colorum &c. circa quam tria requiruntur, nimirum I. ut res ſenſibus noſtris præſens ſit; II. ut ſenſoria organa afficiat; III. ut anima iſtiuſmodi impreſſionem advertat. Obſervandum huc loci diligenter eſt, quod ſenſatio, & ſenſio, etſi unum, & idem ſignificent, non deſunt tamen, qui inter utramque diſtinguendum arbitrentur; volunt enim, ſenſationem eſſe illam mentis affectionem, qua res ipſas extra nos poſitas ex impreſſione facta in corporis organis percipimus: ſenſionem vero eam mentis affectionem, qua ex motuum occaſione in corporeis organis factorum dolorem, voluptatem, atque etiam motus ſentimus. Conſule Jeſuitam Jaszlinszky Inſtit. Metaph. diſſ. III. ſect. IIII. §. II. edit. Tyrnav. 1761.

VIII. *Quid Judicium, Ratiocinatio, Methodus ſint*. Reliqua perſequamur. Judicium eſt is mentis actus, quo binas notiones accurate perceptas inter ſe comparat, eaſque vel componit, vel divellit; ut corpus eſt iners. Si vero mens comparatis iis notionibus quas copulare velit, eas inter ſe convenire haud perſpicue cognoverit, aut fides, aut dubitatio, aut opinio, aut probabilitas orietur. De quibus omnibus ſuo loco fuſo calamo dicemus. Ratiocinatio eſt intellectus operatio, qua ex aliis inter ſe comparatis judiciis, alterum infertur; ut ſi ex eo, quod vitrum transluceat, ipſum occultis foraminibus reſperſum eſſe colligitur: nam omne quod translucet exiguis ſaltem poris pertuſum eſſe debet, ut lumini aditus pateat. Methodus eſt actus mentis notiones ſuas, judicia, & ratiocinationes diſponentis ſive ad diſcendum, quod ignotum eſt, ſive ad id quod, eſt compertum, exponendum. Duplex eſt, Analytica ſive reſolutionis, quum a ſingularibus, quæ compoſita æſtimantur, ad univerſalia axiomata proceditur: & Synthetica ſive compoſitionis, quum ab univerſalibus ad ſingularia devenimus. Diſciplinæ porro illæ, quæ ejuſmodi methodo digeruntur, ut Geometria, Metaphyſica, Phyſica, Ethica, ſyſtemata ſcientifica vocitantur.

VIIII. *Voluntas præjudiciorum fons*. Jam vero

quum

quum voluntas quoque altera facultas animi ſit noſtrorum præjudiciorum ſcaturigo, non abs re erit, & quid ipſa, atque ea, libertas nimirum, deſiderium, affectus, quæ ad ipſam referuntur, ſint, in anteceſſum explicare, ut nullum vocabulum inauditum, & minime enucleatum tironi elementa iſthæc evolventi moram injicere queat. Voluntas itaque eſt determinatio mentis poſtrema, qua ſe ad bonum repræſentatum amplectendum, malum repræſentatum fugiendum ex ſua ratione, & rationis conſcientia determinat: qua in re docto viro Antonio Genuenſi, aliiſque adſtipulor: alii namque Philoſophi voluntatem definiunt facultatem appetendi, vel averſandi objecta, prout ab intellectu vel bona, vel mala repræſentata ſunt. His ergo voluntas potentia eſt, nobis actus. Libertas eſt illa mentis facultas, qua poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt agere, vel non agere, prout volupe fuerit: ergo libertas a voluntate, ut potentia ab actu diſtinguitur. Deſiderium eſt appetitio boni ſeu veri, ſeu apparentis. A perceptione pendet; nam ut adagium vetus habet: „ ignoti nulla eſt cupido „. Quæ quidem omnia, ut luculentius percipiantur, non abs re erit, quonam pacto unum ex altero proficiſcatur, explanare. Ac primum mens rem objectam percipit: deinde voluntati exhibita prout bona, in ea deſiderium excitatur: tum deliberat, num eam amplecti debeat; denique rem eligit, atque vult. Affectus ſunt commotiones appetitus ex repræſentatione boni, vel mali ortæ, cum motu ſanguinis, & ſpirituum extraordinario conjunctæ: ſive ſunt vehemens voluntatis amor cum turbida, & irrequieta ſpirituum agitatione copulatus. Concitatus iſte voluntatis amor, ſive appetitus, ſi Peripateticos audiamus, alter eſt intellectus, ſive intellectivus; & ſenſus, ſive ſenſitivus alter: ille voluntatem movet ad id eligendum, quod rationi congruit; hic eam excitat ad id amplectendum, quod ex ſenſibus advenit. Atque hunc præterea in concupiſcibilem, & iraſcibilem partiuntur: concupiſcibilis voluntatem impellit in id, quod delectat, ac pro-

prodeſt: iraſcibilis qui voluntatem accendit ad id removendum, quod nocet ac moleſtiam exhibet. Porro appetitum rationalem ſive intellectivum in parte animæ ſuperiori, ſenſitivum in inferiori collocant; atque adeo iraſcibilis, & concupiſcibilis appetitus ſedem aut in corde, aut in hepate, aut in capite figunt. Qua ratione adducti partitionem hujuſmodi efficiant, ſedeſque diverſas aſſignent, non eſt hujus loci, meique inſtituti diſquirere, ſat mihi eſt hæc memoraſſe. Id vero ſolum in hoc negotio inter omnes conſtat, quod in affectibus quædam animi, & quædam corporis ſint. Animi, ſunt boni, malive perceptiones, deſideria, averſationes, gaudium, dolor: corporis vero ſanguinis, ſpirituumque commotiones. Jamvero affectus ſecundum Stoicos quatuor ſunt: ratione præſentis boni lætitia; boni futuri ſpes; mali præſentis dolor; mali futuri metus; quos omnes Maro in VI. Æneid. expreſſit, quum inquit:

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque...

Si vero aliis aures applicueris, longe plures ſunt.

X. *Animæ, & corporis conjunctio*. Adhæc mens noſtra cum corpore adeo copulata eſt, ut pæne nihil ſine ejus opera agere poſſe videatur. Sed quo certior, eo implicatior eſt ejuſmodi conjunctio. Philoſophi non modo recentes, ſed & antiqui ei explicandæ ſedulam operam navarunt: nec lucem huic perdifficili negotio attuliſſe ingenue fatendum eſt. En quo pacto Benedictus Stay l. I. operis ſuperne laudati verſ. CCCXVIII. exponit:

Et quoniam per quos introrſum infertur imago
Senſus, nempe oculis, atque auribus, atque palato
Qui reſident, totiſque cientur in artubus extra,
Prorſus, corporei conſtant fateare, neceſſe eſt,
Corpus, id in ſe ſe quod ſenſus continet ipſos
Nexu, neſcio, quo junctum cum mente teneri;
Quo nexu fit, uti varios illius ad ictus
Evigilata modis moveatur, percipiatque
Hæc variis; contra certis reſpondeat ipſum
Motibus arbitrio mentis, capiantque, ferantque
Auxilia inter ſe pariter, veniatque quietis

Al-

Alterum in alterius partem: partemque laboris;
Alterum ab alterius proin motu pendet: & inde
Excipit impulſus varios, redditque viciſſim
Scilicet hoc animi nobis mens conſcia monſtrat.

Ex quo nexu fit, ut corpus quoque plurium præjudiciorum fons ſit; I. ſua naturali inertia; II. temperamentis; III. phantaſia; IIII. ſenſibus. Quæ mox ſigillatim explicaturi ſumus.

XI. *Quid præjudicium, error, atque ignorantia*. Reliquum eſt, ut vocabula iſthæc præjudicium, error, ignorantia, quæ ad ſingulos pæne verſus adhibebimus, definiamus. Præjudicium, præventio, præoccupatio, anticipatio (quæ ſane verba eodem recidunt) eſt falſa opinio, qua ſententiam neque diligenter a nobis examinatam, neque a doctore omni exceptione majore traditam, tanquam veram aſſumimus, atque habemus. Ac duplici ex fonte dimanat, interno ſcilicet, vel externo; interno quidem ſi ex anima, aut corpore noſtro originem trahit: externo vero ſi ex aliorum auctoritate, parentum nempe, magiſtrorum, poetarum, populique progignatur. Error eſt falſa cognitio, quæ pro vera habetur, & e contraria vera, quæ habetur pro falſa: & vel in perceptionibus, vel in judiciis, vel in ratiocinationibus ineſt: in perceptione eſt, quoties rem, non uti ſe habet, concipimus: in judicio quando jungenda disjungimus, & disjungenda copulamus; in ratiocinatione tandem, quum in forma & materia haud recte argumentamur, ſive ex præmiſſis conſectaria non genuina colligimus. Ex perceptionibus falſis judicia, ratiocinationesque falſæ oriuntur: unde ſummo ſtudio ad rectas rerum notiones comparandas incumbamus neceſſe eſt. Ignorantia denique ſcientiæ opponitur: eſtque duplex negationis, & pravæ affectionis. Ignorantia negationis, ſive inſcientia a Græcis κατ' ἀπόφασιν nuncupata, latine ignorantia per detractionem dici poſſet, eſt quum alicujus rei nullam habemus notionem: nihilque de ea aſſerimus vel inficiamur, ut ſi quis naturam ſonus ignorat, quod ſurdus ſit. Ignorantia pravæ affectionis a Græcis ap-

pel-

pellata κατὰ διάθεσιν, quæ a Latinis ignorantia per poſitionem, vel falſa perſuaſio vocitari poſſet, eſt deceptio ex quadam mentis operatione exorta, ut ſi quis dicat s. Cyprianum eſſe Eccleſiæ Græcæ doctorem; quum ſit Latinæ; quippe qui Africanus fuit, latinoque ſermone ſcriptitarit.

CAPUT II.

De fontibus præjudiciorum, ac primum de iis, qui in intellectu inſident, ignorantia nimirum naturali, intellectus brevi capacitate, ſtupiditate, levitate, ſophiſtice, præcipitantia, attentionis defectu, & immoderata ſciendi cupidine; nec non de remediis opportunis adhibendis.

I. *Omnes præjudiciorum fontes.* Bene habet. Nihil revera eſt in homine nobilius ratione; nihilque optabilius cuique eſt ea recta, atque omnibus erroribus & præjudiciis expoliata. Verum hujuſmodi bonum, quo optabilius, eo comparatu difficilius eſt. Nam „ ſenſus communis, uti egregie animadvertit clariſſ. Auctor artis cogitandi diſſertat. prim. proœm. res eſt non admodum communis. Ingenia craſſa & ſtupida infinito numero reperiuntur; hæc fruſtra veritates docendo excolueris, intra earum rerum limites cohibenda ſunt, quæ ipſorum captum non excedunt, interdicendumque, ne de iis pronuntient, quæ nequeunt intelligere. Fatendum tamen eſt maximam falſorum judiciorum partem hinc ortum ſuum non ducere, ſed deberi cuidam mentis præcipitationi, & attentionis defectui; quæ in cauſſa ſunt, ut de iis, quæ confuſe tantum & obſcure cognoſcimus, temere, & præpropere judicemus. Tepidus etiam ille amor, quo veritatem proſequimur nos efficit in vero a falſo judicando, plerumque minus ſollicitos. Apertis ulnis in ſinum admittimus promiſcuam ratiociniorum, & axiomatum farraginem: hæc

hæc malumus pro veris ſupponere, quam ad examen vocare; ſi non capimus ipſi, credere volumus ab aliis capi, & ſic memoriam infinita rerum falſarum, obſcurarum, & non intellectarum ſuppellectile oneramus, e quibus tanquam indubitatis principiis concluſiones poſtea deducimus, nequaquam ad ea attendentes, quæ vel dicimus, vel cogitamus. Vanitas præterea, & arrogantia vires addunt huic malo: pudet nos de quovis dubitare, quidvis ignorare: malumus inconſulte garrire, & caſu pronuntiare, quam nosmetipſos agnoſcere non ſatis inſtructos ad ſententiam ferendam: toti ſcatemus ignorantiis, & erroribus, quum tamen nihil difficilius ſit, quam hanc tam æquam, tam debitam noſtræ conditioni confeſſionem extorquere, Neſcio, Fallor. E contra alii inveniuntur indolis prorſus oppoſitæ: his lucis affulſit ſatis, qua dignoſcant plurima obſcura eſſe, ac incerta; quumque in alterum vanitatis extremum abrepti teſtatum orbi velint ſe neutiquam inconſultæ plebis credulitati obnoxios, gloriæ ducunt aſſerere nihil certi omnino eſſe. Hoc pacto amoliuntur laborem illum, qui in rebus examinandis collocari debet; ac eidem peſſimo principio innixi, veritates manifeſtiſſimas, atque ipſam adeo Religionem inter dubia, & incerta habent. Hinc (alterum illud ingenii humani extra rationis orbitam evagantis vitium) natus eſt Pyrrhoniſmus: qui quum videatur illorum temeritati contrarius, qui omnia credunt, de omnibus pronuntiant, ab eadem tamen radice originem ducit, attentionis ſcilicet defectu. Illi enim eam operam, quæ erroribus cognoſcendis neceſſaria eſt, nequaquam impendunt: hi nolunt in veritatum contemplatione verſari ea cura ac diligentia, quæ illis potis eſt evidentiam conciliare. Quævis ſubluſtris, & maligna lux ad veritatem in rebus falſiſſimis videndam illis ſufficit: his ad falſitatem in rebus veriſſimis detegendam; quum tamen in utriſque effectuum tam diſparium cauſſa ſit, unus idemque attentionis defectus „. Quo quidem in loco præcipuos errorum, ac præjudiciorum fontes, in animo noſtro inſidentes detexit: queis ſi quum eorundem

fontium rivos, ut ita dicam, nonnullos, tum fontes alios longe diverſos, vel in corpore noſtro exſiſtentes, vel extra nos poſitos adnectes, omnes præjudiciorum noſtrorum ſcaturigines in unum habebis. Scilicet in intellectu 1. ignorantia naturalis; 2. ejus brevis capacitas; 3. ſtupiditas, atque hebetudo; 4. levitas, & ſophiſtice; 5. præcipitantia, & attentionis defectus; 6. immodica ſciendi cupido. In voluntate 1. quædam naturalis inertia; 2. in voluptates propenſio; 3. valetudinis amittendæ timor; 4. tepidus amor verum inveniendi; 5. a quibuſdam ſtudiis averſatio; 6. inepta docendi ratio quorundam magiſtrorum; 7. falſa opinio ſcientiam cum pietate convenire non poſſe; 8. affectus. In corpore 1. naturalis inertia; 2. temperamenta, ac phantaſia; 3. ſenſus. Extra nos denique 1. parentes; 2. magiſtri; 3. poetæ; 4. populus, atque alia plura. De his omnibus particulatim agendum nobis eſt. Atque in hoc capite ſermonem inſtituemus de fontibus præjudiciorum in intellectu poſitorum.

II. *Ignorantia primus fons*. Ac primum ignorantia, cui ob Adami crimen nos omnes liberi ejus obnoxii naſcimur, plurium præjudiciorum fons eſt. Deus O. M. hominem ſumma, multiplicique ſapientia exornarat; at quum ejus mandatis morem gerere detrectaverit, in hanc, quam nos quoque ejus miſerrima proles in dies experimur, ignorantiam prolapſus eſt. Hinc beatus Auguſtinus lib. XXII. de civit. Dei cap. XXII. Adami facinus in poſteros traductum evicit, „ Quid enim aliud, inquiens, indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error exſiſtit, qui omnes filios Adam tenebroſo quodam ſinu ſuſcipit, ut homo ab illo liberari ſine labore, dolore, timore non poſſit „? In primi ergo parentis ſceleris animadverſionem ignari in lucem omnes prodimus, & ſine rationis uſu, quod unicum lumen, etſi in corporis involucris obtectum, nobiſcum afferimus. Porro antequam eo utamur, brutorum animantium inſtar operamur. De re ulla judicium ferre nequimus, modo cibos ac potus cet. excipias, quæ aut deprehendimus amara, & refugimus; aut dulcia, & exoptamus: atque adeo quum annicu-

li

li, aut bimi ſumus, neque iſthæc internoſcere valemus: ita ut & igni manus ſine ullo damni timore admoveamus; & lapides, herbas, lignaque in os immittamus; & gladiis, aut aliis inſtrumentis noſmet ferire non vereamur. Quum vero rerum notiones quamplures ſenſuum miniſterio comparaverimus, tum rationis lumen adhibere incipimus; atque ignorantiam eliminare. Id autem ſub annum ætatis noſtræ ſeptimum univerſim contingit. Nemo tamen inficiatur, id temporis punctum certo definiri non poſſe, quum a majori, minorive ingenii acumine pendeat: hinc alii in octavo, & nono, aliique in quinto, & ſexto anno ratione uti incipiunt. Primis certe haud accenſendus eſt puer ille Mutinæ ortus anno 1641. Jacobus nimirum Martinus cognominatus Mutinenſis, qui quartum vitæ ſuæ annum agens, doctore P. Joanne Baptiſta Mezzetti ordinis ſervorum Mariæ, ſedulam litteris operam navare auſpicatus eſt; tribuſque annis varias linguas, Philoſophiam, Theologiam, Leges, aliaſque artes, & ſcientias adeo feliciter addidicit, ut Romæ, ubi adductus fuerat, varias theſes in omni pæne ſcientiarum genere diſputandas proponere potis fuerit, incredibili omnium admiratione, qui puerum ſeptennem tanto ingenii acumine, tanta facundia, tanta gratia, tantaque animi conſtantia argumenta diluere cernebant.

III. *Unde ingeniorum diverſitas repetenda*. Verum ejuſmodi ingeniorum monſtra raro admodum apparent: neque omnibus idem intellectus acumen, eademque memoriæ firmitas contingit; quæ quidem diverſitas num ex una cerebri ſtructura, ſpirituumque animalium (quo nomine veniunt corpuſcula quædam mira pernicitate prædita ex purioribus ſanguinis particulis in cerebro conflata, ut Anatomici conjiciunt, quæ huc illuc per nervorum canales ad animæ nutum diſcurrendo, quum muſculis ſuppetias ferunt ad corporis membra movenda, tum ad excipiendas ſenſationes, affectiones, ſive impreſſiones corporum externorum, atque animæ referendas,

eandem modificationem in cerebro imprimendo) totiuſque corporis opificio pendeat, an verò ex animarum diverſitate, dubium eſt. Equidem in eorum æquo animo deſcendo ſententiam, qui admirabilem illam intellectus, voluntatis, memoriæ, ingenii, ac propenſionis diſſimilitudinem uni corporis, ac potiſſimum cerebri, ſpirituumque ſtructuræ, & opificio attribuunt. Legeſis quæ habet cl. Muratorius Filoſof. Moral. c. III. & Raſſielſius Vigierius in tractatu inſcripto „ L'eſprit de l'homme chapit. II. Quod quidem vel ex eo luculentiſſime apparet, quod filii ut plurimum patribus ſimiles progignantur. Hinc beatus Joannes Chryſoſtomus in Matth. XXIII. homil. XXXXV. „ ſicut arbor in fructu, ait, cognoſcitur, & fructus per arborem demonſtratur: ſic parentes cognoſcuntur in filiis, filii per parentes „. & Horatius carmin. l. IIII. od. IIII. cecinit:

Fortes creantur fortibus, & bonis:
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Julius Cæſar Scaliger natus in Caſtro Ripa ad lacum Benacum in agro Veronenſi anno 1484. Agini, quæ urbs eſt Aquitaniæ, denatus anno 1558. quique natales, vitam, res geſtas, obitumque ſuum deſcripſit epigrammate, quod ejus ſepulcro inſcriptum viſitur,

Extulit Italia, eduxit Germania, Julj
Ultima Scaligeri funera Gallus habet;
Hinc Phæbi dotes, hinc duri robora Martis
Reddere non potuit nobiliore loco:

poſt ſe natos reliquit Silvium Medicum, & Joſephum Juſtum non modo facultatum, ſed etiam eximii, acutique ingenii heredes. Aldus Pius Manutius ſub initium ſæculi XVI. exſtinctus Paulli Manutii pater fuit. Paullus Aldum, juniorem nuncupatum, genuit: omnes doctrina, & eruditione clari. Verum ut noſtrates afferam, Antonius Genuenſis magnus ille ævi noſtri philoſophus, quique æternam ſibi ingenii acumine, ſelecta ingentique eruditione famam

apud

apud litteratos homines comparavit, parentem habuit Servatorem nomine, virum litteris minime excultum, ſed ingenio adeo acuto præditum, ut ipſi perdocto filio quæſtiunculis ac nodis, quos ei ſolvendos proponebat, negotium faceſſerit: neque impari exornatas eſſe ingenio filias etiam ſuas, atque Genuenſis ſorores ferunt. Mitto fratres Capaſſos Nicolaum, Joannem Baptiſtam, & P. Dominicum Jeſuitam, quorum memoria in omnes annos vigebit; Majellos Carolum, & Januarium cet. Atque hinc colligo ingeniorum varietatem uni corporis temperationi adſcribendam eſſe; nam ſi parentes prolem ſui adſimilem ut plurimum gignunt, nec in animum ejus quidpiam influere conſtat; abnegari haudquaquam poterit corporis ſtructuram in cauſſa eſſe, quod homines eodem mentis acumine, eademque memoriæ firmitate præditi minime ſint. Haud me præterit s. Auguſtinum l. IIII. contra Julianum, s. Bonaventuram, Albertum, Toſtatum, ac Pariſienſem Academiam, quæ Quodlibet. III. quæſt. v. „ Si quis dixerit, definivit, omnes animas ab origine eſſe æquales, errat, quoniam alias anima Chriſti non eſſet perfectior anima Judæ „ a nobis diſſentire: ſed in hoc negotio licet eorum auctoritati refragari, idque amplecti, quod vero ſimilius putamus.

IIII. *Brevitas intellectus*. Jam vero etſi quiſquam præſtanti a natura ingenio exornatus foret, ſi vero ejus capacitas cum rebus, quæ ſciri poſſunt, comparabitur, longe imparem eſſe deprehendetur. Siquidem ea, quorum notitiam habere valemus, numero pæne infinita ſunt. Quis enumerare potis eſſet phœnomena, quæ in phyſicis occurrunt nondum ſapienter explicata? varias inierunt rationes Philoſophi, ut quidpiam lucis eis afferrent; ſed tantum abeſt, ut involucra explicarint, ut maxima in obſcuritate poſt conatus & ſtudia clariſſimorum virorum adhuc verſemur, ex. gr. motus maris cauſſam quiſnam detexit? In Metaphyſica quot ſunt, quæ poſt aſſiduas meditationes etiam nos latent? quiſnam admirabilem illam animi, corporiſque conjunctionem felici-

 ter

ter explicuit? quisnam modum, quo animus corpus moveat, percepit? In Theologia quot magno animorum æſtu a doctoribus verſantur? Sed quo accuratius pertractantur, eo implicatiora evadere ingenui rerum æſtimatores fatentur. Quot rumores ac turbas non excitarunt ſuper divina gratia? ſed nullo fructu, cet.

V. *Quæ mentis captum ſuperant non inveſtiganda*. Hinc 1. conſequitur non debere nos iis deregendis inſudare, quæ intellectus humani aciem ſuperant. Cujuſmodi ſunt inquiſitiones cauſſarum plurium creatarum rerum, quas Deus nos præterire voluit: inveſtigationes finium, quos ſibi in nonnullis opificiis ſuis propoſuit: diſputationes ſuper arcanis fidei dogmatis, quæ captum mentis noſtræ excedunt, quæque nos credere, non curioſe veſtigare prodeſt. Huc ſpectant, quæ Salomon omnium mortalium ſapientiſſimus Eccleſ. c. VIII. XVI. & XVII. habet„: Et appoſui cor meum, ut ſcirem ſapientiam, & intelligerem diſtinctionem, quæ verſatur in terra: eſt homo, qui diebus, & noctibus ſomnum non capit oculis. Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt ſub ſole: & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat: etiam ſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire „. Et Sapient. c. VIIII. v. XIII. & ſeq. „ Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei? aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ: corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Et difficile æſtimamus, quæ in terra ſunt: & quæ in proſpectu ſunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cœlis ſunt quis inveſtigabit? Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis: & ſic correctæ ſint ſemitæ eorum, qui ſunt in terris, & quæ tibi placent, didicerint homines? Nam per ſapientiam ſanati ſunt quicunque placuerunt tibi,

Do-

Domine, a principio,,: & Eccleſ. c.III. x. & xI. & Eccl. c. III. v. xxII. „ Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris; ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus,, cet. Quibus omnibus ſacrarum Litterarum teſtimoniis turpiſſime Auctor libelli de imbecillitate intellectus humani abutitur, ut evincat nos certo atque indubitate cognoſcere haud poſſe veritatem: quod quidem deliramentum jam confutarunt plerique naris emunctæ viri.

VI. *Superflua aufugienda*. Hinc conficitur 2. rebus inutilibus, ac ſuperfluis addiſcendis tempus inſumendum non eſſe, cujusmodi ſunt quæſtiones, quæ in deliciis erant Scholaſticis, quod vitium præ ceteris innumeris, qui in Scholaſticos debacchati ſunt, notavit vir doctiſſimus Jo. Franciſcus Buddeus in Hiſt. Philoſ. ſuccinct. delineat. pag. 70. „ In dogmatibus Scholaſticorum hoc maxime obſervandum, quod circa inutilia, futilia, meraſque λογομαχίας fuerint occupati. Logicæ, & Metaphyſicæ maximum ſtatuerunt pretium. Hinc de prædicamentis, prædicabilibuſque ad nauſeam uſque diſputant; quemadmodum & de principio individuationis, de radice futuritionis, de ſuppoſitalitate, & perſonalitate, & hujusmodi infinitis nugis valde fuere ſolliciti. Sic & Phyſicam fere totam in Metaphyſicam converterunt, ſit ne Phyſica ars, an ſcientia? deturne motus ad ſubſtantiam? ſit ne generatio motus, nec ne? acriter diſputantes. In ceteris Ariſtotelem ſecuti ſunt, aut ſequi voluerunt,,. Græcis, & Romanis etiam de rebus inutilibus, parumque momenti diſputationes vitio vertebat L. A. Seneca lib. I. de brevitat. vitæ cap. xIII.: „ De illis nemo dubitabit, ait, quin operoſe nihil agant, qui in litterarum inutilium ſtudiis detinentur: quæ jam apud Romanos quoque magna manus eſt. Græcorum iſte morbus fuit, quærere, quem numerum remigum Ulyſſes habuiſſet: prior ſcripta eſſet Ilias, an Odyſſea: præterea an ejuſdem eſſet auctoris. Alia deinceps hujus notæ: quæ ſive contineas, nihil tacitam conſcientiam juvant; ſive proferas, non do-

 ctior

ſtior videberis, ſed moleſtior. Ecce Romanos quoque invaſit inane ſtudium ſupervacua diſcendi. His diebus audivi quendam ſapientem referentem, quæ primus quiſque ex romanis ducibus feciſſet. Primus navali prælio Duillius vicit, primus Curius Dentatus in triumpho duxit elephantos. Etiamnum iſta, & ſi ad veram gloriam non tendunt, circa civilium tamen operum exempla verſantur. Non eſt profutura talis ſcientia: eſt tamen quæ nos ſpecioſa rerum vanitate detineat cet.,,. Quid quod adhuc in tanta litterarum luce non deſint, qui bonas horas inſumant in minimis profanæ antiquitatis reculis illuſtrandis? Quot viri alioquin docti atque omnigena eruditione conſpicui commentaria in mulierum græcarum, vel romanarum inaures, annulos veſtes, calceos, ceteraque id generis ornamenta ſummo labore ac ſtudio conſcribunt? Quot hodieque eaſdem, ſimilesve quæſtiunculas promovent, quas Svetonius de Gel. cap. LXX. memoravit, ſcilicet quæ fuerit mater Hecubæ? Quid Achilli nomen? Inter virgines fuiſſet? Quid ſirenes cantare ſueverint,,? Quid hinc boni Reipublicæ obvenit? nullum plane. Quid autem mali? ſaltem temporis jactura. Qua fit, ut neceſſariis ſtudium, & operam impendere nequeamus; ut qui in reculis ſuperfluis, & minimis verſandis toti ſimus. Lege Senecam epiſtola LXXXVIII. in qua iſthoc vitium fuſo calamo inſectatur, & Juvenal. ſatyr. VII.

VII. *In plura diſtractio declinanda*. Ex eodem dimanat fonte 3. ut per varia etiam utilia animus minime diſtrahendus ſit; nam quum mentis noſtræ capacitas perbrevis ſit, ſi ad plures ſimul res animum appellemus, confuſas, & inadæquatas earum notiones acquiremus. ,, Lectio certa prodeſt, ſcribebat Seneca ep. XLV. varia delectat. Qui, quo deſtinavit, pervenire vult, unam ſequatur viam, non per multas vagetur: non ire iſtud, ſed errare eſt ,,. Quare unirei operam navare ſedulam debemus, eaque primum addiſcere, quæ illi intelligendæ perneceſſaria ſunt; eamque methodum adhibere, quæ brevior, atque

aptior

aptior eſt. In quæ ii peccant, qui oſcitanter in plura incumbunt; qui Sacras Litteras ſine linguarum, hiſtoriarumque orientalium peritia interpretandas ſuſcipiunt; qui carptim libros legunt, cet.

VIII. *Ingeniorum ſtupiditas, & hebetudo*. Jam vero iſthæc mentis brevitas, quæ homini cuique ineſt, in nonnullis craſſis ſtupidiſque ingeniis permagna eſt, hinc vel ſolum res, quæ ſub ſenſus cadunt, bene percipiunt, vel ſi res ſpiritales etiam intelligunt, eodem concipiunt pacto, ac illæ, quæ ſenſibus ſubjiciuntur; ſi ad humanitatem ea informare velis, poſt immenſos labores, vix prima grammatices elementa ediſcent; fruſtra rationes paullo ſubtiliores afferes, ſi quidpiam eis ſuadere cupias. Præjudicia, quæ imbiberunt, ægre ponunt. Nihil ſi res naturales ſpectent, eis afferent detrimenti hujusmodi errores: ſed non raro, ut quum eis aliquod chriſtianæ ethices ſcitum explicueris, atque ſervandum eſſe dixeris, vix adducuntur, ut fidem tibi, dictiſque tuis præbeant: ſed incredibili animi pervicacia contendunt, te a veritate aberrare, ſeque autem vera ſentire. Hujusmodi ingenia a ſcholis longe arcenda, telluri excolendæ, vel lignis exaſciandis, vel lapidibus ſcindendis, aliisve id genus artificiis ſunt addicenda: ſecus oleum, & operam perdes.

VIIII. *Levitas ingeniorum*. Præterea levis ingeniorum quorundam indoles magna præjudicia creat, atque fovet. Enimvero quidam homines ſunt, qui inanibus adducti rationibus quidpiam propugnandum ſuſcipiunt: hinc ſi aſtutus quiſquam magno argumentorum apparatu id a veritate abhorrere eis oſtendere nitetur, facile in ſuam eos pertrahet ſententiam; quippe qui non eorum quavis de re opinamentum ſequuntur, quod validioribus, ſolidioribuſque fulciatur monumentis, ſed quod ſequendum vel phantaſia, vel voluptas, vel opportunitas ſuaſerit. „ Fluctuamus, inquiebat Seneca de otio ſapientis, aliudque ex alio comprehendimus: petita relinquimus, relicta repetimus. Pendemus enim toti ex alienis judiciis; & id optimum nobis videtur, quod pe-

petitores, laudatoresque multos habet, non id, quod laudandum, petendumque eſt „. Levitas ejuſmodi virum gravem, ac doctum dedecet; atque adeo ſummopere nocet, ſi etiam in Religionis negotio idem mos retineatur. Quapropter, Paullus epiſt. ad Epheſ. c. IIII. verſ. XIIII. ſedulo monet, ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris„ ſcilicet ne puerorum inſtar, queis inſtabile judicium eſt, fluctuemus; atque ne ab hæreſeon novarum ſatoribus in ſua falſa dogmata abripiamur. Iſthac levitatis atque inconſtantiæ labe ii potiſſimum infectos ſe commonſtrarunt; qui Chriſti eccleſiam a ſuis nævis, ac maculis, ut ipſi effutiebant, purgandam adhæc ſuſceperunt. Legeſis Hiſtoriam variationum Eccleſiarum Proteſtantium a doctiſſimo Jacobo Benigno Boſſuetio Meldenſi epiſcopo conſcriptam.

X. *Sophiſtica quorundam ingeniorum natura*. Adhæc ſophiſtica ingeniorum quorundam indoles præjudicia innumera, eaque non parvi ſæpe momenti progignit. Hi enim homines vel in rebus contemplandis, vel in aliorum libris interpretandis verſantur: ſi res expendunt, tantum abeſt, ut eas illuſtrent, ut quicquam ignotum, implicatumve, detegant, expediantque, ut maxime perturbent ac miſceant. Vel nimium rem diducunt, ac veriſimilem non faciunt: quum porro haud ſerenis oculis eam diſpiciant, vel ex parte, vel non recte videant, neceſſe eſt. Veritas profecto iſtiusmodi ingenia nimis ſubtilia latebit, ut quæ ſubtilitatis inimica. „ Audi quantum mali, Seneca epiſt. LXXXVIII. loquitur, faciat nimia ſubtilitas, & quam infeſta veritati ſit. Protagoras ait, de omni re in utramque partem diſputari poſſe ex æquo, & de hac ipſa, an omnis res in utramque partem diſputabilis ſit. Nauſiphanes ait, ex his quæ videntur eſſe, nihil magis eſſe, quam non eſſe. Parmenides ait, ex his quæ videntur, nihil eſſe in univerſum. Zenon Eleates omnia negotia de negotio dejecit: ait nihil eſſe.
Cir-

Circa eadem fere Pyrrhonii verſantur, & Megarici, & Eretrici, & Academici, qui novam induxerunt ſcientiam, nihil ſcire. Hæc omnia in illum ſupervacuum ſtudiorum liberalium gregem conjice. Illi mihi non profuturam ſcientiam tradunt, hi opem omnis ſcientiæ eripiunt: ſatius eſt ſupervacua ſcire, quam nihil. Illi non præferunt lumen, per quod acies dirigatur ad verum; hi oculos mihi effodiunt. Si Protagoræ credo, nihil in rerum natura eſt, niſi dubium: ſi Nauſiphani, hoc unum certum eſt, nihil eſſe certi: ſi Parmenidi, nihil eſt præter unum: ſi Zenoni, ne unum quidem. Quid ergo nos ſumus? quid iſta, quæ nos circumſtant, alunt, ſuſtinent? Tota rerum natura umbra eſt, aut inanis, aut fallax. Non facile dixerim, utrum magis iraſcar illis, qui nos nihil ſcire voluerunt, an illis, qui ne hoc quidem nobis reliquerunt, nihil ſcire „. En genuinos ingeniorum captioſorum fœtus! Nec antiquitas ſola habuit, tempeſtas noſtra ipſa ſophiſtis ejusdem furfuris minime caret. Si in eadem deliramenta prolapſi non ſunt, pertimuere forte, ne ſibilis & ſannis exciperentur. Sophiſtica indole certe præditi fuere Petrus Bælius Pyrrhonicus, Auctor libelli de imbecillitate intellectus humani eruditiſſimo Huetio vulgo adſcripti, qui evincere ſtuduit, nos veritatem perfecte, & ſine ulla dubitatione cognoſcere ſolis viribus intellectus non poſſe; Whiſtonus, & Burnetus, qui ridiculas telluris theorias commenti ſunt, aliique plures.

XI. *Sophiſtæ verbales*. Inſuper alii ſunt, quibus quum non ſit facultas circa res ſophiſtas agere; quippe qui ſcientias omnes, ac præcipue philoſophicas vel ſummis dumtaxat labiis deguſtarunt, vel ne de nomine quidem norunt, & in lexicis volutandis, in ſcriptoribus græcis, vel latinis lectitandis unius linguæ ediſcendæ gratia occalluerunt, hi, inquam, ut ſibi doctorum famam concilient, a vulgari, communi, atque obvia auctorum interpretatione abeunt, aliamque novam prorſus comminiſcuntur. Quo tamen fit, ut nec magnam nominis exiſtimationem

con-

conſequantur; & deridendos ſe vel pueris propinent. Vehementer doleo, quod norim viros alioquin doctos & eruditos eadem febri laborantes; quorum nominibus parco, ne tantillum quidem maledicus videar. Ipſe audivi quendam de vacuo diſſerentem, qui prolato Geneſeos loco cap. I. v. 2. „ Terra autem erat inanis, & vacua „ actutum collegit: ergo datur vacuum. Oh præclare!

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici? Quis enim vel a limine ſacras litteras ſalutavit, atque ignorat, dici ibi vacuam tellurem, quum non eſſet adhuc plantis, herbis, floribuſque circumveſtitá? Scio hominem, cui hujuſcemodi nugæ & ſophiſmata verborum in deliciis ſunt. Is mihi illud s.Pauli ad Rom. c.XI. v. XXXIII. „ O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus „ objecit contendens, s. Apoſtolum ſibi non convenire, quum dicit „ O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus „ & deinde ſtatim ſubnectit „ & inveſtigabiles viæ ejus „ ſi igitur, inquiebat, inveſtigabiles ſunt: & inquiri, & cognoſci a nobis poſſunt: reſpondi huc loci inveſtigabiles, non veſtigabiles ſignificare, ac τὸ in negandi vim habere, quemadmodum in inviſibile, ut luculentiſſime, quum ex iis quæ ἀμέσως (immediate) præcedunt; tum etiam ex iis, quæ ſtatim ſubſequuntur: „ Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit? „ liquet: neque verba Apoſtoli latine reddita eſſe nimis urgenda; quum ipſe græce, non autem latine ſcriptitarit. Vix ægre huic luculentiſſimæ rationi acquievit. Hi ſane homines „ faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant „ uti Terentius And. prolog. ait.

XII. *Præcipitantia*. Hujuſmodi ſophiſtarum genus ut plurimum de rebus, atque auctorum ſenſis præcipitanter judicant; quippe qui hæc, aut accurate non animadvertunt, aut animadvertere nequeunt. Verum qui idem peccatum admittunt, longe plures, quam quiſquam credit, ſunt. Etenim quum laborem ſum-

ſummopere natura averſemur, hinc fit, ut minime res undique verſemus, ſed earum dumtaxat cortice contenti judicium de iis temere ferre non vereamur. Poteſt idem effectus ex pluribus cauſſis produci: una tantum mihi interea conſtat; ne diu animi pendeam, hanc eſſe ejus effectus cauſſam pronuntio. Idque non ſolum in humanis diſciplinis, ſed etiam in civili vita ſæpe uſuvenit. Qua de re exempla quum in ſacris, tum in profanis hiſtoriis occurrunt innumera. Chriſtum Dominum apud Simonem Phariſæum veſcentem, uti Lucæ c.VII. v.xxxvi. & ſeq. narratur, mulier quædam in civitate peccatrix adivit, atque lacrimis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui abſtergere, & unguento ungere. Quæ quum vidiſſet Phariſæus temere apud ſe pronuntiavit: „ Hic ſi eſſet propheta, ſciret utique, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix eſt „. Verum ſi Phariſæus ad ſummam Chriſti pietatem animum advertiſſet, atque eum tanquam medicum reputaſſet, qui curatum venerat animas, quæ perierant ex domo Iſrael, haudquaquam ejusmodi judicium tuliſſet. Signis ut plurimum ambiguis, quæ quum in bonam, tum in malam accipi partem queunt, ducimur, ut malam de aliis opinionem animo concipiamus, ex. gr. ſi quis hæreticorum libros plurimi facit, eorumque lectione delectatur, ſtatim colligitur, minime eorum dogmata averſari: falſa conſecutio: poteſt enim eos commendare vel ob ingenii acumen, vel ob ſtili elegantiam, vel ob rectam diſſerendi methodum; lectitare autem vel ut eorum errores refellat, vel ut optima excerpat, vel ut ſtili nitorem, atque elegantiam ediſcat. Ceterum ejuſmodi librorum lectio non poteſt cuique indiſcriminatim permitti, ſed iis dumtaxat, qui pietate ac doctrina eximia præditi ſunt. Is eſt etiam Eccleſiæ mos, quum facultatem facit libros prohibitos legendi. Si quis alicujus opinionem inſectatur, ſtatim odii, invidiæque arceſſitur: ſed temere. Siquidem poteſt nimio veritatis amore in eum acriter invehi.

XIII. *Defectus attentionis*. Ex attentionis defectu

præ-

præcipitantiam in ferendo de rebus judicio naſci palam eſt. Sed ex iſthoc eodem fonte dimanat, ut pauca ſciamus; confuſas, obſcuras, atque inadæquatas rerum notiones habeamus; bona a malis; optima & præclara cogitata a futilibus; errorem a veritate, minime internoſcamus; ſi enim res accurate expenderemus, æquum, ac rectum rei cuique pretium ſtatueremus. Vitium & virtus, malitia & bonitas, error & veritas non raro eodem habitu nobis videnda ſe præbent; quæ recte diſcernere una attentione accurata valemus. „ Cernenda ſunt diligenter, ſedulo Tullius in Part. Orat. c. XXIII. monebat, ne fallant ea nos vitia, quæ virtutem videntur imitari. Nam & prudentiam malitia; & temperantiam immanitas in voluptatibus aſpernendis; & magnitudinem animi ſuperbia in animis extollendis, & deſpicientia in contemnendis honoribus; & liberalitatem effuſio; & fortitudinem audacia imitatur; & religionem ſuperſtitio; ſtudiiſque bonis ſimilia videntur ea, quæ ſunt in eo genere nimia „. Sæpe etiam iſthæc eadem permiſta in eodem homine inveniuntur. Hinc fit, ut vitia ac nævos in iis approbemus, qui magna apud nos, alioſve exiſtimatione ſunt; atque id etiam, quod laudem meretur, in iis vituperemus, qui nullo apud nos, ceteroſve in honore ſunt, deſpectuique habeamus, neutiquam animadvertentes peſſimos haud raro ſine aliqua boni miſtura eſſe; atque bonis ac religioſis Deum ſuas maculas reliquiſſe, quæ quum ſint humanæ imbecillitatis reliquiæ, neque imitationem, neque cultum noſtrum promerentur. Si aliorum adhæc lucubrationes legimus, quum oſcitanter, & quaſi fugienti oculo percurrimus, ea magni in illis ducimus, quæ vividius phantaſiam noſtram afficiunt, ſive quæ magnifico verborum apparatu depicta ſunt. Res veras multas deprehendimus, ſed errores iis admiſtos minime obſervamus; & e contraria ſi res veræ, & præclaræ erroribus miſcentur, illas negligimus, ad hoſce animum unice advertentes. Quod quidem vitium maximopere hominem dedecet, quippe qui ratione, vi ſcilicet expendendi,

at-

atque animadvertendi præditus ſit. Præterea ut ſapienter quiſquam ſe gerat, oportet attentionem iis adhibeat, de quibus vel loquitur, vel agit. Stulti enim eſt inconſulto loqui, temere judicare, imprudenter, ac ſine ullo conſilio agere. Non diffitendum tamen eſt hujuſmodi negotium eſſe faſtidii plenum, & intellectum noſtrum ægre in rem aliquam diu, multumque incumbere, quum ob quandam animi ingnaviam, qua fit, ut lente admodum ſtudio vacet, tum ob ſpirituum præcipue animalium vigorem, ac motum, qui eum in diverſa trahunt, imaginum ope, quas ei repræſentant. Hinc fit, ut viri quoque in meditatione contriti quandoque oſcitanter quidpiam agant. Carteſius Merſennum rogabat, ut quoſdam verſus in ſcriptionibus ſuis obliteraret „ puto, inquiens, me fuiſſe ſomnolentum, quum ultimas iſtas lineas ſcriberem: quandoque bonus dormitat Homerus„.

XIIII. *Immoderata ſciendi cupiditas*. Jam vero immodica quoque ſciendi cupido ſæpe in cauſſa eſt, ut quidquam attento animo haud expendamus. Etenim qui ſciendi avidi ſunt, eodem tempore pluribus, diverſiſque diſciplinis operam dant: nunc illi, nunc iſti animum appellunt; quum vero ingenio acuto, ac firma memoria præditi minime ſunt, fit, ut vel nihil ediſcant, vel confuſe etiam & inadæquate percipiant: libros omnes, in quos incidunt, devorant; bonos & egregios ab ineptis & futilibus non diſcernentes: nunc grammaticos, nunc philoſophos, nunc theologos evolvunt; & ſæpe uſuvenit, ut ne binas quidem periodos ſine errore conſcribere poſſint: ſi alicujus phœnomeni cauſſam ut aſſignent rogas, obmuteſcunt: ſi dogmatis alicujus momenta, queis innititur, ſcire velis, vel nodum aliquem & difficultatem eis exſolvendam propoſueris, hærent. Inutilibus ſimul, & utilibus curam indiſcriminatim adhibent,: cerebrum merce rudi indigeſtaque infarciunt: iis etiam memoriæ mandandis inſudant, quæ nec ſatis intellexerunt, quæque ſi penitus ignoraſſent, nihil eis obfuiſſent, atque adeo plurimum profuiſſent; etenim ut ait ille „: Neſcire

ſcire quædam magna pars ſapientiæ „. Quid plura? qui eruditionis aviditate perciti ſunt, iis quoque ſtudiis quandoque mentem adjungunt, quæ nihil adjumenti, detrimenti autem multum cultoribus ſuis afferunt; cujuſmodi eſt Aſtrologiæ ſtudium; cui ſe addixit doctiſſ. Joannes Armandus Trappenſis Abbas ſciendi avidiſſimus, a quo deinde ſalutari Spiritus ſancti afflatu animum avertit: idem beato Auguſtino ſummo illi ingenio, uti Confeſſ. lib. IIII. cap. III. teſtatur, contigit: a quo inani, & detrimentoſo ſtudio, ſenis cujuſdam medicinæ peritiſſimi conſilio ac monitu ſe abduxit. Sane apprime utile eſt in quavis re „ ut ne quid nimis „.

XV. *Remedia adhibenda*. Expoſitis præjudiciorum noſtrorum fontibus in intellectu exſiſtentibus, reliquum eſt, ut eis occurramus. Ac primum ignorantiam ſummo labore ac ſtudio ex animo expellemus. Veteres longa ſuſcipiebant itinera ad eos, qui doctrinæ ac ſapientiæ fama celebrabantur, ignorantiæ eliminandæ, ac ſcientiæ comparandæ gratia. Tullius de fin. lib. V. c. XXVIIII. Cur Plato Ægyptum peragravit, ut a ſacerdotibus barbaris numeros, & cœleſtia acciperet? Cur poſt Tarentum ad Archytam? Cur ad ceteros Pythagoreos &c. Cur ipſe Pythagoras Ægyptum luſtravit, & Perſarum Magos adiit? Cur tantas regiones barbarorum pedibus obiit, tot maria tranſmiſit „? Quid quod Æſchines pauper Socratis auditor, quum nihil haberet, ſeipſum diſcendi cupidine præceptori donavit? Deinde brevi mentis capacitati conſulemus, ſi utilibus, & neceſſariis operam dabimus. Deinde ſtupiditati, atque hebetudini ingeniorum medebimur, ſi ad artes illas, ac diſciplinas applicabimus, quæ ad eorum capacitatem ac genium ſunt accommodatæ. Deinde ſophiſticis, levibuſque ingeniis proſpiciemus, ſi conſulemus, ut nihil per ſe novi moliantur, ſed eorum dumtaxat veſtigia premant, qui primas in re quaque tenent. Deinde ut præcipitantiam vitemus, & ne attentionis defectu in errores abripiamur, antequam in animum quicquam inducamus ad exactam trutinam re-

vocabimus. Omnes enim, ajebat Cicero offic. lib. I. trahimur, & ducimur ad cognitionis, & ſcientiæ cupiditatem, in qua excellere pulcrum putamus: labi autem errare, neſcire, decipi, & malum, & turpe ducimus. In hoc genere & naturali, & honeſto duo vitia vitanda ſunt: unum ne incognita pro cognitis habeamus, hiſque temere aſſentiamur; quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debent) adhibebit ad conſiderandas res & tempus, & diligentiam. Alterum eſt vitium, quod quidem nimis magnum ſtudium, multamque operam in res obſcuras, atque difficiles conferunt, eaſdemque non neceſſarias „. Poſtremo, ad cavendam in ſtudiis quoque intemperantiam in ea primum incumbemus, quæ ſunt ceterorum veluti fundamenta; dein in ea, quæ ſtatus noſtri conditio poſtulat, ſuperflua, inutilia, & perniciosa declinando; denique in ea, quæ animum recreant; ea autem methodo iſthæc peragendo, quæ facilior, brevior, atque uſitatior ceteris eſt. Qua de re conſulendus eſt liber V. in quo de Methodo fuſo calamo loquuturi ſumus.

CAPUT III.

De præjudiciorum fontibus in voluntate exſiſtentibus, ſcilicet de naturali averſatione a labore, in voluptates propenſione, proficiendi in ſcientiis deſperatione, ſanitatis amittendæ timore, tepido veritatis amore, peſſima ſtudiorum electione, ineptis profeſſoribus, opinione falſa, pietatem cum doctrina pugnare, deque præceptionibus ad hæc omnia ſpectantibus.

I. *A labore averſatio.* QUum ea ſit voluntatis noſtræ natura, atque indoles, ut quod vel bonum reapſe eſt, vel ſub boni ſpecie ei ab intelle-

 ctu

ctu exhibetur, ſumma voluptate amplectatur; idque e contraria exhorreat, & averſetur, quod veluti malum ei depingatur: hinc fit, ut quod revera bonum eſt, ſed mali coloribus obtectum, quandoque odio habeat. Scientiæ bono nihil certe nobilius, pulcrius, atque optabilius eſt, ſed ſummo, ingentique labore nobis opus eſt, ut eam comparemus. A labore autem veluti a malo quodam voluntas abhorret. Id in cauſſa eſt, ut ad ſcientias addiſcendas animum vel parentum juſſu & imperio, vel vi & minis, vel neceſſitate compulſi, ut plurimum appellamus. Ad pueros mentem advertite: ſcholam, magiſtros, libros, uno verbo laborem odio proſequuntur. Tormentis crudeliſſime nonnulli a magiſtris afflictantur, & pigritiam tamen illam vincere non ſtudent, & litteris impenſius operam navare negligunt: „ Eſt ergo, qui tibi, Deum alloquitur b. Auguſtinus Confeſſ. lib. I. c. VIIII. pie cohærendo, ira ſit affectus granditer, ut equuleos, & ungulas, atque hujuſcemodi varia tormenta, pro quibus effugiendis, tibi per univerſas terras, cum timore magno ſupplicatur, ita parvi æſtimet, irridens eos, qui hæc acerbiſſime formidant, quemadmodum parentes noſtri ridebant tormenta, quibus pueri a magiſtris affligebamur? Non enim aut minus ea metuebamus, aut minus te de his evadendis deprecabamur, & precabamur tamen minus ſcribendo, aut legendo, aut cogitando de litteris, quam exigebatur a nobis. Non enim deerat, Domine, memoria, vel ingenium, quæ nos habere voluiſti pro illa ætate, ſed delectabat nos ſatis ludere, & vindicabatur in nos ab eis, qui talia utique agebant. Sed majorum nugæ, negotia vocantur: puerorum autem talia quum ſint, puniuntur a majoribus, & nemo miſeratur pueros, vel illos, vel utroſque. Niſi vero approbet quiſquam bonus rerum arbiter vapulaſſe me, quia ludebam pila puer; & eo ludo impediebar, quo minus celeriter diſcerem litteras, quibus major deformius luderem cet. „. Vincenda ergo, & ſuperanda eſt ſumma vi, animique conatu iſthæc nativa deſidia, quæ nos a ſtudio, & labore alienat. Atqui ſi magis

exem-

exempla movere, quam verba certum eſt; Plinii ſenioris exemplum lectoribus meis proponere volo, ut alacri animoq; ſtudii laborem ſubeant (*a*).

II. *In voluptates propenſio*. Quemadmodum a la-

(a) *Pergratum eſt mihi*, verba ſunt Plinii junioris in epiſtola V. ad Marcum lib. III. avunculi ſui lucubrationes, & ſtudia enarrantis, *quod tam diligenter libros avunculi mei lectitas, ut habere omnes velis, quæraſque, qui ſint omnes. Fungar indicis partibus: atque etiam quo ſint ordine ſcripti, notum tibi faciam: eſt enim hæc quoque ſtudioſis non injucunda cognitio. De jaculatione equeſtri unus: hunc, quum præfectus alæ militaret, pari ingenio, curaque compoſuit. De vita Pomponii Secundi duo, a quo ſingulariter amatus, hoc memoriæ amici, quaſi debitum munus exſolvit. Bellorum Germaniæ viginti, quibus omnia, quæ cum Germanis geſſimus, bella collegit. Inchoavit, quum in Germania militaret, ſomnio monitus. Aſtitit enim quieſcenti Druſi Neronis effigies, qui Germaniæ latiſſime victor ibi periit: commendabat memoriam ſui, orabatque, ut ſe ab injuriæ oblivione aſſereret. Studioſi tres, in ſex volumina propter amplitudinem diviſi: quibus oratorem ab incunabulis inſtituit, & perfecit. Dubii ſermonis octo ſcripſit, ſub Nerone noviſſimis annis, quum omne ſtudiorum genus paullo liberius, & erectius, periculoſum ſervitus feciſſet. A fine Aufidii Baſſi triginta unus. Naturæ hiſtoriarum triginta ſeptem: opus diffuſum, eruditum, nec minus varium, quam ipſa natura. Miraris quod tot volumina, multaque in his tam ſcrupuloſa, homo occupatus abſolverit. Magis miraberis, ſi ſcieris, illum aliquandiu cauſſas actitaſſe, deceſſiſſe anno ſexto, & quinquageſimo. Medium tempus diſtentum, impeditumque, qua officiis maximis, qua amicitia principum egiſſe pernoſcitur. Sed erat acre ingenium, incredibile ſtudium, ſumma vigilantia. Lucubrare a vulcanalibus incipiebat, non auſpicandi cauſſa, ſed ſtudendi; æſtate ſtatim a nocte multa; hieme vero ab hora ſeptima, vel quum tardiſſime octava, ſæpe ſexta. Erat ſane ſomni parciſſimi, nonnumquam etiam inter ſtudia inſtantis,*

bore nativa quadam animi inertia abhorremus, ſic in voluptates ſine ullo impulſu abripimur. „ Ingenium eſt ...

& deferentis. Ante lucem ibat ad Veſpaſianum Imperatorem: nam ille quoque noctibus utebatur: inde ad delegatum ſibi officium, reverſus domum, quod reliquum erat temporis, ſtudiis reddebat. Poſt cibum ſæpe (quem interdiu levem, & facilem veterum more ſumebat) æſtate, ſi quid otii jacebat in ſole: liber legebatur: adnotabat, excerpebatque. Nihil enim legit, quod non excerperet. Dicere etiam ſolebat: nullum eſſe librum tam malum, ut non aliqua parte prodeſſet. Poſt ſolem plerumque frigida lavabatur, deinde guſtabat: dormiebatque minimum. Mox quaſi alio die ſtudebat in cœnæ tempus: ſuper hanc liber legebatur: adnotabatur, & quidem curſim. Memini quendam ex amicis, quum lector quædam perperam pronuntiaſſet, revocaſſe, & repeti coegiſſe, huic avunculum meum dixiſſe, intellexeras nempe? quum ille annuiſſet, cur ergo revocabas? decem amplius verſus hac tua interpellatione perdidimus. Tanta erat parcimonia temporis. Surgebat æſtate a cœna, luce: hieme, intra primam noctis; & tanquam aliqua lege cogente, hæc inter medios labores, urbiſque fremitum. In ſeceſſu ſolum balinei tempus ſtudiis eximebatur: quum dico balinei, de interioribus loquor. Nam dum diſtringitur, tergiturque, audiebat aliquid, aut dictabat. In itinere quaſi ſolutus ceteris curis, huic uni vacabat. Ad latus notarius cum libro, & pugillaribus, cujus manus hieme manicis muniebatur, ut ne cœli quidem aſperitas ullum ſtudii tempus eriperet: qua ex cauſſa Romæ quoque ſella vehebatur. Repeto me correptum ab eo, cur ambularem, poteras, inquit, has horas non perdere. Nam perire omne tempus arbitrabatur, quod ſtudiis non impertiretur. Hac intentione tot iſta volumina peregit, electorumque commentarios centum ſexaginta mihi reliquit opiſthographos quidem, & minutiſſimis ſcriptos, qua ratione multiplicatur hic numerus. Referebat ipſe potuiſſe ſe, quum procuraret in Hiſpania, vendere hos commentarios Lartio Licinio, quadringentis millibus nummorum; & tunc aliquanto pauciores erant. Nonne videtur tibi re-

eſt omnium hominum, ut habet Terentianum illud, Andr. Act. 1. Sc. 1. a labore proclive ad lubidinem „. Sed facile dictu haud eſt, quam ſint litteris, virtutibusque voluptates inimicæ. Conſilium impediunt, mentis, ut ita dicam, oculos perſtringunt, attentionem avertunt „ Fieri non poteſt, uti egregie obſervavit Cicero pro M. Cælio, ut animus, libidini deditus, amore, deſiderio, cupiditate, copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, litteris operam dare poſſit. Nec eſt alia cauſſa, cur in tantis præmiis eloquentiæ, tanta voluptate dicendi, tanta laude, tanta gloria, tanto honore tam ſint pauci, ſemperque fuerint, qui in hoc labore verſarentur. Omittendæ enim ſunt omnes voluptates; relinquenda ſtudia delectationis, ludus, jocus, convivium, ſermo etiam pæne omnium familiarium deſerendus: quæ res in hoc genere homines a labore, ſtudioque deterret „. Voluptates blandiſſimæ dominæ animum a virtute avocant, atque adeo quicquid boni nobis ineſt, corrumpunt. Sed vos omnes, qui voluptatumblandiciis atque illecebris capti tanquam ſues in turpiſſimo voluptatum cœno marceſcitis, aures arrigite. In iis etiam rebus, quæ diſcuntur, & cognoſcuntur, deliciæ

F 3 in-

recordanti quantum legerit, quantum ſcripſerit, nec in officiis ullis, nec in amicitia Principum fuiſſe? Rurſus, quum audis, quid ſtudiis laboris impenderit, nec ſcripſiſſe ſatis, nec legiſſe? Quid eſt enim, quod non aut illæ occupationes impedire, aut hæc inſtantia non poſſit efficere? Itaque ſoleo ridere, quum me quidam ſtudioſum vocant, qui ſi comparer illi, ſum deſidioſiſſimus: ego autem tantum, quantum partim publica, partim amicorum officia non diſtringunt, vaco. Quis ex iſtis, qui tota vita litteris aſſident, collatus illi non quaſi ſomno, & inertiæ deditus erubeſcat? Extendi epiſtolam, quamvis hoc ſolum, quod requirebas, ſcribere deſtinaſſem, quos libros reliquiſſet. Confido tamen, hæc quoque tibi, non minus grata, quam ipſos libros, futura: quæ te non tantum ad legendos eos, verum etiam ad ſimile aliquid elaborandum poſſunt æmulationis ſtimulis excitare. Vale.

inſunt, & voluptates jucundiſſimæ, hominibusque dignæ. An non videtis eos, qui ingenuis ſtudiis, atque artibus addicti ſunt, quandoque nec valetudinis, nec cibi, nec potus, nec rei familiaris rationem habere, & maximis eam conſequi laboribus, quam ex diſcendo capiunt, voluptatem? Carneades laborioſus, & diuturnus ſapientiæ miles, ſiquidem nonaginta expletis annis, idem illi vivendi, ac philoſophandi finis fuit: ita ſe doctrinæ operibus addixerat, ut quum cibi capiendi cauſſa recubuiſſet, cogitationibus inhærens, manum ad menſam porrigere obliviſceretur. Sed Meliſſa, quam uxoris loco habebat, temperato inter ſtudia non interpellandi, ſed inediæ ſuccurrendi officio dexteram ſuam neceſſariis uſibus aptabat: qua igitur voluptate animus ejus fruebatur? Videſis plura ejusmodi exempla apud Valerium Maximum lib. VIII. c. VII. Suavitate certe ſcientiæ, & cognitionis nihil homini ratione prædito præ ceteris deliciis ac voluptatibus corporis jucundius eſſe poteſt. Quapropter Tullius pro Archia poet. „: Si ex his ſtudiis, ajebat, delectatio ſola peteretur, tamen, ut opinor, hanc animi remiſſionem humaniſſimam, ac liberaliſſimam judicaretis. Nam ceteræ neque temporum ſunt, neque ætatum omnium, neque locorum: hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant; ſecundas res ornant, adverſis perfugium, ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur: quod ſi ipſi hæc neque attingere, neque ſenſu noſtro guſtare poſſemus: tamen ea mirari deberemus, etiam quum in aliis videremus „.

III. *Deſperatio proficiendi*. In voluptates proclivitati ſi accedet deſperatio quædam in litteris proficiendi, & animum deſpondebimus, & nihil magni aggrediemur, & nullum periculum faciemus, & ingenii vires haud exſeremus. Non diffiteor eum ſtultiſſime arrogantem eſſe, qui vel minime ingenii ſui viribus exploratis, vel expenſis atque exploratis, ſed ad materiam, quam verſandam ſuſcipit, non aptis deprehenſis, conſilium non mutat, atque ad eam rem

per-

pertractandam animum appellit. Horatium audiant hi imprudentes ita præcipientem de Art. Poetic.

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis æquam
Viribus; & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri. cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.

Verum mihi cum iis ſermo eſt, quibus natura quum ſummum ingenium, mentem acutam, firmamque memoriam largita minime ſit, & difficiliora intelligere non valeant, ſpem omnem proficiendi abjiciunt, nihil moliuntur, otioſam vitam traducunt, animumque litteris, doctrinisque haud expoliunt. „ Multi ſunt, inquit Cicero in Orat. qui deſperatione debilitati, experiri id nolunt, quod aſſequi poſſe diffidunt. Sed par eſt omnes omnia experiri, qui res magnas, & magnopere exſpectandas concipiunt. Quod ſi quem aut natura ſua, aut illa præſtantis ingenii vis deficiet, aut minus inſtructus erit magnarum artium diſciplinis, teneat eum curſum, quem poterit. Prima enim ſequentem, honeſtum eſt in ſecundis, tertiiſque conſiſtere. Non enim in poetis, Homero ſoli locus eſt, aut Archiloco, aut Sophocli, aut Pindaro. Nec vero Ariſtotelem in philoſophia deterruit a ſcribendo amplitudo Platonis. Nec ipſe Ariſtoteles admirabili quadam ſcientia, ceterorum ſtudia reſtrinxit. Nec ſolum ab optimis ſtudiis excellentes viri deterriti non ſunt, ſed ne opifices quidem, ſe artibus ſuis removerunt, quod aut Jalyſi non potuerunt, aut Coæ Veneris pulcritudinem imitari, nec ſimulacro Jovis Olympii, aut Doriphori ſtatua deterriti, reliqui minus experti ſunt quid efficere, aut quo progredi poſſent: quorum tanta multitudo fuit, tanta in ſuo cujuſque genere laus, ut quum ſumma miremur, inferiora tamen probemus „. Tempus ergo non fruſtra teremus, in ſtudia incumbendo, etſi mediocre ingenium ſortiti ſumus.

IIII. *Nimius alicujus viri amor*. Quid quod nonnulli exſtitere, qui tantum alicujus ſummi viri, licet non falli, & fallere neſcii detulerunt ingenio, ut omnem proficiendi ſpem deponere, ſi eis aures

præbuiſſes, coegiſſent? „ Ariſtotelis doctrina, riſum cohibete, ſi Averrhoem hæc proferentem audientes, potis eſtis, eſt ſumma veritas, & intellectus Ariſtotelis eſt finis intellectus humani; nullus eorum, qui ſequuti ſunt uſque ad hoc tempus, quod eſt mille, & ſeptingentorum annorum, nec invenit in verbis ejus errorem alicujus quantitatis „. Nec me præterit Lactantium de falſa ſapient. cap. XXVIII. Ariſtoteli vitio vertiſſe, quod effutiverit brevi philoſophiam plane abſolutam fore: „ Ariſtoteles, en ejus verba, (inquit Cicero) veteres philoſophos accuſans, ait, eos aut ſtultiſſimos, aut glorioſiſſimos fuiſſe, qui exiſtimaſſent philoſophiam ſuis ingeniis eſſe perfectam: ſed ſe videre, quod paucis annis magna acceſſio facta eſſet: brevi philoſophiam plane abſolutam fore. Quod igitur fuit illud tempus? Quando eſt, aut a quibus abſoluta? Nam quod ait, ſtultiſſimos fuiſſe, qui putaſſent ingeniis ſuis perfectam eſſe ſapientiam; verum eſt: ſed ne ipſe quidem ſatis prudenter, qui aut a veteribus cœptam, aut a novis auctam, aut mox a poſterioribus perfectum iri putavit. Nunquam enim poteſt inveſtigari, quod non per viam ſuam quæritur „. Quod quam ſapienter obſervatum ſit, nemo non videt. Etenim nihil in rerum omnium natura eſt, quod ſe cognoſcendum ſtatim exhibeat: nihilque quod & inventum ſimul, & perfectum ſit. Enitamur ergo, & nervos omnes intendamus prodeſſe, vel ut, quæ ab aliis jam inventa ſunt, augeamus, corrigamus, perficiamus; vel ut nova (multa enim adhæc latent, quæque detegi, cognoſcique poſſunt) ipſi inveniamus „. Quam multa animalia, ſcribi opportune Seneca Natural. Quæſtion. lib. VII. cap. XXXI. hoc primum cognovimus ſæculo? & quidem multa venientis ævi populus ignota nobis ſciet. Multa ſæculis tunc futuris, quum memoria noſtra exoleverit, reſervantur. Puſilla res mundus eſt, niſi in illo, quod quærat, omnis mundus habeat. Non ſemel quædam ſacra traduntur. Eleuſis ſervat, quod oſtendat reviſentibus. Rerum natura ſacra ſua non ſimul tradit. Initiatos nos credimus: in veſtibulo ejus hæ-

re-

remus. Illa arcana non promiſcue, nec omnibus patent reducta, & in interiore ſacrario clauſa ſunt. Ex quibus aliud hæc ætas, aliud, quæ poſt nos ſubibit, adſpiciet. Quando ergo iſta in notitiam noſtram perducentur? Tarde magna proveniunt, utique, ſi labor ceſſat„.

V. *Nova inventa*. Jam tempeſtate hac noſtra, quæ Seneca, Lactantiuſque pluribus ab hinc ſæculis prædixerant, oculis cernimus. Nam innumera pæne ſunt bona, quæ in philoſophiam, recentium philoſophorum diligentia, & labor contulerunt, quam novis inventis, noviſque obſervationibus mirifice locupletarunt. Quis enarrare potis erit, quæ antiquis ignota ad hæc tempora detecta ſunt? Veteres certe latuit natura tot animantium, quæ Aldrovandus cognovit; tot herbarum, plantarumque a Bavino, Spigellio, Joſtono, Turnefortio, aliiſque pluribus deſcriptarum; tot metallorum a Cardano, Scaligero &c. detectorum. Antiquos præterea Anatomicos fugiebant nervorum origo Varolii, capſulæ atrabilares Archangeli Barthomæi, venæ lactæ Aſellii, glandulæ renis Euſtachii, & œſophagi Veſalii, radices pori hepatici Jaſolini, ductus pancreaticus Verſangii, carunculi renis Rondeletii, chyli receptaculum Pecqueti, ovaria, & ſanguinis circulatio Harvæi, aut Andr. Cæſalpini, aut Paulli Sarpii, opera & ſtudio retecta. Veteres ignorarunt acum nauticam 1302. a viro quodam Melphitano inventam, vel 1260. a Paullo Veneto e Sinenſi regione allatam; artem typographicam; innumera aſtronomica inſtrumenta, atque machinas, quarum ope præclara experimenta, atque obſervationes perfecta ſunt. Teleſcopii ſubſidio ſtellæ minutiſſimæ viæ lacteæ, maculæ ſolis, Saturni aſſeclæ, Lunæ prominentiæ, clivi, ac devexitates, Veneris, Mercurii, Jovis, & Martis circa Solem motus; natura cometarum, vanitas ſphœræ ignis, aliaque plura ſuper corporum cœleſtium ſyſtemate patefacta ſunt. Microſcopio minimæ ſtatuarum, aliorumque id generis opificiorum cælaturæ, colorum conſtitutio, metallorum textura, animalculorum membra, vermium ge-

generatio in lignis, herbis, liquoribus, in ipſis denique hominibus viſa ſunt. Mitto ſpecula cauſtica Tſchirnhauſii, barometra Torricellii, aut Valerii Magni Cappuccini, thermometra Cornelii Drebellii, aut Roberti Fludd, aliaſque innumeras machinas, quæ in dies a ſolertioribus naturæ indagatoribus conficiuntur. Quid plura? P. D. Nicolaus Angelus Guerrerius, ſodalis meus, ſagaciſſimi ingenii vir, horologio parvo, quod quiſque ſecum circumfert, nuper additamentum fecit, cujus ope, nocturno tempore, quota hora ſit, ſciri facile poteſt. Idem novum excogitavit horologium ex arena conflatum. Faceſſant igitur ii, qui otio, voluptatibuſque addicti, ne operam litteris navemus, inque naturæ ſtudio verſemur, infrunito ore exhortantur, intellectus imbecillitatem præter modum exaggerantes. Etenim natura iis ſe ſe videndam præbet, qui attentis oculis eam ſcrutantur (*a*). Ita Carteſius, Gaſſendus, Galileus, Boyleus,

(a) *Quocirca exſcribere mihi volupe eſt elogium peracuti philoſophi Lucæ Antonii Portii a viro doctiſſimo Joannne Bortonio Lyddenſi Epiſcopo elegantiſſimis verſibus exaratum, quod reliquis ſupra memoratis philoſophis aptari jure ſummo poterit:*

Florentes olim Sophiæ cum Portius hortos
Incoleret, verum ſolerti indagine quærens,
Olli forte dedit ſe ſe natura videndam,
Quæ licet in varias converſa repente figuras,
Ceu Proteus ſoleat mortales fallere viſus;
Huic tamen æthereo pectus, cui ſemine Titan
Finxerat, oſtendi non dedignatur, & uſum
Tanquam oblita ſuum, manifeſte prodit in auras.
Tum cæco ignotum retegit velamine vultum;
Explicuitque ſinum, cunctarum ſemina rerum
Quo fovet. Ipſe autem nulli detecta priorum
Arcana inſpiciens, atra caligine pulſa,
Ut mentes hominum veras formaret ad artes,
Tradit manſuris perviſa reperta libellis.
O dignum caput, æternis quod gloria faſtis
Offerat, atque unum ſapientum condat in albo.

leus, Neutonius, aliique innumeri, qui naturam diligentiſſime rimati ſunt, atque adhæc rimantur, plura nondum audita retexerunt, reteguntque.

VI. *Sanitatem amittendi timor*. Hi præclari, atque de republica litteraria optime meriti homines ſtudio ſe addixere ſine ullo jacturæ ſanitatis timore, quam præ ceteris pigritiæ ſuæ excuſationem prætendere ſolent, qui vitam in otio, ac deliciis traducere amant, animumque ad ſcientias, arteſque addiſcendas appellere nolunt. „ Torpent ecce ingenia, ita conquerebatur M. A. Seneca Controverſ. lib. I. de voluptaria juventute temporis ſui, num eadem renovari adhæc querimonia poſſit, alii videant, deſidioſæ juventutis, nec in ullius honeſtæ rei labore vigilatur. Somnus, languorque, ac ſomno, & languore turpior, malarum rerum induſtria, invaſit animos. Cantandi, ſaltandique nunc obſcœna ſtudia effeminatos tenent: & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum feminis, & immundiſſimis ſe excolere munditiis, noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt. Quis æqualium veſtrorum, quid dicam ſatis ingenioſus, ſatis ſtudioſus, imo quis ſatis vir eſt? Emolliti, enerveſque, quod nati ſunt, inviti manent „. In iſtas reculas curam & ſtudium omne conferunt, nec temporis, nec rei familiaris, nec valetudinis, nec animæ ipſius jacturam facere pertimeſcunt: ſi vero ad ſtudia adhorteris, & ſaniti, & vitæ timent. Hunc panicum timorem ex delicatulorum ejusmodi animis evellendum nuper ſuſcepit doctiſſimus P. D. Benedictus Hieronymus Feijous Monachus Benedictinus Hiſpanus in VII. ſermone ſui Theatri Critici, in quo auctoritate acutiſſimi philoſophi Franciſci Baconis, ratione, atque experientia falſam hanc opinionem refellit. Innumera exempla in litteraria hiſtoria occurrunt eruditorum hominum, qui ſatis longe vitam produxere, ut inter antiquos Xenocrates Chalcedonius, qui anno ætatis ſuæ 82. Carneades Cyrenæus, qui 85. ex Laert. vel 90. ex Cic. annorum, Theophraſtus Ereſſius, qui ætatis 85., Epicharmus Cous, qui annos natus 90. Pyrrho,

qui

qui circa 90. annos diem extremum obiere: inter recentes vero, ut Jacobus Gordonus Lesmoræus Scotus qui anno 88. Vincentius Houdrius qui ann. 99. Jacobus Sirmundus, qui ann. 93. e vivis ſublati fuere. Marchio Scipio Maffejus, illud Italiæ decus illuſtre ætatis ſuæ anno 80. ad plures abivit. Quid multa? Card. Angelus Maria Quirinius immortali memoria dignus, adeo ſe ſtudio delectare teſtatur in epiſt. ad Feijoum ſupra laudatum ſine ullo ſanitatis corporis detrimento, ut etiam poſt ætatem ſeptuaginta annorum, tunc ſe ſtudio lætus abducebat, quum ad illud in die quatuordecim horas inſumſerat: & Alexius Symmachus Mazochius, eruditionis portentum, in lectione, & meditatione totus, ſenio pæne confectus ævum noſtrum ſuis lucubrationibus mira refertis eruditione, & doctrina adhuc beare ſtudet. Studium ergo juvenes alacri animo aggrediantur, abjicientes valetudinis amittendæ timorem: quod ſi rite inſtituitur tantum abeſt ut vitæ ſpatium contrahat, ut vitam diuturniorem efficiat. Non diffiteor & ſtudii, & ſciendi intemperantiam eſſe. Hinc Plinius lib. X. c. XXVIIII. „ Luſciniis tantum eſt, memoriæ prodidit, canendi ſtudium, ut certantes emoriantur, ſpiritu citius deficiente, quam cantu: ita nonnulli litterarum immodico amore valetudinem extinguunt, & dum a nullis vinci volunt eruditione, pereunt in ipſo conatu „. Quare ut corporis valetudini proſpiciant ſtudioſi, legant librum poſtumum docti viri Joſephi Antonii Pujati publici Medicinæ profeſſoris in Patavino Senatu inſcriptum: Della Preſervazione della ſalute dei Letterati, e Gente applicata, e ſedentaria in 8. Venetiis editum.

VII. *Tepidus veritatis amor*. Si nimius, immodicuſque valetudini detrimentum afferendi timor alicujus animum invaſerit, totus erit in cautionibus adhibendis, nihil tentabit, nulli rei aſſiduam, ac ſollicitam operam impendet, perfunctorie libros leget, compendiolis, dictionariis, diariis &c. dumtaxat delectabitur, ſcientiarum cortice contentus erit, veritatem remiſſo proſequetur amore: hinc fit, ut in in-

ter-

ternoſcendo verum a falſo negligens ſit; quicquid ei obtrudatur, credat; ea, quæ minime intelligat, veluti vera admittat. Verum torpedinem, qua hujus animus opprimitur, expellat oportet, atque ad veritatem inveniendam non lente, ac ſegniter, ſed pro virili parte incumbat. Ipſa enim eſt mentis lumen, ſine quo in ignorantiæ tenebris commorabitur. Difficultates, ac tædium, quæ in tam ſalebroſo itinere occurrunt, fortiter ſpernenda ſunt. At inquies, aliorum dictis acquieſcam, & improbum illum laborem, qui in veritatis inquiſitione ſubeundus mihi erit, feliciter declinabo. Accedit, quod intellectum perſpicacem haud ſortitus ſim, quapropter tempus & operam ad ſpeculandum fruſtra inſumerem. Præclare! en pigri hominis effugia. Si quiſque eodem pacto ratiocinaretur ne hilum quidem ſcientiæ, atque artes augerentur, & perficerentur: tu pro modulo tuo enitere ut verum detegas, & maxime ſi tibi onus incumbat eas docendi, vel explicandi: utere aliorum obſervationibus, atque experimentis, ſed ea expendito, atque ſi vera eſſe comperies, admittito. noli cæcis oculis nihil niſi fidei ſcita, in animum inducere tuum. Ingenii hebetudinem obtrudis? Bene. Non eo inficias; etenim „ quosdam ait Epicurus, ut ſcribit Seneca epiſt. LII. ad veritatem ſine ullius adjutorio contendere, ex iis ſe feciſſe ſibi ipſum viam: hos maxime laudat, quibus ex ſe impetus fuit, qui ſeipſos protulerunt. quoſdam indigere ope aliena, non ituros, ſi nemo præceſſerit, ſed bene ſecuturos. ex his Metrodorum ait eſſe. Egregium hoc quoque, ſed ſecundæ ſortis ingenium. Nos ex illa prima nota non ſumus: bene nobiſcum agitur, ſi in hanc ſecundam recipimur. Nec hunc quidem contemſeris hominem, qui alieno beneficio eſſe ſalvus poteſt: & hoc multum eſt, velle ſervari. Præter hæc adhuc invenies aliud genus hominum, ne ipſum quidem faſtidiendum, eorum, qui cogi ad rectum, compellique poſſunt, quibus non duce tantum opus ſit, ſed adjutore, &, ut ita dicam, coactore. Hic tertius color eſt. Si quæris hujus exemplar, Hermachum, ait Epicurus, talem fuiſſe.

ſe. Itaque alteri magis gratulatur, alterum magis ſuſpicit„. Audiſtin'? tu forte ſecundum locum occupas; indiges enim duce, ſolus non ibis: elige omnium optimum, hujus veſtigia premito, non autem pecudum more: philoſophator, ratiocinator (*a*).

VIII.

(a) *Io ſolamente aggiugnerò*, inquit acutiſſimus vir Bernardus Lamius, *Trattenimenti ſopra le ſcienze part.* I. *tratten.* II. *Idea della Log. cap.* V. §. III. *che la ricerca della verità non dimanda tanto un intelletto perſpicace, quanto laborioſo, ed attento. Non biſogna ſperare, che tutto ad un colpo ſi trovi ciò, ch'è ſtato lungo tempo naſcoſto. Biſogna pigliare per mano un ſoggetto più volte; ed allorchè ſi vede, che la verità non ancora riluce, meditarvi per qualche tempo. Intanto ſiccome non è vano l'applicarſi a ricercarla, ſcoprendoſi ogni giorno qualche coſa, biſogna attentamente notare tutt' i ſuoi diſcoprimenti. Speſſo accade, che dopo molti tentativi ſi conoſce bene ciò, che ſi ricercava. Dopo molte rifleſſioni, e reiterate meditazioni ſi viene a vedere qualche relazione, che apre la ſtrada, per ove biſogna camminare: oggi ſi diſcopre una verità, che dà lume a ſcoprirne delle altre. Si leggono, ſi conſultano coloro, che poſſono avere conoſcenza del ſoggetto, che ſi tratta. Si ſcorrono almeno i libri di quei, che n' hanno ſcritto, affine di nulla tralaſciare, che abbia potuto giovarci. Ripigliando poi la ſua opera per travagliarvi con un nuovo vigore, ſi poſſono meglio regolare le meditazioni, cioè a dire, pigliare alla fine il cammino, che conduce alla verità. Ma ſiccome ſenteſi molta noja, quando il travaglio è lungo, e penoſo, egli è a propoſito il dividerlo; e queſto è uno dei grandi arcani del Metodo. Nell' Aritmetica, allorchè ſi hanno da ſommare, e da moltiplicare molte ſomme, ſi opera per parti. E' facile l' applicarſi, quando lo ſtudio dura poco, ed il ſoggetto è ſemplice. Per riſparmiare dunque la capacità dell' intelletto, e fare, ch'egli ſia attento a ciò che dee conſiderare, biſogna fare in tutte le ſcienze ciò, che ſi fa nell' Aritmetica, cioè a dire, biſogna dividere il ſuo ſoggetto in molte parti ſemplici, per fare in parti, e con ordine ciò, che non ſi avrebbe potuto fare tutto ad un colpo.*

VIII. *Peſſima ſtudiorum electio*. Profecto inficiandum non eſt huic veritatis inquirendæ tepori vires addi ex peſſima ſtudiorum electione; atque idem ob vitium in ſcientiis parum progredi. Veritas quidem, & ſcientia bona ſunt; horumque inveſtigatio, & cultura jucunda nobis eſſe deberent: ſane forent, ſi in id negotium non invita minerva, neque prælatorum juſſu adacti, ſed libenti animo, atque nativa quadam propenſione incumberemus. Scilicet ad eas diſciplinas animum adjungere quandoque cogimur, a quibus natura abhorremus: idque efficit, ut vel parum, vel nihil in iis ſtudiis proficiamus. Contra ſi in illis ſcientiis, artibuſque curam omnem, atque operam poneremus, in quas nativa quadam propenſione ferimur, ecquis ire inficias poterit mirifice nos in illis progreſſuros? Non omnibus omnia placent. Atque natura ipſa animo noſtro, ſive potius corporis ſtructuræ ac temperamento hanc variam inclinationem inſevit. Hinc alii mira facilitate rerum materialium proportiones dignoſcunt: hi ſi ad architecturam, machinas conſtruendas, picturam, idque generis alia ſe applicarent, magnos efficerent progreſſus: e contrario ſi diſciplinis ſublimibus, abſtractis cet. operam navarent, ne hilum quidem proficerent: alii ſingulari ingenii acumine præditi ſunt, hi ſi in ſcientiis metaphyſicis, mathematicis, theologicis verſabuntur, multum progredientur: ſi vero ad artificia animum convertent, operam, tempuſque ludent. Ergo ſi alios ad alia natura genuit aptiores, quiſque ingenium ſuum ſcrutari, expendereque ſtudioſe debet, atque id ſtudii genus eligere, ad quod ſe factum agnoſcit.

VIIII. *Inepti magiſtri*. Non dubito quin quum inquiſitionis veritatis teporem, tum averſationem a quibusdam ſtudiis inepti profeſſores, & magiſtri foveant, augeantque. Hi enim vel inficete, ruſtice, atque inurbane exponunt ſine ullis ſalibus, ac leporibus, quæ diſcipulos docere volunt: vel ipſi ea apprime haud callent, adeoque obſcure, & confuſe tradunt: vel ipſi egregie ea norunt, ſed in adoleſcentium animos inſinuare ignorant: quum vocabula ſibi,

bi, ceteriſque doctis, non autem diſcipulis ſuis nota adhibeant, ſine ulla eorundem explicatione. Præterea alii tam ſevero ſupercilio ſunt, ut adoleſcentes ſuper aliqua re non bene percepta interrogare illos reformident: alii adeo impatientes, ut nullam difficultatem ſibi objicere patiantur, quin ira excandeſcant: alii adeo truculenti, feroces, atque inhumani, ut diſcipulos ad ſingulos quoſque errores, crudeliter verberent, affligent, excarnificent: alii tandem, ac potiſſimum ii, quibus ſtipendia minime exſolvuntur, diſcipulis tanquam bajulis, & operariis utuntur. Hinc efficitur ut pueri non ſolum a magiſtris, ſed ab ipſis ſcientiis abhorreant; atque in præjudiciis, & ignorantia conſeneſcant.

X. *Opinio falſa de pugna pietatis, ac doctrinæ.* Accedit his falſa quorundam perſuaſio ſcientiam, & doctrinam cum pietate, ac religione convenire bene haud poſſe, quæ quidem ridicula opinatio ſi magis invaleſceret, quot mala pareret, conjicere per ſe quiſque facili negotio poterit. Ac primum pretioſiſſimum rationis donum, quo ceteris animantibus antecellimus, Angeliſque ipſis ſimiles efficimur, animo nimis ingrato contemneremus; neque, ut par eſſet, diligenti induſtria, ac ſtudio excoleremus, perficeremuſque. quo quid in divinam munificentiam injurioſius? Deinde rudes, ac litteris minime exculti, qui eos erudire potis erimus, quibus præſumus? quo quid pernicioſius? Tum iis, rationes, quibus noſtra fides tutatur, afferre ſecundum principis Apoſtolorum ſcitum, non valebimus, qui eas expoſtulant. quo quid exitioſius? Poſtremo neque Deum, neque ejus admiranda opificia plenius noſcerentur. quo quid in ſupremum conditorem ingratius? At quid mala, quæ ex litterarum contemtu progignerentur, commemoro? plura ſane forent, eaque non levis momenti. Præterea opinio iſthæc falſa omnino eſt. Siquidem quid intererat, hominem ratione exornare, ſi eam excolere, & augere ſine pietatis detrimento non potuiſſet? Deinde ipſæmet ſacræ Litteræ doctrinam, & ſcientiam commendant, ad eam hominem abhortantur, atque Adamum ea

præ-

præditum a Deo fuiſſe teſtantur; ex quo colligitur cum pietate bene poſſe ſcientiam conſentire. Denique, ut alia taceam momenta, ſancti eccleſiæ Patres litteras excoluerunt ſine pietatis jactura, atque adeo Eccleſiam ipſam mirifice adjuverunt, adverſus ejus hoſtes præliando, & ingentia volumina tum in ſacrarum litterarum expoſitionem, tum in populi chriſtiani inſtitutionem exarando. Ad hæc me haud præterit eorum inſania, qui litteras non modo homini non prodeſſe, verum etiam admodum nocere arbitrati ſunt. Sed horum deliramenta alibi, & opportunius fuſo calamo exſufflabimus.

XI. *Canones ad huc usque dicta ſpectantes*. Hoſce morbos philoſophus noſter ex animo dejicere ſtudebit. Ac I. illud Horatii animadvertat volo:

Qui cupit optatam curſu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, ſudavit, & alſit,
Abſtinuit venere, & vino.

II. Voluptates corporis contemnito: bruta enim non homines decent: eaque ſectator, quæ animum alliciunt ac delectant. III. Proficiendi in ſcientiis animum ne deſpondeto; quippe ſi ſumma diligentia ſtudia proſequeris, modo bardus non eris omnino, ad eruditionem, & ſcientiam non mediocrem licet ſero, tandem pervenies. IIII. Nullum philoſophum falli ac fallere neſcium credito, nulliusque enuntiata cæcis oculis admittito. V. Ingenii tui vires exſerito, atque aliquod facinus tuo marte aggreditor. VI. Veritatem ingenti amore inquirito, nullumque ne moveto lapidem, ut eam nanciſcaris. VII. Ea ſtudia eligito, in quæ natura, indoleſque tua proclivis eſt. VIII. Magiſtros optimos in quaqua re, cui operam naves, quærito: plurimum ſane adjumenti tibi afferent. VIIII. Ne pietatem ſcientiæ adverſari putato: id enim pietati ac religioni ipſi valde injurium eſt.

CAPUT IIII.

De variis affectuum nominibus, finitione, natura, atque offendiculis, quæ in ferendo de rebus judicio nobis objiciunt: ac potiſſimum de amore, odio, cupiditate, iracundia, invidia, dolore, lætitia, ſpe, timore, ſuſpicione, errore, nec non de monitis quibusdam ad affectus attinentibus.

I. A*ffectuum nomina varia, finitiones, natura, atque damna, quæ nobis inferunt.* Reliquum eſt, ut de affectibus plurium errorum fontibus agam. Atque, ut a nomine incipiam, non uno eodemque vocabulo affectus notionem exprimunt philoſophi. Sicuti enim appoſite obſervat Cicero Tuſcul. III. cap. IIII., perturbationes animi, formidines, libidines, iracundiæ, hæc fere ſunt ejusmodi, quæ Græci πάθη appellant, ego poteram morbos, & id verbum eſſet e verbo, ſed in conſuetudinem noſtram non caderet; nam misereri, & invidere, geſtire, lætari, hæc omnia morbos Græci appellant, motus animi rationi non obtemperantes; nos autem hos eosdem motus concitati animi recte, ut opinor, perturbationes dixerimus, morbos autem non ſatis „. Alibi porro affectum eſſe vehementiorem appetitum ait. Ac loc. laud. c. v. adnectit, quod „ nihil melius, quam quod eſt in conſuetudine ſermonis latini, quum exiſſe ex poteſtate dicimus eos, qui effrenati dicuntur aut libidine, aut iracundia . . . qui igitur exiſſe ex poteſtate dicuntur, icciro dicuntur, quia non ſunt in poteſtate mentis, cui regnum totius animi a natura tributum eſt „. Equidem ſuperne duplicem affectuum finitionem attuli, ex quibus aperte colligitur, quænam affectuum vis ſit, atque natura. In eo ſane omnes non modo veteres, ſed etiam recentes philoſophi mirifice conveniunt, quod affectus animum æque, ac corpus afficiant, percellantque; quippe qui ex voluntate dimanent cum turbido, irrequieto, atque concitato ſpirituum motu. Atque adeo quum omnis voluntatis noſtræ actio, ſpecies quædam amoris ſit, atque is ve-

vehementer nos trahat, corpusque noſtrum ejus quoque vim parſentiat, neceſſe eſt. B. Auguſtinus lib. XIIII. de Civit. Dei cap. VII. eleganter expreſſit, quamvis voluntatis operationem eſſe amorem, inquiens: „ Recta voluntas eſt bonus amor, & voluntas perverſa malus amor. Amor ergo inhians habere, quod amatur, cupiditas eſt: id autem habens, eoque fruens, lætitia eſt, fugiens quod ei adverſatur, timor eſt: idque ſi acciderit ſentiens, triſtitia eſt. proinde mala ſunt iſta, ſi malus eſt amor; bona ſi bonus „. Porro triplicem in affectibus motum diſtinguendum eſſe advertit Seneca de Ira lib. II. cap. IIII. „ Et ut ſcias quemadmodum incipiant affectus aut creſcant, aut efferantur, eſt primus motus non voluntarius, quaſi præparatio affectus, & quædam comminatio. Alter cum voluntate non contumaci, tanquam oporteat me vindicari, quum læſus ſim, aut oporteat hunc pœnas dare, quum ſcelus fecerit. Tertius motus eſt jam impotens, qui non, ſi oportet, ulciſci vult, ſed utique qui rationem evicit. Primum illum animi ictum effugere ratione non poſſumus, ſicut ne illa quidem, quæ diximus accidere corporibus, ne nos oſcitatio aliena ſollicitet, ne oculi ad intentationem ſubitam digitorum comprimantur. Iſta non poteſt ratio vincere, conſuetudo fortaſſe, & aſſidua obſervatio extenuat. Alter ille motus, qui judicio naſcitur, judicio tollitur „. Verum homines ut plurimum affectibus moderandis, ac regendis minime inſudant; quare non mirum cuique videri debet, ſi rerum depravatas notiones habeant, ſi ſæpe in judicando a recto veritatis tramite aberrent; quum affectus attentionem divertant, voluntatem extenuent, acumen retundant, ſciendi deſiderium adimant. Hinc, quæ affectus ſuggeſſerit, amplectuntur, de rebus, prout affectus depinxerit, judicant; quapropter Tullius de Orat. II. cap. XLIIII. „ Plura multo, ajebat, homines judicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut alia permotione mentis, quam veritate „.

II. *Nimius aliorum, & noſtri amor judicia noſtra depravat*. Atque ut luculentius id pateat, ac penitius intelligatur, ſelectis quibuſdam exemplis commonſtrare nitar. Ac principio amor miris modis judicia pervertit, hominesque emunctæ quoque naris, acrisque ingenii ſeducit, ubi eorum animos invaſerit. Id in Seneca viro acuto, ac docto obſervare licet. Is Catonem maximo proſequebatur amore; hinc in ſuis libris ubique locorum Catonis cogitata, dicta, resque geſtas commemorat, laudibus extollit, eumque vivam virtutum imaginem, certiusque exemplar ſapientis viri appellat. „ Pro ipſo quidem Catone, ſcribit de conſtant. Sapient. cap. 11. ſecurum te eſſe juſſi. Nullum enim ſapientem nec injuriam accipere, nec contumeliam poſſe: Catonem autem certius exemplar ſapientis viri nobis deos immortales dediſſe, quam Ulyſſem, & Herculem prioribus ſæculis. Hos enim Stoici noſtri ſapientes pronuntiaverunt, invictos laboribus, & contemtores voluptatis, & victores omnium terrarum. Cato cum feris manus non contulit, quas conſectari venatoris, agreſtisque eſt: nec monſtra igne, ac ferro perſecutus eſt, nec in ea tempora incidit, quibus credi poſſet cœlum unius humeris inniti, excuſſa jam antiqua credulitate, & ſæculo ad ſummam perducto ſollertiam. Cum ambitu congreſſus, multiformi malo, & cum potentiæ immenſa cupiditate, quam totus orbis in tres diviſus partes ſatiare non poterat, adverſus vitia civitatis degenerantis, & peſſum ſua mole ſidentis, ſtetit ſolus, & cadentem Rempublicam, quantum modo una retrahi manu poterat, retinuit, donec vel abreptus, vel abſtractus, comitem ſe diu ſuſtentatæ ruinæ dedit: ſimulque exſtincta ſunt, quæ nefas erat dividi. Neque enim Cato poſt libertatem vixit, nec libertas poſt Catonem &c.„. Nihil neque elegantius, neque eloquentius in Catonis laudem dici poterat. Sed de Catonis ebrietate quid adnectat, videamus. „ Catoni, inquit de tranquillit. anim. cap. xv. ebrietas objecta eſt: at facilius efficiet, quisquis objecerit, hoc crimen honeſtum, quam turpem Catonem„. Audiſtin'? Catonem deperibat

ribat Seneca: & ne illi ebrietatem, cui erat addictus, vitio verteret, vitium hocce honeſtum potius eſſe aſſerere auſus eſt, quam turpem, improbumque Catonem. En amoris nimii effecta. Quid plura? Plutarchus de off. aud. „ Amor, ait, auctore Platone, laudat plerumque ea, quibus alii offenduntur: veluti quum aliqui albos, quos depereunt, deorum filios appellant: nigros dicunt eſſe fortes, & virili animo: adunco naſu regii vocantur: ſimi amabiles: pallidi per blanditias, mellei coloris: atque hæc qualiacumque ſunt, exoſculantur amantes „. Verum enim vero non modo aliorum amor frequentiſſime nos decipit, judiciaque noſtra depravat, verum etiam intimior noſtri amor vix credi poteſt, quam ſæpiſſime nos fallat, inque errores abducat. „ Familiariter enim domeſtica, uti præclare obſervavit laudatus Seneca de tranquillit. animi c.1. aſpicimus, & ſemper judicio favor officit. Plato multos potuiſſe ad ſapientiam pervenire, niſi putaſſent ſe perveniſſe, niſi quædam in ſe diſſimulaſſent, quædam apertis oculis tranſiliiſſent. Non eſt enim quod nos magis aliena judices adulatione perire, quam noſtra. Quis ſibi verum dicere auſus eſt? quis non inter laudantium, blandientiumque poſitus greges, plurimum tamen ſibi ipſe aſſentatus eſt „?

III. *Odium recte nos judicare vetat.* Contra vero odium alia, contrariaque ratione idem peragit. Siquidem viros nobis infeſtos, eorumque dicta, ac res geſtas tetro ita depingit colore, ut quæ laude digna ſunt ab iis ſecernere minime valeamus, quæ carpenda atque notanda ſunt. Atque adeo ipſa eadem, quæ alias maximopere commendavimus, ac plenis buccis laudavimus, odio porro flagrantes contemnimus ipſi, aliiſque deridenda propinamus. Exemplo ſit, ut ceteros mittam hæreticos viros, Tertullianus, qui Montaniſtarum peſtifera labe contaminatus, Catholicis ea probro vertebat, quæ quum ipſe recta Eccleſiæ dogmata profiteretur, in iis laudaverat: ut exempli gratia, quum ad martyres ſcribens, curam, quam de eis ſuſcipere ſoleret Eccleſia, commendat „ Immo & quæ juſta ſunt, inquiens, caro non amittit per cu-

 ram

ram Eccleſiæ, & agapen fratrum „. At poſtea odio percitus in lib. de jejun. adv. Psychic cap. XII. linguam exſerens, ex iisdem detrahendi occaſionem arripiens, hæc effutiit: „ Plane veſtrum eſt, in carceribus popinas exhibere martyribus incertis, ne conſuetudinem quærant, ne tædeat vitæ, ne nova abſtinentiæ diſciplina ſcandalizentur „. Quid plura? odium nihil non carpendum exiſtimat; omnia dicta, ac facta, quæ vel laude, vel ſaltem venia digna ſunt, in pejorem ſenſum accipit. Id luculentiſſime videre licet in obſervationibus, atque adnotationibus Joannis Phereponi ad s. Auguſtini opera.

IIII. *Cupiditas inſanire nos cogit*. Præterea difficile dictu eſt, quot modis diteſcendi cupiditas avaros excruciet; hæc enim efficit, ut longa itinera, periculique plena aggrediantur; ut noctes etiam inſomnes ducant; ut abſtinentia corpus affligent, conſumtis, vilibusque veſtibus contegant: atque hæc viriliter perpetiuntur, ut uberiorem divitiarum copiam congerant; ſuavem, jucundamque voluptatem in inſpiciendis, contrectandisque illis percipiant. Ex innumeris unum Numidii exemplum profero, quo de ſic Horatius lib. I. Satyr. I.

. . . . ne facias, quod
Numidius quidam (non longa eſt fabula) dives,
Ut metiretur nummos: ita ſordidus, ut ſe
Non unquam ſervo melius veſtiret: ad usque
Supremum tempus, ne ſe penuria victus
Opprimeret, metuebat. at hunc liberta ſecuri
Diviſit medium, fortiſſima Tyndaridarum.

Quid? hujusmodi homines inſanos eſſe inficiabimur? ecquis rationis mica pollens non videt hoſce eodem pacto ſe gerere; atque ii, qui vel bardi, ac ſtolidi ſunt, vel rationis lumine turpiter abutuntur? Non ſecus quoque eos inſanire ſæpe conſpicimus, qui vel imperandi, ac dominandi aviditate, vel famam ſibi pariendi prurita laborant. Innumera horum exempla in hiſtoria quum civili, tum litteraria occurrunt. Georgius Berkelejus in ſecunda parte tractatus de principiis humanæ cognitionis evincere conatur in re-

rerum natura corpora non exſiſtere, ſed ſubſtantias duntaxat ſpiritales. Quid re iſthac falſius? at auctor ejusmodi monſtroſis commentis honorem, famamque ſibi conciliare fortaſſe ſtuduit; ſed eruditorum, doctorumque virorum in ſe odium, ac riſum concitavit.

V. *Ira impedimento nobis eſt, quominus æquum, & rectum cernamus.* Si ad recte judicandum animo pacato, ac ſereno eſſe oportet, nihil hinc conſequitur fidendum judicio irati viri. Cicero offic. l. c.xxxvIII, per iram, inquit „ nihil recte fieri, nihil conſiderate poteſt „. Siquidem iratus mediocritatem, quæ eſt nimium inter, & parum, videre nequit; quum ut ſcribit Plutarchus de ira „ quemadmodum per nebulam corpora, ſic per iram res videantur majores „. Nemo eſt, quod ſciam, qui accuratius, ac diligentius quam Seneca de ira ſcriptitavit, ex quo pauca huc proferam. „ Exegiſti a me, Novate, hoc pacto librum primum auſpicatur, ut ſcriberem quemadmodum poſſet ira leniri: nec immerito mihi videre hunc præcipue affectum pertimuiſſe, maxime ex omnibus tetrum, ac rabidum. Ceteris enim aliquid quieti placidique ineſt, hic totus concitatus, & in impetu doloris eſt, armorum, ſanguinis, ſuppliciorum, minime humana fruens cupiditate, dum alteri noceat, ſui negligens, in ipſa irruens tela, & ultionis ſecum multa tractare avidus. Quidam itaque e ſapientibus viris iram dixerunt brevem inſaniam; æque enim impotens ſui eſt, decoris oblita, neceſſitudinum immemor, in quod cœpit pertinax, & intenta, rationi, conſiliiſque præcluſa, vanis agitata cauſſis, ad conſpectum æqui, verique inabilis, ruinis ſimillima, quæ ſuper id, quod oppreſſere, franguntur. Ut autem ſcias inſanos eſſe, quos ira poſſedit, ipſum illorum habitum intuere. Nam ut furentium certa indicia ſunt, audax, & minax vultus, triſtis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color verſus, crebra & vehementius acta ſuſpiria: ita iraſcentium eadem ſigna ſunt. Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, exæſtuante ab imis præcordiis ſanguine, labia quatiuntur, dentes

comprimuntur, horrent, ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus, ac ſtridens, articulorum ſeipſos torquentium ſonus, gemitus, mugitusque, & parum explanatis vocibus ſermo præruptus, & comploſæ ſæpius manus, & pulſata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnaſque iræ minas agens; fœda viſu, & horrenda facies depravantium ſe, atque intumeſcentium. Neſcias utrum magis deteſtabile vitium ſit, an deforme. Cetera licet abſcondere, ira ſe profert, & in faciem exit: quantoque major eſt, hoc effervеſcit manifeſtius. Non vides, ut omnium animalium ſimul ad nocendum inſurrexerunt, præcurrant notæ, ac tota corpora ſolitum, quietumque egrediantur habitum, & feritatem ſuam exaſperent? Spumant apris ora, dentes acuuntur attritu; taurorum cornua jactantur in vacuum, & arena pulſu pedum ſpargitur; leones fremunt; inflantur irritatis colla ſerpentibus; rabidarum canum triſtis aſpectus eſt. Nullum eſt animal tam horrendum, tamque perniciosum natura, ut non appareat in illo, ſi ira invaſit, novæ feritatis acceſſio. Nec ignoro ceteros quoque affectus vix occultari; libidinem, metumque, & audaciam dare ſui ſigna, & poſſe prænoſci; neque enim ulla vehementior intra cogitatio eſt, quæ nihil moveat in vultu. Quid ergo intereſt? Quod alii affectus apparent, hic eminet„. Proſequitur ibi eloquentiſſimus philoſophus formidoloſiſſimos iræ effectus; quos tecum animo repures auctor ſum. Affectum porro hunc nos, noſtraque judicia depravare adeo verum eſt, quam quod maxime. Eſt quis ex. gr. conviciis, & σαρκάσμοις laceſſitus, ſtatim ira excandeſcens gladio manu admovet, atque injuriam, ſui, vel inimici morte vindicandam arbitratur. O inſanum conſilium! o vecordem inſaniam! Atque ut apertius cognoſcatur iræ nihil eſſe fidendum, Seneca iterum audiatur, qui lib. laudat. cap. XVI. „Satis nos, ait, inſtruxit ratione natura. Hæc dedit telum firmum, perpetuum, obſequens, nec anceps, nec quod in dominum remitti poſſet. Non ad providendum tantum, ſed ad res gerendas ſatis eſt per ſe
ipſa

ipſa ratio. Etenim quid eſt ſtultius, quam hoc ab iracundia petere præſidium, rem ſtabilem ab incertà, fidelem ab infida, ſanam ab ægra? Quid quod ad actiones quoque, in quibus ſolis opera iracundiæ videtur neceſſaria, multo per ſe ratio fortior eſt? Nam quum judicavit aliquid faciendum, in eo perſeverat. Nihil enim melius inventura eſt ſeipſa, quo mutetur. Ideo ſtat ſemel conſtans. Iram ſæpe miſericordia retro egit. Habet enim non ſolidum robur, ſed tantum tumorem, violentiſque principiis utitur: non aliter, quam qui a terra venti ſurgunt, & fluminibus, paludibuſque excepti ſine pertinacia vehementes ſunt. Incipit magno impetu, deinde deſinit ante tempus fatigata, & quæ nihil aliud, quam crudelitatem, ac nova genera pœnarum verſaverat, quum animadvertendum eſt, jam infracta leniſque eſt. Affectus cito cadit, æqualis eſt ratio. Ceterum etiam ubi perſeveraverit ira, nonnunquam ſi plures ſunt, qui perire meruerunt, poſt duorum, triumve ſanguinem occidere deſinit. Primi ejus ictus acres ſunt, ſicut ſerpentium venena a cubili repentium nocent: innoxii dentes ſunt, quum illos frequens morſus exhauſit. Ergo non paria patiuntur, qui paria commiſerant: & ſæpe qui minus commiſit, plus patitur, quia recentiori iræ objectus eſt, & in totum inæqualis eſt; modo ultra, quam oportet, excurrit, modo citius debito reſiſtit. Sibi enim indulget, ex libidine judicat, & audire non vult, & patrocinio non relinquit locum, & ea tenet, quæ invaſit, & eripi ſibi judicium ſuum, etiam ſi pravum eſt, non ſinit. Ratio utrique parti locum dat, & tempus. Deinde advocationem etiam ſibi petit ut excutiendæ veritati ſpatium habeat: ira feſtinat. Ratio id judicari vult, quod æquum eſt: ira id æquum videri vult, quod judicavit. Ratio nihil præter ipſum, de quo agitur, ſpectat. Ira vanis, & extra cauſſam obverſantibus commovetur. Vultus illam ſecurior, vox clarior, ſermo liberior, cultus delicatior, advocatio ambitioſior, favor popularis exaſperat. Sæpe infeſta patrona reum damnat; etiam ſi ingeritur oculis veritas, amat & tuetur errorem: coargui non

vult,

vult, & in male cœptis, honeſtior illi pertinacia videtur, quam pœnitentia. Cn. Piſo fuit memoria noſtra vir a multis vitiis integer, ſed pravus, & cui placebat pro conſtantia rigor. Is quum iratus duci juſſiſſet eum, qui ex commeatu ſine commilitone redierat, quaſi interfeciſſet, quem non exhibebat, roganti tempus aliquod ad conquirendum non dedit: damnatus extra vallum deductus eſt, & jam cervicem porrigebat, quum ſubito apparuit ille commilito, qui occiſus videbatur. Tunc centurio ſupplicio præpoſitus condere gladium ſpiculatorem jubet, damnatum ad Piſonem reducit, redditurus Piſoni innocentiam. Nam militem fortuna reddiderat. Ingenti concurſu deducuntur complexi alter alterum cum magno gaudio caſtrorum commilitones. Conſcendit de tribunali furens Piſo, ac jubet duci utrumque, & eum militem, qui non occidit, & eum, qui non perierat. Quid hoc indignius? quia unus innocens apparuerat, duo peribant. Piſo adjecit & tertium. Nam illum centurionem, qui damnatum reduxit, duci juſſit. Conſtituti ſunt in eodem loco perituri tres ob unius innocentiam. O quam ſollers eſt iracundia ad fingendas cauſſas furoris! Te, inquit, duci jubeo, quia damnatus es; te, quia cauſſa damnationis commilitoni fuiſti; te, quia juſſus occidere imperatori non paruiſti. Excogitavit, quemadmodum tria crimina faceret, qui nullum invenerat „.

VI. *Invidia recto judicio obſtat*. Invidia quoque rectum de rebus judicium ferre prohibet; hæc enim ægritudo, quæ ex alterius rebus ſecundis oritur, impedit, quominus ea videamus, laudibuſque extollamus in iis præſertim, qui ingenio, eruditioneque nobis antecellunt, quæ attente obſervanda, ac ſummopere laudanda eſſent. Ceteris præſtare nimio amore noſtri cupimus; nec ullum nobis vel acutiorem, vel doctiorem, vel præſtantiorem eſſe dare volumus, quæ ipſi non capimus, quæque efficere haud valemus, nollemus alios intelligere, atque efficere poſſe. Hinc de aliorum ingenio, eruditione, ac lucubrationibus humiliter, demiſſeque, de noſtris autem elate, & ample loquimur; ac ſi quid commendamus, nos & id quoque

que

que præſtare, & melius poſſe, ſtatim ſubnectimus. Si alicujus viri ſcriptiones communi eruditorum calculo probantur, nullum non movemus lapidem, ut quicquam in iis ſpongia, & gypſo delendum detegamus. Litterariæ præſertim hiſtoriæ ejuſmodi rei exemplis ſcatent. Equidem, ne recentes notem, ex antiquis unum proferam. Luſcius Lavinius vetus poeta, atque in fabulis conficiendis jamdiu exercitatus Terentium ætate ſibi inferiorem præferri iniquo animo ferebat; quapropter plura in ejus comœdiis, quæ valde populo placebant, carpſit. En quo pacto Terentius rem denarrat prolog. Andr.

Poeta, quum primum animum ad ſcribendum appulit,
Id ſibi negoti credidit ſolum dari;
Populo ut placerent, quas feciſſet fabulas.
Verum aliter evenire multo intelligit:
Nam in prologis ſcribundis operam abutitur,
Non qui argumentum narret, ſed qui malevoli
Veteris poetæ maledictis reſpondeat.
Nunc, quam rem vitio dent, quæſo, animum advertite:
Menander fecit Andriam, & Perinthiam:
Qui utramvis recte norit, ambas noverit.
Non ita ſunt diſſimili argumento, ſed tamen
Diſſimili oratione ſunt factæ, ac ſtilo.
Quæ convenere, in Andriam ex Perinthia
Fatetur tranſtuliſſe; atque uſum pro ſuis.
Iſti id vituperant factum, atque in eo diſputant,
Contaminari non decere fabulas.
Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant:
Qui quum hunc accuſant, Nævium, Plautum, Ennium
Accuſant, quos hic noſter auctores habet:
Quorum æmulari exoptat negligentiam
Potius, quam iſtorum obſcuram diligentiam.
Dehinc, ut quieſcant porro moneo, & deſinant
Maledicere, malefacta ne noſcant ſua.

VII. *Dolor rationem turbat.* Dolor itidem res accurate diſpicere, atque examinare haud ſinit; nam ubi animum vehementer affecerit, e ſede, atque ſtatu ſuo dimoveat neceſſe eſt; nec propterea rectum cernere potis erit, quod pacato, ſerenoque dumtaxat

tat animo ſe videndum præbet. Quare id ſummopere ſtudendum nobis eſt, ut damna quam minime ſentiamus, ne animi tranquillitatem, quæ ad recte judicandum quammaxime neceſſaria eſt, amittamus. „ Eſt quidem, uti ſcite ait Ulyſſes apud Senecam in Troad. injuſtus dolor rerum æſtimator „. Hinc qui ſapiunt patientiæ remedium dolori adhibent, ne perturbatione, quæ veritati infeſta eſt, afficiantur. Naufragio nuntiato, Zeno quum audiret ſua omnia ſubmerſa: „ Jubet, inquit, me fortuna expeditius philoſophari „; & Lacæna quædam, quum filium, quem in prælium miſerat, interfectum audiſſet: „ Iccirco, ait, genueram, ut pro patria non dubitaret occumbere „. Qui ſi nimio dolore fuiſſent affecti, tam virile judicium haudquaquam protuliſſent.

VIII. *Lætitia rerum cortice nos efficit contentos*. E contraria lætitia ubi animum occupavit, eum laboris impatientem efficit, meditationique ineptum reddit: hinc nullam in rem ſerio incumbit, nihil introſpicit, rerum dumtaxat cortice contentus eſt; quare adæquatam, ac rectam rerum notiorem ignorat, deque iis ſtulte judicat: Exemplo ſit Pamphilus Terentianus gaudio triumphans, quod agnito Glycerii parente, nulla amplius futura eſſet mora, quin eam uxorem duceret, qui æſtimat deorum vitam immortalem propterea eſſe, quod hujuſmodi voluptates eorum propriæ ſint:

Pam. Aliquis forſan me putet
Non hoc putare verum: at mihi nunc ſic eſſe hoc verum, lubet.
Ego vitam deorum propterea ſempiternam eſſe arbitror
Quod voluptates eorum propriæ ſunt: nam mihi immortalitas
Parta eſt, ſi nulla huic ægritudo gaudio interceſſerit.

Atque idem de voluptatibus lætitiæ cauſſis dicendum eſt: conſilium enim impediunt, rationi ſunt inimicæ, a rebus expendendis avertunt, inadæquatis, immo falſis earum notionibus contentos nos efficiunt. Quid quod non ſolum contemplandis re-

bus ineptos nos reddunt; verum etiam errores, ac ſcelera turpiſſima perpetrare cogunt? Neminem latet Davidis viri religioſiſſimi lapſus lacrimabilis, ac luctuoſus, qui voluptate, ac nimia lætitia captus bina nefanda facinora adulterium nempe, atque homicidium admittere haud veritus eſt. Voluptates ergo ſummo odio proſequamur oportet, ne in errores, atque ſcelera abripiamur, neque miris modis deludificemur, atque adeo affligemur: ſiquidem ut Boethius de conſol. phil. lib. III. metr. vii. cecinit,

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes;
Apiumque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

VIIII. *Spes nobis illudit*. Spes præterea ſæpe nos fallit; hæc enim efficit, ne res eo pacto inſpiciamus, quo deludificari minime poſſemus: quæ eventura nobis ſperamus, nullo obſtaculo neque loci, neque temporis, neque occaſionis impediri poſſe, quominus eveniant facile in animum inducimus noſtrum; quapropter Plato dicere ſolebat, ſpem eſſe vigilantium ſomnia. Ad quod Virgilius alluſiſſe videtur, quum inquit, an qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt? Etenim dictu facile haud eſt, quam varias imaginationes patiantur in animo ſuo, quam ſpecioſa idola ſibi creent, qui vehementer quidpiam ſperant: atque hiſce fictitiis, & inanibus ſimulacris perinde ſemet oblectant, ac ſi jam, quæ ſibi pollicentur, tenerent. De ſpe Cato ſenior ſic prædicaſſe fertur, Plutarcho auctore, quod, quæ magna eſſent, puſilla faceret, quæ puſilla, prorſus nulla: loquebatur fortaſſe de periculis: victoriæ ſpes omnia extenuat, quæ ſolent a bello deterrere. En exemplum hominum ex falſa ſpe, quam animo conceperant, in errorem abductorum. Sperabant Judæi Chriſtum fuiſſe liberaturum Iſrael ab Romanorum ſervitute, atque in priſtinum majoremve honorem, ac dignitatem evecturum regnum eorum jam collapſum; hinc neque ad ea, quæ prophetæ primitus,

mitus, neque ad ea, quæ Chriſtus ipſe poſtea enuntiaverat, animum appulerunt: quæ ſi perpendiſſent, enucleate cognoviſſent Chriſti ſervatoris redemtionem non corporis, ſed animi futuram, neque a temporaria, ſed ab æterna ſervitute.

X. *Timor animo tranquillitatem adimit*. Jam vero nihil magis in transverſum agit hominum ingenia, quam nimius timor: nam is ſecus, ac res ſe habent, nobis depingit, quare ſæpe gravius nos afficit rei timor, quam res ipſa, quæ timetur. „ Major eſt ea vis, uti opportune notavit Cicero pro A. Cæc. quam periculo mortis injecto, formidine animum perterritum loco ſæpe, & certo de ſtatu dimovet, quæ ad corpus noſtrum, vitamque pervenit. Itaque ſaucii ſæpe homines, quum corpore debilitantur, animo tamen non cedunt, neque eum relinquunt locum, quem ſtatuerunt defendere. Atque alii pelluntur integri, ut non dubium ſit, quin major adhibita vis ei, ſi cujus animus ſit perterritus, quam illi cujus corpus vulneratum ſit „. Metus præterea impedit, quominus rectum de rebus judicium feramus, ſiquidem timentis animus ea caret ſerenitate, cujus ope & rem, & rationum momenta, queis innititur, expendere, diſpicere, atque examinare poteſt: ea etiam, quæ in medio poſita ſunt, dijudicare nequit; quippe qui nimio timore ita perturbatur, ut videre ea prohibeatur, quæ omnium oculis ſubjiciuntur: hinc obſervare licet quot anguſtiis vir pavidus crucietur, qui ea quoque vehementer timet, quæ nullo ceteros homines timore afficiunt. Autemonis vera fama eſt, quem Heraclides Ponticus Anacreontis poetæ teſtimonio celebravit: is tam timidus fuiſſe fertur, ut domi plurimum vixerit, duobus ſervis ſupra caput æreum ſcutum tenentibus, ne quid ſuperne decideret; in aperto lectica non niſi contecta veheretur, qui mos Periphoreti cognomen illi peperit.

XI. *Suſpicio ineptire nos facit*. Suſpicio porro plura videt, quæ non ſunt; ita namque animum afficit, ut inſanire pæne cogat, eaque extra ſe videre, quæ nullibi inveniuntur, neque iis credere, & in iis inſi-

inſidias, ac dolos ſuſpicari, qui nobis neceſſitudine conjunctiſſimi ſunt. Præclarum hujus rei exemplum in Valerio Maximo, ut cetera mittam, nactus ſum, qui de Dionyſio Syracuſanorum tyranno hæc ſcribit lib. VIIII. cap. XIIII. „ Age Dionyſius Syracuſanorum tyrannus hujuſce tormenti quam longa fabula eſt, qui duo de quadraginta annorum dominationem in hunc modum peregit: ſummotis amicis in eorum locum ferociſſimarum gentium homines & a familiis locupletum electos prævalidos ſervos, quibus latera ſua committeret, ſubſtitit; tonſorumque metu tondere filias ſuas docuit, quarum poſtquam adultæ ætati appropinquabant, manibus ferrum non auſus committere, inſtituit, ut candentium glandium, aut nucum potaminibus barbam ſibi, & capillum adurerent. Nec ſecuriorem maritum egit, quam patrem. Duarum enim eodem tempore Ariſtomaces Syracuſanæ, & Locrenſis Cloridis matrimoniis alligatus, neutrius unquam niſi excuſſæ, complexum petiit. Atque etiam cubicularem lectum, perinde quaſi caſtra lata foſſa cinxit; in quem ſe ligneo ponte recipiebat; quum forem cubiculi, extrinſecus a cuſtodibus opertam, interiorem clauſtro ipſe diligenter obſervaſſet „. O mortalium omnium infeliciſſimus! ſua crudelitate civium animos a ſe abalienarat, iccirco hujuſmodi præſidia adhibebat; quam bene ſibi conſuluiſſet, ſi benignitate, ac liberalitate civium benevolentiam ſibi conciliaſſet! „ Millies perire eſt melius, ait Cicero Philipp. II. quam in ſua civitate ſine armorum præſidio non poſſe vivere, præſidium caritate, & benevolentia civium ſeptum oportet eſſe, non armis „. Adhæc ſuſpicioſi quidam homines ſemet aſſidue excruciant levibus inanibuſque ducti animadverſionibus, & conjecturis. „ Tollenda ex animo ſuſpicio, & conjectura, ut ſcite monet Seneca de ira lib. II. cap. XXIIII. fallaciſſima irritamenta. Ille me parum humane ſalutavit, ille oſculo meo non adhæſit, ille inchoatum ſermonem cito abrupit, ille ad cœnam non vocavit, illius vultus averſior viſus eſt. Non deerit ſuſpicioni argumentatio: ſimplicitate opus eſt, & benigna re-

rum

rum æſtimatione. Nihil, niſi quod in oculos incurret, manifeſtumque erit, credamus: & quoties ſuſpicio noſtra vana apparuerit, objurgemus credulitatem. Hæc enim caſtigatio conſuetudinem efficiet non facile credendi „.

XII. *Errore haud raro judicamus*. Adhæc qui affectibus ſubagitatur, errore potius, quam veritate ducitur in ferendo de rebus judicio. Nam quiſque, ut fert vulgatum adagium, judicat, prout eſt affectus „ ergo a veritate aberret neceſſe eſt. Induxit ex. gr. quiſpiam in animum ſuum aliquam opinionem, quam neque ad rationis trutinam revocavit, neque eruditis, doctiſque viris probatam reperit, quum porro eam non modo probabilem, ſed etiam ſolam veram exiſtimet; hinc fit, ut ceterorum ſententias nihili ducat, rationes, & argumenta audire detrectet. Sæpe vero contingit, ut hujuſmodi bardos, ac ſtultos homines de rebus, quas neque ſatis expenderunt, neque calleant; atque adeo neque intellexerunt, magna confidentia, & procaci faſtu diſputantes audiens vix riſum cohibere valeas. Cachinnum ſane continere minime potis fui, quum audiverim quendam vitio vertentem Agnello Cyrillo e mea Congregatione viro, quod in pereruditq opere, de malo ebrietatis, inſcripto, ſtilum nimis elegantem adhibuerit. Ajebat enim longe ſe demiratum eſſe virum ſacris expeditionibus addictum non ſibi religioni habuiſſe oratione uti adeo culta & exquiſita. o caput ridiculum! ex quo enim tempore culpæ genus evaſit cultioris ſermonis uſus? Verum enim vero ſi ea opinio a veritate longe non abhorreret, male ſibi proſpexiſſent ſanctiſſimi eccleſiæ patres Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, Hilarius cet., qui in ſuis voluminibus conſcribendis elegantiorem ſtilum in deliciis habuere. Ceterum ab omni culpa immunes haud eſſe cenſeo eos, qui quum rudes, imperitoſque homines alloquuntur, exquiſita oratione, atque ornata utuntur. Sed res noſtra ſecus ſe habet. Nam, neque nimis elegans eſt ſodalis meus, ut ille arbitratur; neque rudibus, imperitiſque hominibus ſcriptitavit.

XIII. *Mo-*

XIII. *Monita nonnulla opportuna*. Poſtremo, ut huic negotio finem faciam, & ne ab affectibus in errorem quiſquam abripiatur, ut cetera, quæ huc proferre potis eſſem, monita omittam, illud Boethii metrum, quod in lib. I. eſt ordine ſeptimum ac poſtremum ob oculos habeat, ac ſæpe mente recogitet, auctor ſum:

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere poſſunt
Sidera lumen.
Si mare volvens
Turbidus auſter
Miſceat æſtum,
Vitrea dudum
Parque ſerenis
Unda diebus,
Mox reſoluto
Sordida cœno
Viſibus obſtat.
Quique vagatur
Montibus altis
Defluus amnis
Sæpe reſiſtit
Rupe ſoluti
Objice ſaxi.
Tu quoque ſi vis
Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem,
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adſit,
Nubila mens eſt,
Vinctaque frenis,
Hæc ubi regnant.

CAPUT V.

De fontibus præjudiciorum in corpore inſidentibus, nimirum de corporis inertia, temperamentorum finitione, cauſſis, diſtributione, ac natura; de phantaſiæ indole ac vi, diverſitate, atque erroribus; de viris memoria æque ac ingenio præclaris; memoria dumtaxat egregia, aut debili; de artis reminiſcendi ſcriptoribus; & canonibus horum regimini inſervientibus.

I. *Corporis inertia*. DEmirandum plane eſt corpus quoque noſtrum, quod animæ in veritatis inquiſitione auxilio eſſe deberet, ei eſſe impedimento, quominus veritatem, quam diligenter inquirit, nanciſcatur. 1. pigritia, ac naturali ſua inertia; 2. temperamento, ac phantaſia; 3. ſenſuum paucitate aut imperfectione, (qua de re capite ſequenti agetur). Ac principio ineſt corpore noſtro quædam naturalis inertia atque ignavia, quæ efficit, ut a labore abhorreat, eoque vel exiguo defatigetur ac laſſetur; nam propter inertiæ vim, quæ cujuſque

corporis communis eſt, e ſuæ quieris ſtatu dimoveri nollet, atque eum perpetuo ſervare. Equidem non inficior, quæ phyſici vulgo tradunt, corpus nempe ita eſſe a natura comparatum, ut nullam ex ſemetipſo ſtatus ſui mutationem inducere valeat; ac ſi quieſcat, ex ſe nunquam ad motum proſulturum; contra vero ſi moveatur, in motu jugiter perſeveratum ire, niſi ab alia externa cauſſa mutatio in ipſum inferatur. Sed contendo corpus ſuo naturali pondere atque inertia moras animo injicere enitenti veritatem invenire, ſcientias excolere, doctrinam comparare, ignorantiam pellere, ſe perficere, atque eruditione multiplici exornare. Hinc fit, ut ſtudium, lectionem, meditationem, unò verbo laborem averſemur, & ægre ſuſcipiamus; ut ſcientiarum cortice contenti ſimus, ac dictionariis, & diſciplinarum compendiolis delectemur; ut ad varias, ac diverſas res animum ſimul applicemus, rerum varietate animum recreandi, & reficiendi gratia; quæ quidem varietas tædium, ac laborem illum improbum, quæ in unius rei contemplatione ſubeunda nobis erant, ſaltem imminuit. Verum quot hinc mala ſuboriantur, accipe; 1. rudes atque illitterati permanemus; 2. difficilia non aggredimur; 3. ſcientiarum umbra ac ſpecie oblectamur; 4. confuſas, & inadæquatas rerum notiones comparamus; 5. errorem a veritate ægre diſcernimus......

II. *Temperamentorum finitio, & cauſſæ.* Jam vero temperamenta noſtri corporis ſunt plerumque uberrimi præjudiciorum, atque errorum fontes. Quo quidem nomine venit quædam corporis diſpoſitio, qua in animali œconomia plus, minuſve recte, hac vel illa ratione quædam functiones peraguntur. Temperamentorum porro varietas, unde proficiſcatur, non ſatis liquet. alii enim ex quatuor elementis, ſive ex qualitatum elementarium reciproca miſtura provenire arbitrantur, ut Ariſtoteles, ac Peripatetici, quibuſcum Gaſſendus quoque conſentit: contra alii, ac potiſſimum Lucas Tozzius opinantur viventium temperamenta ex partium textura, ſanguiniſque conſti-

tu-

tutione repetenda eſſe. Qua ſuper re legeſis Muratorium Filoſ. Moral. cap. IIII. Verum temperamentorum variorum cauſſæ duplicis ſunt generis, internæ nimirum, & externæ. Internæ, ut corporis ſtructura, indoles, atque agitatio ſanguinis, ac ſpirituum. Externæ, cibus, & aer; cibi autem nomine lac quoque appello, quo primum infantuli nutriuntur. Quod autem ad aerem ſpectat, ipſimet antiqui climatum differentiam accurate notarunt: hinc illud Ciceronis de Fato „ Athenis tenue cœlum, ex quo etiam acutiores putantur Attici, craſſum Thebis „. Clima quoque efficit, ut melancholici ſint Angli, ſanguinei Galli, cholerici Hiſpani, Gallos Hiſpanoſque inter medii Itali. Atque in animum quodammodo temperamenta influere in dubium revocari non poteſt: hinc Julius Firmicus lib. I. Matheſeos cap. 1. „ Scythæ ſoli immanis feritatis crudelitate graſſantur. Itali fiunt regali ſemper nobilitate præfulgidi; Galli ſtolidi, leves Græci, Afri ſubdoli, avari Syri, acuti Siculi, luxurioſi ſemper Aſiani & voluptatibus addicti, Hiſpani elatæ jactantiæ animoſitate præpoſteri „. Utrum recte judicarit, nihil mea attinet.

III. *Temperamentorum diviſio, & natura*. Iſthæc vero temperamenta alia ſimplicia, atque alia miſta ſunt. Simplicia quatuor ſunt 1. ſanguineum, 2. flegmaticum, 3. bilioſum, 4. & melancholicum. Miſta vel horum duobus, vel pluribus conflantur, ac plura quam quatuor ſunt. En cujuſque temperamenti accuratam deſcriptionem. Si puer annum agens 14. vel 15., habita ſuæ ætatis ratione, mediocris erit ſtaturæ, capillos ſubflavos, pellem delicatam & mollem, optimum vivacemque carnis colorem, rubicundum vultum habebit; ſi inconſtans & levis; ſi hilaris, negligens, proclivis ad riſum, ludumque erit, ſi lætiſſima ſomniabit: is ſanguineo temperamento veroſimiliter eſt donatus. Qui ita ſunt a natura comparati, ingenioſi quidem, ſed laboris impatientes, atque inconſtantes ſunt, judicio, prudentia, & maturitate carent, modo recta, modo prava capeſſunt,

 nul-

nullam in rem ſerio incumbunt, per varia diſciplinarum genera pervagantur, rerum ſuperficie delectantur. Contra ſi ephebus quiſquam nimis procerus & exilis erit; ſi pelle delicata, molli, & alba; capillis flavis, oculis cærulei coloris, oris habitu præclaro, vultu liberali & placido, arteriarumque pulſu tardo, & ſuavi præditus erit; ſi docilis & piger: flegmaticus erit cenſendus. Qui iſthac corporis temperie donati ſunt, ſterilem phantaſiam, ingeniique parum habent; memoria multum, judicio parum, acumine nihil valent. Præterea biliofo ſive cholerico temperamento ornatus eſt puer, cui modica & curta ſtatura, pellis arida & fuſca, aut ſubflava, pulſus vehemens & vivax, corpus macrum, capilli ſubnigri, ſive coloris coſtaneæ, ſupercilia egregie tornata, oculi ſcintillantes & vividi, anhelitus valde calidus, immodicus appetitus erunt. Hi vivaces, petulantes, ingenioſi, ſolidi & acris judicii, laboriſque patientes ſunt; felici fecundaque phantaſia præditi; ſi quem amant, aut oderunt; amant, aut oderunt nimis vehementer. Poſtremo melancholicum temperamentum ætate 14. aut 15. agnoſci, ut cetera huc uſque depicta, minime valet, ſed vulgo circa triceſimum annum ſe prodit. Ejus indicia ac teſſeræ hæ ſunt pulſus vivax & ſiccus, corpus macrum, pellis arida atque aduſta pravique coloris, capilli nigri, ruſtici, tactuique aſperi, vultus deformis, & ſi in infantia pulcher exſtiterit, oculi parvi, aridi, & feroces, fames canina & inæqualis, difficilis & peſſima digeſtio, alvique duritia, quæ fumos vaporeſque ad cerebrum amandat, os tetrum, phantaſia ferax, & fecunda, quæ perſæpe funeſtiſſimis ſomniis hujuſmodi homines vexat, expromtum & vivax judicium, ingenium magnum, ſed ad ſatyram proclive, tenax memoria; hæc omnia melancholicum temperamentum portendunt: quod qui ſortiti ſunt, mente confuſi plerumque ſunt, tragicis actionibus ſummopere delectantur, perdite amant: ſi eis virtus in deliciis, omnium optimi; ſi autem vitium erit, omnium peſſimi erunt; & quod maxime dolendum, pœnarum ti-

timore minime commoventur. Denique, ut paucis dicam, in re quaque ſemper in extrema ſe conferunt.

IIII. *Phantaſiæ vis atque indoles*. Adhæc phantaſia, quæ pro temperamentorum varietate diverſa eſt, ſæpe nos deludificat. Phantaſia autem nihil aliud eſt, quam admirabilis ille humani cerebri liber, in quo rerum ſenſilium ſpecies & imagunculæ depinguntur. Neque eſt animi facultas ſpiritalis, quum ipſum cerebrum ſit, quatenus excipit ideas, ſive idearum receptaculum eſt; quare materiale potius animæ inſtrumentum nuncupanda eſt. Quocirca advertendum duco, antequam ultra progrediar, motus noſtri corporis eſſe duplicis ſpeciei, ſcilicet alios neceſſarios, & voluntarios alios. neceſſarii dicuntur, qui animæ nutui obnoxii haud ſunt, ut eſurire, ſitire, circulatim ſanguinem moveri cet. voluntarii contra, qui pro animi libito fiunt, ut motus pedum, manuum, linguæ, oculorum, capitis cet. Atque in ejuſmodi motiones phantaſia etiam plurimum confert; nam quum anima aliquam motionem efficere vult, cum phantaſia participat, quas ſpiritus animales ad ea corporis loca amandat, ubi motio fieri debet. Hiſce prænotis huc loci explicandæ forent phantaſiæ vires, ſed quum id accurate plures emunctæ naris viri jam præſtiterint; ne actum agam inutili hujuſmodi labore ſubeundo ſuperſedeo. Thomas Fœnus medicus Antuerpienſis tractatum de viribus imaginationis ſcholaſticis nugis plenum edidit. Nicolaus Malebranchius in libro ſecundo operis de inquiſitione veritatis diligentiſſime hanc materiam verſavit. Ludovicus Antonius Muratorius opuſculum inſcriptum „ Delle forze della fantaſia umana, elucubravit, ubi erudite juxta atque accurate idem argumentum tractavit, quod quiſque legat, auctor ſum.

V. *Unde phantaſiæ diverſitas repetenda*. Præterea phantaſiæ vires in quoque homine eædem minime ſunt. Nam quemadmodum cerebrum (a), ita & phantaſia

(a) Clariſſimus Muratorius in opere *Filoſofia Morale*

taſia varia eſt. Quæ quidem diverſitas vel ex natura, vel ex ſtudio, & exercitatione proficiſcitur. Si-

qui-

rale nuncupato *cap.* v. Quum cerebrorum varietatem notat, tum ejus rei cauſſas adducit, cujus locum, ut percurreres, ad fimbriam pagellæ hujus appingendum duxi. „ *Ora verrò io groſſolanamente dicendo, che non è la ſteſſa in tutti gli uomini la maſſa del loro cervello, e che a queſta diverſità può in parte attribuirſi l'eſſer più, e meno ingegnoſe le perſone. Noi ſteſſi nell' ordinario noſtro parlare diciamo,* che il tale ha poco, o molto cervello, *per ſignificare appunto l'abbondare, o ſcarſeggiare d' Ingegno, ò di Giudizio. E perciocchè ſappiamo per atteſtato di alcuni Notomiſti, che il cervello d' un' uomo è maggiore due volte, che quello d'un bue, benchè animale sì ſuperiore all' uomo di mole; e Ariſtotile nel libro II. cap. 7. delle parti degli Animali, notò anch' egli l' uomo* inter omnia animalia plurimum cerebri haber, & inter homines, mares pluſquam feminæ. *Così è da credere, che fra gli ſteſſi uomini, in alcuni più, e in altri meno abbondi la quantità del cerebro loro. In fatti per lo più ſi ſuole oſſervare, che i migliori Ingegni abitano in teſte grandi, di fronte ſpazioſa, e di circonferenza più ricca, che quella degli ſcimuniti, e degl' Ingegni meſchini, i quali perciò ſiamo avvezzi a nominar picciole teſte. Può nondimeno darſi, che una vigoroſa e felice abbondanza di ſpiriti animali ignei, e ſottiliſſimi, e agiliſſimi poſſa produrre il medeſimo effetto in un capo non grande, e in un cervello mediocre, e che maggior copia d' eſſo cervello tocchi in ſorte ad una donna, che a molti uomini: ma contuttociò ſarà per lo più la maggiore grandezza del capo, ſiccome indizio di maggiore mole di cerebro, così ancora ſegnale di felice intendimento ed ingegno. Parlo ſempre di teſte grandi non per la loro carnoſità, ma per la vaſtità del cranio. E però oltre ad Ariſtotile, Galeno, Egineta, ed altri, l' antico Greco Palemone nel ſuo trattato della Fiſonomia, tradotto in latino, e commentato dal Conte Carlo Montecuccoli noſtro Modoneſe, e poi Giovanni Ingegneri Veſcovo di Capo d' Iſtria con altri moderni, tennero che il*

capo

quidem alii felici, vivacique phantaſia pollent, quã & ea, quæ didicere retineant; & eorum, quæ ve-

H 4 lint,

capo picciolo indichi picciolo ancora il ſenno dell' uomo: Secondariamente la diverſa configurazione della caſſa, in cui è ripoſto il cervello, e la varia poſitura, e comparto del medeſimo poſſon cagionare gran diverſità nell' eſercizio delle forze intellettuali. Quell' eſſere per cagion d'eſempio, la tenera materia del cervello ben allogata in cranio capace, e formato in maniera di fornice ſvelto, è ſenza eceſſi, e difetti delle parti; l' eſſere ella ben diviſa nelle ſue celle, coi canaletti e pori convenienti, affinchè gli ſpiriti ſtrumenti materiali della potenza ſpirituale, poſſano ſpeditamente aggirarſi per queſto anguſto, ma doviziosiſſimo loro emporio; l' eſſere non intralciati gli aditi, per gli quali s' introducono da nervi, o per dir meglio da eſſi ſpiriti, le ſpecie ed immagini delle coſe: tutto ciò, dico, può contribuire a rendere pronta e vivace l' anima nelle ſue funzioni mentali, e quel corpo ſi potrà credere ſede di felice ingegno. All' incontro ſarà un abitazione mal agiata dell' anima, e perciò origine di varj difetti nell' intendere e penſare, la maſſa del cervello non aſſai ben compartita, o pure compreſſa talmente entro le pareti del cranio male architettato, che reſti interdetto agli ſpiriti animali il veloce lor corſo, e penetrare per tutto l' ambiente della corteccia, e per le interne tonache e fibbre, e conſeguentemente impedito il libero paſſaggio ai guardi dell' anima: difetti tutti che producono o confuſione di fantaſmi, o difficultà ad apprendere e meditare. In terzo luogo la ſteſſa midolla, voglio dire, la ſteſſa materia del cerebro può trovarſi più, o meno atta a ricevere, o a ritenere, o a ben diſtribuire le immagini degli oggetti a lei rapportate da' ſenſi, potendo pendere eſſa ora più di quel che conviene alla durezza, ed ora alla tenerezza; e in alcuni abbondare; e in altri ſcarſeggiare di quelle piegature, che in maggior numero appariſcono ne' cervelli degli animali più induſtrioſi e ſagaci, che negli altri. In fatti da che mai viene il trovarſi tanti e tanti sì poveri di fantaſia, e sì mal provveduti di memoria, ſe non dall' eſſere la

pa-

Digitized by Google

lint, actutum recordentur: alii contra ſterilem phantaſiam ſortiti ſunt; ita ut perpauca poſt ingentes labores memoriæ mandent, & eorum, quæ velint, pro re nata minime reminiſcantur. Ceterum etiamſi bini homines ſimilem æqualemque phantaſiam nacti eſſent, ſed pari ſtudio eam haud excolerent, magna ſane diverſitas in iis notaretur. Obſervare id licet in duobus fratribus, qui eadem phantaſia præditi ſint, quorum unus litteris, alter vero agriculturæ operam navet: certe ille, qui memoriam excoluerit, feraciori phantaſia erit exornatus; contra iſte qui rudis permanſerit, ſteriliori.

VI. *Phantaſia plurium errorum parens*. Ii porro, qui vividiori ac robuſtiori phantaſia præditi ſunt, ſæpe in errores abripiantur neceſſe eſt; nam quum iſthæc præpollens eſt, nec rationis, nec judicii frena audit. Hinc tot homines inſanientes, quos inediis & afflictationibus curare oportet. hinc vehementiſſimus ille timor inviſibilium rerum, ſtrigum, (*a*) lamia-

paſta, o ſia il viſchio del loro cerebro o troppo molle, o denſa ſoverchio, ſicchè o non vi s' imprimono, o impreſſe non vi ſi ritengono le immagini delle coſe? E ciò principalmente addiviene ne' vecchj, molti de' quali ſerbano ben fitte in capo le notizie raccolte nella lor fiorita ſtagione; ma per la durezza che ſopraggiugne coll' età al cerebro, non ſogliono tenere a mente l' altre appreſe in vecchiaja. Alcuni ancora ſi danno, che in tutto il corſo della loro vita patiſcono inopia di memoria, o pel troppo umido, o pel troppo ſecco che domina nel loro cerebro ec.

(a) *Magos, magaſque exſtitiſſe a ſacris litteris erudior, ac proinde etiamnum exſtare poſſe non diffiteor; ſed eorum carpo credulitatem, qui ſemellarum idiotarum ac phantaſticarum narrationibus, ſomniis, ac viſionibus fidem ſupine adjungunt; quemvis fortuitum rumorem nocturnum dæmoni genioque familiari adſcribunt; oppreſſionem ſtomachi, anhelituſque difficultatem inviſibilis ſpiritus in vim conferunt, gibbum ſive tumorem, quem in dorſo infantium flexa ſpina creavit, ſtriges in obliquum tenellum puelluli corpuſculum flectentes effeciſſe*

miarum, ſpirituumq. familiarium proficiſcitur. hinc plurium errorum uberrima ſeges, qui tum in rerum naturæ contemplatione, tum in auctorum interpretatione patrantur. hinc tot virorum etiam doctorum magna deliramenta originem ut plurimum trahunt; quia quum robuſta phantaſia æque, atque inſigni ſint ingenio exornati, plura excogitant a vero non omnino abſimilia, quæ quidem penitius inſpecta vel falſa, vel futulia deprehenduntur: ſed quum eos vehementer pudeat ingenue ſuum fateri errorem, malunt mordicus eum tutari, quam cognitæ veritati manus dare. Unum & alterum exemplum in medium proferam. Malebranchius vir ſane non vulgaris ingenii a propria phantaſia abductus omnia ſe in Deo videre adeo pro certo habuit, ut nemini ſecus contendenti aures præbere voluerit. Hinc in illuſtrat. ad libros de inquiſit. verit. „ Deum, ſcriptitavit, ſolum nos illuminare, religioni adeo conforme mihi videtur, ut illud ad extremum uſque explicare & defendere muneris mei eſſe arbitrer. Phantaſticus, illuminatus, fanaticus... nuncupari malo &c. „ Æquior moderatiorque extitit Carteſius, qui, plura ut taceam ab eo in rerum natura feliciter detecta, experimen-

tis-

ciſſe obganniunt; & ejuſdem furfuris alia. Ad hæc eadem re plura ſcriptitarunt viri doctiſſimi, quorum alii vel penitus artem magicam e medio ſuſtulerunt ut Comes Janus Rinaldus; alii ſolum poſt Chriſti Servatoris mortem ut cl. Marchio Scipio Maffejus, quocum inelegans ſcriptor Ant. Fiorius Veronenſis omnino abolitam eſſe opinati ſunt; alii artem ſtrigum non autem magarum deſtructam eſſe, ut Hieronymus Tartarottius, quem in libro de præſtigiis dæmonum & incantationibus præiverat Joannes Wierus: (in hanc opinionem acerrime invectus eſt F. Dan. Concina in Theol. Chr. tom. III. *lib.* III. *diſſ.* II. *c.* XII.) *contenderunt; alii denique e contraria magiam dari ſolidis validiſque argumentis commonſtrarunt, ut P. Lujatus presbyter Orat. S. Philippi, Franc. Staidelius ord. Min. Convent. Mamachius Or. & Ant. Chr. tom.* III. *pag.* 128. *& duo alii anonymi ſcriptores.*

tis obſervationibuſque accuratis confirmata, non pauca ita ſe habere imaginatus eſt, quemadmodum neceſſe erat, ut ſibi inventiſque ſuis conſtaret; atque ipſe id rei fateri non eſt verecundatus, qui „ ne nimis arrogans videretur III. part. princip. n. 44. & ſequent. ſi de tantis rebus philoſophando genuinam earum veritatem a ſe inventam eſſe affirmaret, maluit hoc in medio relinquere; atque omnia quæ deinceps eſſet ſcripturus, tanquam hypotheſim proponere, quæ quamvis falſa eſſe exiſtimaret, ſatis magnum operæ pretium ſe feciſſe arbitrabatur, ſi omnia quæ ex ipſa deducerentur cum experimentis conſentirent„. Quamvis itaque concedat num. 45. „ non dubium eſſe quin mundus ab initio fuerit creatus cum omni ſua perfectione, ita ut in illo & ſol & terra & ſtellæ extiterint; ac etiam in terra non tantum fuerint ſemina plantarum, ſed ipſæ plantæ: nihilominus ut ad plantarum, vel hominum naturas intelligendas longe melius eſt conſiderare, quo pacto paullatim ex ſeminibus naſci poſſint, quam quo pacto a Deo in prima mundi origine creati ſint ita, ait, ſi quæ principia poſſimus excogitare valde ſimplicia, & cognitu facilia, & quibus tanquam ex ſeminibus quibuſdam & ſidera, & terram, & denique omnia quæ in hoc mundo adſpectabili deprehendimus oriri potuiſſe demonſtremus, quamvis ipſa nunquam ſic orta eſſe probe ſciamus, hoc pacto tamen eorum naturam longe melius exponemus... & quia talia principia ſibi videtur ſe inveniſſe, ipſa breviter heic exponit. „ Quibus ex verbis aperte colligitur Carteſium non exhibuiſſe ea nobis, quæ ſibi explorata erant, ſed quæ ſolum conjectarat, ſive verius finxerat.

VII. *Viri memoria & ingenio celebres*. Jam vero ex phantaſiæ conſtitutione memoriæ firmitas, aut imbecillitas, ut ſupra innui, pendet. Quæ multiplici ratione prodeſſe nobis, noceréve poteſt non ſolum ſua imbecillitate, verum etiam (quod mireris) firmitate. Siquidem qui memoria vacillant, parum in ſcientiis, quæ connexæ ut plurimum ſunt, proficiunt. Nequeunt enim memoriæ ſubſidio deſtituti eas, vel in-

intelligere, vel addiſcere, vel conferre. Contra qui memoria pollent, ſi ingenii acumine vacant, equitant in arundine longa. Equidem non inficior fuiſſe, atque adhucdum adeſſe viros memoria juxta ac ingenio magnos: ſed abnegari non poteſt admodum raros eſſe. M. Annæus Seneca de ſemet lib. I. Controv. ſcribit „ Hanc (memoriam) aliquando in me floruiſſe, ut non tantum ad uſum ſufficeret, ſed in miraculum uſque procederet, non nego. Nam & duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta reddebam: & ab his qui ad audiendum præceptorem noſtrum convenerant, ſingulos verſus a ſingulis datos quum plures quam ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens uſque ad primum recitabam. Nec ad complectenda tantum, quæ vellem velox erat mihi memoria, ſed etiam ad continenda, quæ acceperat „. Et de Latrone Porcio poſt pauca ibid. adnectit „ Memoria & natura quidem felix, ſed plurimum adjuta arte. Nunquam illa, quæ dicturus erat, ediſcendi cauſſa relegebat. Edidicerat illa, quum ſcripſerat; quum id in illo magis mirabile videri poſſit, quod nec lente & anxie, ſed eodem pæne, quo dicebat, impetu ſcribebat. At illi qui, ſcripta ſua torquent, qui de ſingulis verbis in conſilium veniunt, neceſſe eſt, quæ toties animo ſuo admoverint, noviſſime affigant. At quorumcunque ſtilus eſt velox, tardior memoria eſt. In illo non tantum naturalis memoriæ felicitas erat, ſed ars ſumma, & ad apprehendenda, quæ tenere debebat, & ad cuſtodienda; adeo ut omnes declamationes ſuas quaſcunque dixerat, teneret. Jam itaque ſupervacuos ſibi fecerat codices: Ajebat ſe ſcribere in animo. Dicebat ita ut in nullo unquam verbo eum memoria deceperit. Hiſtoriarum omnium ſumma notitia: jubebat aliquem nominare ducem, & ſtatim ejus acta curſu reddebat. Adeo quæcunque in animum ejus ſemel deſcenderant, in promtu erant. Video vos, juvenes mei, plus juſto ad hanc ejus virtutem obſtupeſcere. Alia vos in illo mirari volo. Hoc quod tam vobis mirum videtur, non operoſa poteſt tradi arte. Intra exiguum

pau-

pauciſſimorum dierum tempus, poterit quilibet facere id quod Cyneas fecit, qui miſſus a Pyrrho legatus ad Romanos, poſtero die novus homo & ſenatum, & omnem urbanam circumfuſam ſenatui plebem, nominibus ſuis perſalutavit. Aut quod ille fecit, qui recitatum a poeta carmen novum, ſuum eſſe dixit, & protinus memoria recitavit: quum hoc ille cujus carmen erat, facere non poſſet. Aut quod fecit Hortenſius, qui a Siſenna provocatus, in auctione perſedit diem totum, & omnes res, & pretia, & emtores ordine ſuo argentariis recognoſcentibus, ita ut in nullo falleretur, recenſuit„. Quid plura? Themiſtocles, teſte Cicerone lib. II. de Fin., tanta fuit memoria, ut Simonidi artem memoriæ pollicenti, ſe malle dixerit artem oblivionis, propterea quod etiam meminiſſet, quæ nollet, & oblviſci non poſſet quæ vellet.

VIII. *Homines præ memoriæ unius dote inſignes.* Verum ejuſmodi homines, qui firma memoria æque ac peracuto ingenio præditi ſunt, perpaucos eſſe haud nego. Sed multos reperire licet, qui memoria quidem vigeant, ingenio pæne deſtituti. Hi ut plurimum libros perſunctorie legunt; quippe qui facili negotio quicquam memoriter addiſcant, ſolidum ab inani, verum a falſo minime diſcernunt: ſi ſcribunt, vel pronuntiant, rectam methodum non adhibent; quæ primo collocanda forent, poſtremo in loco ponunt; ſæpe quæ incipiunt, ad umbilicum, aut ſero, aut nunquam perducunt, ut qui variis digreſſionibus, animadverſionibus cet. diſtineantur: quæ ſubtilia ſunt, raro percipiunt; res ſecare, diſpicere, examinare nolunt, quippe qui arbitrentur eas unico obtutu edidiciſſe: ſi quicquam evincendum ſuſcipiant, innumeris confirmare conantur momentis, quorum plura vel ad rem minime ſpectant, vel nullius ſane ponderis ſunt. Quum rudi indigeſtaque materie phantaſiam onerarint, nihil niſi facetos verſiculos, loca auctorum elegantiora, ſententias graviores, ſales acutiores crepant. Uno verbo phantaſticos potius, quam rationales hujuſmodi homines recte appellaveris.

VIIII.

VIIII. *Viri memoria debili*. E contrario qui labili ac fluxa ſunt memoria, nequeunt adæquatas rerum notiones habere, rectum de iis judicium proferre, ac propterea rite ratiocinari; quippe qui rerum cauſſas, attributa, qualitates, & effecta præ oculis ob memoriæ imbecillitatem minime habeant. Si cum aliis ſenſa communicare ſua velint, ad ſingula quæque verba ſubſiſtent; ſi quicquam litteris conſignent, eorum lucubrationes jejunæ, & injucundæ erunt, atque adeo obſcuræ: quod memoria infecunda verba minime ſuggeſſerit ad animi ſui conceptiones exprimendas aptiora. Quid quod nonnulli adeo infelici ſunt memoria præditi, ut ne elementorum quidem nomina perdiſcere, aut retinere unquam valeant? Hujus farinæ vir fuit Atticus Herodis Sophiſtæ filius, qui ingenio adeo fuit hebeti, memoriaque adeo infelici, ut ne elementarium litterarum quidem nomina addiſcere potis fuerit. Hujuſcemodi homines ne oleum, & operam ludant, a ſcientiarum ſtudio ſunt arcendi, atque rudioribus miniſteriis addicendi. Mitto eos, qui licet a natura egregia fuerint memoria exornati, deinde vel ob alicujus morbi diritatem, vel ob ſenectutem, vel ob pudorem obliviosi evaſerint; quorum vetus non modo, quam recens hiſtoria exempla quamplura luctuoſa exhibet. Meſſala Corvinus præ morbi vehementia ſui quoque nominis, ut Plinius tradit, oblitus eſt. Franciſcus Barbarus Hermolai amicus in græcarum litterarum, quarum prius erat peritiſſimus, in extrema ſenectute oblivionem venit. Memoria quoque exciderunt in ultima ætate Orbilius Beneventanus, & Georgius Trapezontius. Theophraſtus apud Athenienſem populum dicturus præ pudore obticuit. Demoſthenes apud Philippum regem Amyntæ filium, Herodes Atticus coram M. Antonio, Heraclitus Sophiſta coram Severo principe verba facturi præter ſpem obmutuerunt. Bartholemæus Sothinus Alexandro pont. max. ſuæ civitatis nomine gratulaturus in media prope oratione oblivione captus eſt; quemadmodum etiam Franciſcus Barbarus apud Philippum Inſubrium ducem.

X. *Artis*

X. *Artis memoriæ ſcriptores*. Me haud præterit quamplures auctores in id ſtudium omne contuliſſe, ut memoriæ imbecillitati ſuppetias ferrent; ſuntque F. Philippus Jeſualdius Min. Conv. Generalis, Ludovicus Dulcius, Petrus Ravennas, F. Coſimus Roſcellius Dominicanus, Cælius Calcagninius Ferrarienſis, Jo. Henricus Alſtedius, Hieronymus Megiſerus, Lambertus Sinchenchelius, Julius Camillus Delminius, P. Buſſierius aliique non pauci, qui varios tractatus elucubrarunt, in quibus artem memoriæ magno præceptorum, ac verborum apparatu tradunt. Docent enim res, quarum recordari volumus, eſſe imagunculis, ſignis, ac notis quibuſdam affigendas, quæ in mentis oculis verſantur, vel quas facili negotio in mentem revocare poſſumus, ea ratione atque ordine, ut menti occurrant res, quæ cum hiſce notis ac ſignis ſunt conjunctæ, ſtatim ac ad iſthæc ſigna animum convertemus. Equidem poſſe hujuſcemodi induſtriam memoriæ imbecillitati opem ferre haud pernego: ſed ne quis in animum inducat ſuum, hoc pacto memoriam rerum comparare poſſe, qui nulla pæne memoria, vel admodum labili fuit a natura ornatus, ajo parum adjumenti ex ea arte obliviosum accipere valere; ſiquidem quum oporteat memoriam ſignorum ſervare, quibus ſunt notiones adnexæ, quas memoria tenere cupimus; ſi labili fluxaque memoria præditi erimus, nullimode ars iſthæc nobis proderit. Præterea quum eadem nota ad plures variaſque res deſignandas ſæpe adhibeatur, qui eas ad memoriam revocare poterit? Poſtremo hujuſce artis ope, initiorum periodorum, partium orationis, exordii, argumenti diverſi reminiſci valemus: neque periodum integram, neque orationis partes aut argumenta exhibere nobis poterunt ſigna illa, quibus ideas noſtras affigere volupe fuit. Quare ars illiuſmodi vel nulli adjumento nobis erit, vel ſaltem parvo. Quapropter ne quis inanibus hujuſce artis profeſſorum pollicitationibus paſcatur, atque in iſthoc errore diutius detineatur, alia ratione memoriæ ſuæ imbecillitatem juvare adnitatur; ſcilicet attenta repetitaque

rei ejuſdem lectione, ac meditatione, excerpendi arte, cum aliis communicando, quæ legit. cet. Quocirca opportuniſſime Quinctilianus lib. II. cap. 2. „ Maxima, inquit, & una memoriæ augendæ ars exercitatio eſt, & labor. Quare pueri, quorum tenaciſſima memoria eſt, ſtatim quàm plurima ediſcant: & quæcunque ætas operam juvandæ ſtudio memoriæ dabit, devoret initio tædium illud ſcripta & lecta ſæpius revolvendi, & quaſi eundem cibum remandendi. Quod ipſum fieri poteſt levius, ſi primum pauca cœperimus ediſcere; tum quotidie aliqua acceſſio fiat „.

• XI. *Canones ad ſuperiora ſpectantes*. Expoſitis huc uſque impedimentis, quæ menti corporis inertia, temperies, phantaſia, ac memoria objiciunt; remedia, queis a philoſopho noſtro amoveantur, proponamus oportet. Ac I. corpus exerceto, ne ſuo pondere ac naturali ignavia animum opprimat. Siquidem corpus, ut ſcite ait Seneca ep. LXV. „ animi pondus eſt: premente illo urgetur, in vinculis eſt, niſi acceſſit philoſophia, & illum reſpirare rerum naturæ ſpectaculo juſſit, & a terrenis dimiſit ad divina „. II. In ſtudium incumbito: quod ſi ſub initium cum faſtidio tædioque feceris, temporis progreſſu, te alacri animo, atque incredibili aviditate factum ire pro certo habeto (a). III. Illuſtrium virorum, qui ſerio litteris operam navarunt, exempla contemplator; fieri enim nequit, quin eorum æmulatione percellaris. IIII. In animum inducito tuum, quod ſi tempus in ſtudiis continenter inſumſeris, omne vitæ faſtidium effugeris, nec noctem fieri optaveris tædio lucis, nec tibi gravis eris, nec aliis ſupervacaneus. V. Litteras, atque ingenuas artes non ſolum

(a) *Tibi dictum puta, ſi cum quodam Pythagoræ diſcipulo, attentiorem te præbes curando corpori, idque agis, ut obeſus ſis ac nitida cute, quod ei exprobravit ſeverus ille philoſophus „ Hic, inquiens, non deſinit ſibi carcerem moleſtiorem ſtruere „. Senſit enim hominem eſſe animum corpori ceu carceri incluſum, quod quo reddas habitius, hoc magis gravatur animi vis.*

ſolum beatæ vitæ & jucundæ oblectationem eſſe, ſed etiam miſeriarum levamentum exiſtimato. Itaque multi quum in poteſtate eſſent hoſtium, multi in cuſtodia, multi in exſilio, dolorem ſuum litteris levaverunt. Si hæc omnia præ oculis habueris, a labore ſubeundo minime abhorrebis. VI. Corporis valetudinem diligenter ſervato, idque obtinueris, ſi hæc quæ ſchola Salernitana tradit monita, haud neglexeris:

Si vis incolumem, ſi vis te reddere ſanum:
Curas tolle graves; ſomnum fuge meridianum;
Parce mero, cœnare cave; nec ſit tibi vanum
Pergere poſt epulas; iraſci corde profanum;
Nec teneas mictum, nec cogas fortiter anum.

Et alibi:

Ne ſenſim ignavo langueſcant corpora ſomno,
Internoſque animos hebetet ſopor, excute lentum
Torporem, & varias exerce membra per artes;
Nunc ferro vitem attonde; nunc vomere verte
Tellurem; aut equitans dorſoque innixus equino
Compita carpe fuga, fluvioſque evince rapaces;
Corporis hinc totis exſudat inutilis humor
Artubus, & vitium calor excutit auctus, abitque
Quidquid ineſt morbi, ſenſuſque, fameſque vigebunt (*a*).

VII.

(a) *Atque Seneca idem Lucilio ſuo commendans epiſt.* XV. *monita quædam intermiſcet, quæ ut teneas, ſerveſque huc loci exſcribere non piget.* „ *Sunt exercitationes & faciles & breves, quæ corpus & ſine mora laxent, & tempori parcant: cujus præcipua ratio habenda eſt. Curſus, & cum aliquo pondere manus mota, & ſaltus, vel ille qui corpus in altum levat, vel ille qui in longum mittit, vel ille, ut ita dicam, ſaliaris, aut, ut contumelioſius dicam, fullonius. Quodlibet ex his elige, uſu ſit facile. Quidquid facies, cito redi a corpore ad animum, illum diebus, ac noctibus exerce, labore modico alitur ille. Hanc exercitationem non frigus, non æſtus impediet, ne ſenectus quidem. Id bonum cura, quod vetuſtate ſit melius. Neque ego te jubeo ſemper imminere libro, aut pugillaribus. Dandum & aliquod in-*

VII. Quæ corpori ſerviunt, uti Epictetus in Enchyr. cap. xxxxii. ſcite monet, eatenus adhibeto, quatenus animo ſunt uſui, veluti cibi, potus, amictus, ædes, ſervitium. Quidquid autem ad oſtentationem, aut delicias attinet, repudiato. VIII. Corporis tui temperamentum diligenter animadvertito. Scitoque mutari non poſſe, moderari autem & poſſe, & te velle oportere. VIIII. Si ſanguineum te eſſe deprehenderis, labori aſſueſce, ad lectionem & meditationem incumbe, a præcipitantia cave, patienter res expendito, attributa, ac qualitates rerum attente conſiderato, ne in errores varios naturæ vi atque calcaribus abreptus turpiter labaris. X. Si melancholica corporis conſtitutione te eſſe noveris, cibum adhibe ſelectum, tragica ſpectacula fuge, libros diurna nocturnaque manu verſato perſpicuo ſermone, rectaque methodo conſcriptos; hoc pacto, & triſtia minime ſomniabis, & nativæ mentis confuſioni aliqua ratione medeberis. XI. Si flegmatica es donatus temperie excita ingenium tuum æqualium exemplo, librorum criticorum lectione, perſpicacium virorum conſuetudine. XII. Phantaſiæ vires accurate expendito, atque ab intellectus viribus diligenter ſecernito. XIII. Si ſterilem phantaſiam nactus es, fecundam reddito lectione, meditationeque aſſidua. XIIII. Phantaſiæ frena minime laxato, ejuſque dictamina negligito, ratione utitor, virorum emunctæ naris monita audito; ſecus te deridendum propinabis, in pueriles ineptias decides, muliercularum dicta, viſa, ac ſomnia vehementer pertimeſces. XV. Si egregia es memoria præditus, curato non perfunctorie libros legere, & quæ ediſcas, diligenti examine expendito. XVI. Contra ſi debili fluxaque memoria es, iterata

intervallum animo: ita tamen ut non reſolvatur, ſed remittatur. Geſtatio & corpus concutit, & ſtudio non officit: poſſis legere, poſſis dictare, poſſis loqui, poſſis audire: quorum nihil nec ambulatio quidem vetat fieri. Ne tu intentionem vocis contemſeris: quam veto te per gradus, & certos modos attollere, deinde deprimere cet.

rerum addiſcendarum lectione, meditatione eam ſolidare augereque conator; artemque memoriæ veluti futile commentum ſpernito.

CAPUT VI.

De ſenſuum fidelitate; deque præjudiciis ex ipſis dimanantibus, ſcilicet ex tactu ſuper corporum gravitate, reſiſtentia, duritie, levitate, calore, & frigore; ex guſtu; olfactu; auditu; atque ex viſu ſuper corporum magnitudine, extenſione, figura, lævitate, aſperitate, motu, velocitate, ſitu, & coloribus; nec non de monitis quibuſdam ad rem facientibus.

I. *De ſenſuum fide opiniones.* Haud me fugit ſatis varium eſſe philoſophorum judicium ſuper ſenſuum corporis noſtri fide. Alii enim eorum imbecillitatem nimis exaggerant; atque alii vim ac fidelitatem vehementer extollunt. Pyrrhonici infida, ac male ſana eſſe idearum organa ſenſus contendunt. Contra Epicurei cum eorum duce ajunt, quicquid ſenſibus videtur, tale eſſe, quale videtur. Hinc Tullius de Leg. I. cap. XIII. ſcribit„ ſed perturbat nos opinionum varietas, hominumque diſſenſio; & quia non idem contingit in ſenſibus, hos natura certos putamus; illa quæ aliis ſic, aliis ſecus, nec iiſdem ſemper uno modo videntur, ficta eſſe dicimus: quod eſt longe aliter. Nam ſenſus noſtros non parens, non nutrix, non magiſter, non poeta, non ſcena depravat, non multitudinis conſenſus abducit a vero. Animis omnes tenduntur inſidiæ, vel ab iis, quos modo enumeravi, qui teneros, & rudes quum acceperunt, inficiunt, & flectunt, ut volunt; vel ab ea, quæ penitus in omni ſenſu implicata inſidet, imitatrix boni voluptas, malorum autem omnium, cujus blanditiis corrupti, quæ bona ſunt, quia dulcedine hac & ſcabie carent, non cernimus ſatis„. Quibus ſane ex verbis evidentur patet majorem ſenſibus certitudinem, quam intellectui ipſi, Ciceronis ſententia

tia attribui debere. Quam quidem in ſententiam Ariſtotelem quoque proclivem fuiſſe ea oſtendunt, quæ de Gen. anim. III. cap. x. habet „ ſi quando ſatis cognita habebuntur, tunc ſenſui magis erit, quam rationi credendum. Rationi enim fides adhibenda eſt, ſi quæ demonſtrantur, conveniant cum iis, quæ ſenſu percipiuntur, rebus „. Quocirca animadvertendum, ſenſus ut tantum ſibi honorem vindicent, iis dotibus præditos eſſe debere, quas apud Ciceronem in Acad. III. cap. VII. recenſet Lucullus : „ Ita eſt maxime in ſenſibus veritas ſi & ſani ſunt & valentes; & omnia removentur, quæ obſtant & impediunt. Itaque & lumen mutari ſæpe volumus, & ſitus earum rerum, quas intuemur; & intervalla aut contrahimus, aut diducimus, multaque facimus uſque eo, dum aſpectus ipſe fidem faciat ſui judicii ; quod idem fit in vocibus, in odore, in ſapore „. Verum nos etſi eorum opinioni manus libenti animo damus, qui pro ſenſuum certitudine pugnant; propterea quia ſicut accipiunt rerum imagines, ita nullo judicio interpoſito, rationi repræſentant, ac proinde ne errare quidem poſſunt : non diffitemur tamen eoſdem quamplurium præjudiciorum in cauſſis eſſe, præ nativa infirmitate ac defectu, quod luculentiſſime prolatis in medium exemplis, oſtendemus.

II. *Præjudicia, quæ ex ſenſibus proficiſcuntur*; *ac* 1. *ex tactu*. Ac principio in eo reprehendendi homines ſunt, quod ſine ullo examine ſenſuum repræſentationes accipiant, ac præcipiti judicio ſequantur, falſo ſibi in animum inducentes, rerum imagines atque ideas adamuſſim rebus ipſis reſpondere ; objecta externa ita ſe habere, ut a ſenſibus percipiuntur ; atque ea nuſquam exſtare, quod per hoſce ſenſus ad nos minime tranſmeant. Siquidem haud raro uſuvenit, ut ideæ rebus ipſis valde diſſimiles ſint, ut ea in objectis externis reperiantur, quæ ſenſuum noſtrorum vim & aciem fugiant, contraque ea non contineantur quæ nobis contineri in iis videantur. Quæ quidem obſervare in iis licet, quæ profero exempla ex cujuſque ſenſus examine ducta, ut quiſque aperte

præjudicia agnoſcat, quibus fuit uſque in hanc horam infectus. Ac primum ex ſenſu tactus ordiar, qui per omnia corporis membra æquabiliter fuſus eſt, quique mirum in modum nos ſuper corporis gravitate, reſiſtentia, duritie, lenitate, calore, frigore cer. deludificat. Et quod attinet ad gravitatem, ſive corporum pondus, quo ſuapte natura tellurem petunt, ſciendum eſt non integram nos corporis cujuſque gravitatem experiri, quum ea premimur atque urgemur; propterea quia quum corpus quoddam grave tranſit, ubi aer eſt, non omnem ſui ponderis vim, qua eſt præditum, exſerit, & a nobis ſentitur, quia ab interjecto aere retunditur atque impeditur. At utrumque falſo creditur, ſcilicet omnem nos corporis vim ac pondus perſentire, & aerem gravitate carere. Atque iccirco primum credimus, quia alterum inducere in animum nequimus; pro certo enim habemus aerem nullo pondere ornatum eſſe, adeoque nulli impedimento corporibus deorſum prolabentibus eſſe poſſe. Verum ut id præjudicii exuatur uni & alteri experimento animus intendatur. Si e vaſe aer exhauriatur, levius evadet vaſe aere pleno. Mercurium in tubis contentum vi ſua trudit aer ad altitudinem triginta circiter digitorum; ibique pendentem ac ſuſpenſum detinere potis eſt. Deinde experientia conſtat nullo pacto nos perſentiſcere corporum ſuperimpoſitorum gravitatem, quæ ſuapte natura fluida ſunt, quum in iis innatemus; nec aeris incumbentis vim ac pondus; quo fit ut ea gravitate vacare falſo judicemus. Tum circa corporum lenitudinem & aſperitatem nos decipit tactus; ſiquidem non ita nobis ſcabra & aſpera apparent, uti revera ſunt; atque adeo quæ tactu lævisſima perſentimus, ſæpe inæqualia ſunt, devexitatibus, aggeribuſque ſcatent, quæ quum tactus noſtri aciem fugiant, microſcopiorum ope deteguntur. Hinc luculentisſime colligitur, eos, qui illhac ratione ducti de corporum lenitudine, & aſperitate ſententiam ferre in more habent, præjudicio obnoxios eſſe. Adhæc non omnes materiæ particulæ tactu deprehenduntur, hinc nullas eſſe alias arbitramur,

mur, præter eas, quas tactus experimento exſiſtere nobis conſtat. Sed nos deceptos turpiter eſſe, nemo unus phyſicorum inficiabitur; quippe quod innumera obſervantur microſcopiis corpuſcula per aerem volitantia, tactuique noſtro ignota, quamquam in nos continenter impingant, cutique adhæreant. Ad calorem porro, & ad frigus quod ſpectat, decepti putamus qualitates haſce corporibus ineſſe, ſcilicet in igne calorem; inque glacie frigus. Quod utrumque a veritate alienum eſt, atque innumeris experimentis accurate peractis extra omnem dubitationis aleam poſitum, quorum unum & alterum huc afferre non piget. Ac primo eadem aqua, quæ vix ignem ſenſerit, calida ſimul, & frigida deprehendetur, ſi utraque manus in eam immergatur, quarum altera prius igni admota fuerit, altera vero ad glaciem appoſita. Deinde quod manus calidum eſſe ſentit, aliis porro membris, quæ veſtibus contecta ſunt, ſatis frigidum videtur. Tum eodem tempore idem aer aliis quidem frigidus, aliis vero calidus, aliis denique temperatus apparet, licet ejuſdem ponderis veſtitum omnes deferant, quod diſſimili eorum ætati, corporiſque conſtitutioni, & valetudini attribuendum eſt. Poſtremo ſi quis in cubiculum probe occluſum ingredietur, ibi aerem vel calidum valde, vel tepidum ſaltem eſſe contendet: contra qui recens e lecto ſurrexerit frigidum magis, quam calidum eſſe teſtabitur. Hiſce utpote facilioribus contentus eſto. Verum hinc elicias volo non poſſe calorem, & frigus qualitates eſſe corporibus inhærentes; nam ſi eadem aqua, idem corpus, idem aer calida ſimul & frigida eſſe nequeunt; conſequitur haud in ſe frigus, caloremve continere, ſed in corporibus, queis admoveantur, dumtaxat excitare. Quare calorem, & frigus nihil eſſe aliud conficitur, quam meras putaſque ſenſationes, quorum corpora, calida quæ vulgo, vel frigida nuncupantur, cauſſæ vel occaſiones recte appellari queunt, ea ſcilicet ratione qua nec dolor in acu, quo ferimur, ineſt; nec in flamma, qua exurimur; & nec ſopor in opio, nec lanquor in manna:

na: ſed dolor, ſopor, languor ſenſationes ſunt, quas efficiunt acus, ignis, opium, manna, ut optime phyſici univerſi norunt.

III. 2. *Ex guſtu, & olfactu*. Jam vero ea quiſque opinione eſt imbutus, quod odor, ſaporque rebus ipſis inhæreat, idque a vero abhorret. Primum enim omnis ſenſatio jucunda, aut injucunda eſt ſuapte natura, non pro hominum arbitrio ac voluntate: deinde una eademque ſenſatio grata ſimul eſſe & ingrata, ſuavis atque inſuavis nequit. Quare ſi tibi dulcem & jucundam, mihique amaram ac moleſtam res eadem ſenſationem parit, quis eſt, qui non videat ſenſationem longe diſſimilem eſſe ac diverſam? In dies vero accidit, ut res eadem a te olfacta, vel guſtata grata tibi dulciſque videatur; contra mihi ingrata ac moleſta; quia narium, ac linguæ conſtitutione admodum diverſa a natura donati ſumus. Non ergo in hominibus univerſis ſenſationes eædem ab rebus iiſdem, ſed longe diverſæ excitantur. Hinc aperte conficitur, odorem, saporemve pravum, vel bonum corporibus odoroficis, aut saporificis, quæ nares, guſtumve afficiunt, haud ineſſe. Contra ſi revera in rebus ipſis odor, ſaporque ineſſet, ab omnibus æque ſentiretur.

IIII. 3. *Ex auditu*. Ad auditum porro quod attinet, cautos eſſe oportet, ne exiſtimetur, ſonos corporibus, quæ ſonora dicuntur, inſitos eſſe; quum ſint meræ ſenſationes a corporibus motu tremulo in aurium organo productæ. Siquidem ex phyſica conſtat toties ſoni ſenſationes excipere nos, quoties tremorem corpora ſonora, concipiunt; iſque cum aere communicatus ad aures uſque pertingit, eaſque ſubſultu, atque undoſa vibratione afficit. Et certe niſi corporum ſonantium particulæ tremulum imbibunt motum, nullus editur ſonus, hinc reſonant fidis, chordæ, quum tremorem manuum pulſu concipiunt. Ea ſane in ſententia optime vocem finivit deſcripſitque Vitruvius lib. V. de Architect. cap. III.; quum inquit: „ Vox eſt ſpiritus fluens, & aeris ictu ſenſibilis auditui. Ea movetur circulorum rotundatio-

ni-

nibus infinitis: uti ſi in ſtantem aquam lapide immiſſo, naſcantur innumerabiles undarum circuli, creſcentes a centro, & quam latiſſime poſſint, vagantes . . . eadem ratione vox ita ad circinum efficit motionem „ Ad hæc cavendum quoque eſt ne credatur inde ſonum reipſa ſemper prodire, unde nobis prodiiſſe videbitur. Si enim motus aeris tremulus ab aliquo corpore, ſcilicet ære campano, telo ignivomo cet. productus ad aures noſtras non recta pervenerit, ſed in aliud corpus montem puta, ſpecum, turrim impegerit, indeque ad nos ſe contulerit, ex ea nobis parte ſonus proficiſci videbitur, quod a vero longe abeſt. Quæ res in convallibus præcipue locisque concameratis uſuvenire ſolet, ut ipſe quoque in propinquis huic Solitudini, quam incolo, convallibus experientia didici, id vero eſt quod echo appellatur. Quocirca advertendum eſt in ejuſmodi locis reſultantem diſcindi aerem, acceptaſque voces numeroſiori repercuſſu ſæpe multiplicari. In urbe Cyzico turres ſeptem acceptas voces multiplicant. Olympiæ porticus fuit, quam heptaphonon nuncupabant; quoniam ſepties ibi vox eadem reddebatur. & Dandinus II. de anima digreſs. xliiii. narrat prope Mediolanum ſe experimento noviſſe vocem ex quibuſdam magnificis ædibus vicies uſque reflecti.

V. 4. *Ex viſu*. Supereſt, ut præjudicia, quorum oculi occaſio ſunt, in propatulo ponamus. Ac primo ab oculis decipimur, quum arbitramur res ipſas extra nos poſitas, non vero earundem dumtaxat imagines in phantaſia noſtra depictas intueri. Secundo deludificant nos ſuper corporum magnitudine, & extenſione. Nam ſi perſpicillis tubuliſque opticis corporum magnitudo conſpiciatur, major minorve apparere nobis ſolet præ tubulorum, vel perſpicillorum natura, quæ concava vel convexa eſſe poſſunt, ac præ varia lentium diſpoſitione ac numero, quibus tubuli conſtantur. Oculos porro noſtros eſſe veluti tubos quoſdam opticos a natura exquiſite conſtructos, atque in animantium fronte collocatos, ab eorum anatome erudimur. Etenim ſi bovis oculus recens

extractus, ac tribus, queis contegitur poſterioribus tunicis denudatus alicui aptetur foramini ſtudioſe ad rem facto, per quod lucis radii in cubiculum undique concluſum, ac tenebricoſum ſe recipere queant, & ad juſtam ab oculo diſtantiam charta conſtituatur, depicta objecta extrinſecus poſita conſpicientur in ea, quemadmodum certe contingeret, ſi eidem foramini tubus aliquis opticus apponeretur. Præterea oculos, ſi parum diverſa erit eorum intima ſtructura, diverſimode exhibere objectorum magnitudinem, ex opticæ principiis liquet. Hinc conficitur binos homines diverſa oculorum conſtitutiones præditos vel ob humorum denſitatem, vel ob ſitum ac magnitudinem non eodem pacto ejuſdem rei imaginem videre, magnitudinemque percipere. Accedit eodem, quod ſæpe oculis videmus corpora veluti minima atque exiliſſima, quæ reipſa talia non ſunt. Quare cautos nos eſſe oportet, ne ea dumtaxat corpora exſiſtere putemus, quæ ſub oculos evidentiſſime cadunt. Jam vero corpora, quæ longe a nobis diſtant, non uti re ſe habent, menti oculorum miniſterio exhibentur, ſed figura ac magnitudine admodum diverſa, ac proinde quæ quadrata ſunt, rotunda percipiuntur. Hinc Lucretius de rer. nat. lib. III.

Quadrataſque procul turres cum cernimus urbis,
Propterea fit, uti videantur ſæpe rotundæ,
Angulus obtuſus, quia longe cernitur omnis:
Sive etiam potius non cernitur, ac perit ejus
Plaga, nec ad noſtras acies illabitur ictus.

Ad æqualitatem porro quod ſpectat, & inæqualitatem extenſionum, ſi corpora longe a nobis diſtant, etſi impari diſtantia in eodem loco collocata eſſe videntur. Hinc ſol, luna, nubes quamvis ingenti intervallo inter ſe diſſita ſunt, oculis noſtris æque diſtantia comparent. Figuræ quoque corporum non exacte oculorum ope concipiuntur. Sic ex. gr. duæ lineæ parallelæ haud ſunt, ſcilicet inter ſe non undique prorſus æque diſtantes, ſed paullulum identi-
dem

dem divertant convergàntve, parallelæ oculis ſane apparebunt. Præterea corporum ſuperficies licet plana, perpolita, ac nullis impedimentis in ſpeciem intricata, ſi porro microſcopio diligenter obſervetur; mirum quantum inæqualis, impolita, rudis & aſpera eſſe deprehendetur. Ad hæc fallunt ſuper motu nos oculi.; quippe quia ea immota perſiſtere nobis edicunt, quæ re moventur ipſa, atque e contrario. Concutiatur ſolidum aliquod corpus ita, ut rumor ſonuſve excitetur, ejus partes quamvis concuſſæ, & ipſæ moveantur, conſiſtere atque in quiete permanere videbuntur. Rurſus ſi bina corpora, ſub idem tempus ſpatia percurrant, quæ imparia videantur, & paria tamen ſint, inæquali velocitate moveri ea videbuntur, licet æquali reipſa paſſu moveantur. Ita ſi bina corpora in uno eodemque circulo moveri, & veluti in uno eodemque fornice conſtituta videantur, ac proinde nobis æque diſtantia appareant, quum tamen ex illis corporibus alterum longe ſublimius, & remotius altero revera ſit, ſi corpora illa ad eaſdem partes moveantur, licet ſublimius corpus rapidiori velocitate feratur, quam corpus inferius, tamen hoc illo velocius oculis apparebit. Exemplo ſint luna, & ſol, quæ quum diverſos circulos percurrant diſparique velocitate; luna tamen gradu velociori nobis moveri apparebit: quum re ſol ea ſit longe velocior in ſuo curſu; quippe qui orbem ſatis longiorem conficiat. Super corporum ſitu nos quoque decipiunt oculi. Scilicet non ibi conſtituta ſunt quædam corpora, ubi eſſe apparent. Quod ut percipiatur animadvertere oportet globum hunc terraqueum aere circumdatum eſſe, eoque non puro ſed exhalationibus terreſtribus vaporibuſque aqueis conſpurcato, quæ ad certam altitudinem ſupra nos aſſurgunt. Quod quidem aeris ſpatium vaporibus exhalationibuſque intermiſti athmoſphæra a phyſicis nuncupatur. Radii inſuper lucis, qui ab objectis immiſſi, vel reflexi obliquo ac tranſverſo tramite per athmoſphæram feruntur objecta nobis exhibent altiora, quam ſunt, nimirum ibi collocata eſſe repræſentant. ubi minime ſunt,

ma-

maxime ſi aer valde ſit obnubilus, vaporibuſque obumbratus, & objecta ad inſignem aliquam diſtantiam conſtituta. Hujuſce phænomeni rationem Dioptricæ peritis notam, huc, ne prolixior ſim, libenter prætereo. Reliquum eſt ut quo pacto in colorum perceptione errandi occaſionem nobis porrigant oculi, patefaciamus. Ac profecto nullus eſt, qui non arbitretur colores qualitates eſſe corporum reales, quum nihil ſint re ipſa, quam ſenſationes meræ ex lucis radiis corpora illuſtrantibus, atque oculos noſtros afficientibus productæ. Eadem ſcilicet ratione ac ſapor, & odor non inſunt in ſapidis, odoriſque corporibus, ita corpora, quæ colorata apparent, reali ſunt orbata colore. Quod ut quiſque in animum non ægre inducat, mentem advertat, quæſo, ad experimentum in medio poſitum. Si quis oculorum lippitudine laborans in cubiculo probe clauſo, ac lucernæ dumtaxat lumine illuſtrato, lumen ipſum conſpiciet, pluribus coloribus illud circumdatum deprehendet perfectam bellamque iridem conficientibus. Quod ſi quiſquam oculos nullo affectos vitio habens intuebitur, nullum colorem præter lumen videbit. Cui, ut cetera mittam, hoc alterum adnecto. Si quis columbæ collum a ſolis radiis percuſſum contemplabitur, multiplici colore variegatum obſervabit. Et tamen in dubium revocare nemo valebit, neque lucernæ, neque iridis, neque colli columbæ colores reales, ſed apparentes eſſe dumtaxat, ac meras ſenſationes a lucis radiis ex eorum corporum ſuperficiebus reſilientibus, atque oculos afficientibus, procreatas.

VI. *Monita quædam ad rem opportuna*. Patefactis offendiculis, quæ ſenſus rationem ante jaciunt in rerum cognitione, monita quædam ſubnectere animus eſt, queis errori aditus præcludatur. Ac I. Senſibus ne fidas, ſiquidem non prout ſe res habent, menti repræſentant, ſed prout apparent. II. Iis utitor ſanis, atque inſtrumentis optimis adjutis, ſed in conſilium adhibita ratione. III. Quæ ſenſuum miniſterio didiciſti, ea ad examen revocato, ne in errores abripiaris. IIII. Notiones, quas ſenſu tactus compa-

pa-

paraveris cum obſervationibus, atque experimentis phyſicorum conferto, ut præjudicia, queis ab infantia es infectus, exuere valeas. V. Odorem, ſaporemque cave ne rebus ineſſe putes, quum ex ſapidis odoriſque corporibus linguæ, naribuſque applicatis tantum creentur. VI. Sonum corporibus inhærere ſonoris ne exiſtimes; etenim non habent, ſed undoſo motu, quem aeri imprimunt, in auribus producunt. VII. Colores reales, eſſe ne credas; eaque inſtrumenta, quæ oculorum vim perficiant in auxilium adhibeto, ne turpiter decipiaris. Atque de internis præjudiciorum fontibus dictum eſt ſatis (*a*).

CAPUT VII.

De externis, præjudiciorum fontibus a Tullio enumeratis, nimirum de puerorum contubernio cum nutricibus imperitis, ac famulis ſceleſtis; parentum incuria in filiis, & filiabus educandis; magiſtrorum moribus, & auctoritate; poetarum lectione; populi fabellis, & ineptiis; deque canonibus iſthæc reſpicientibus.

I. *Externi præjudiciorum fontes a Cicerone recenſiti.* JAm tempus eſt ut præjudiciorum fontes, qui extra nos ſunt, indigitemus. Qua ſuper re egregius Ciceronis locus in Tuſcul. Quæſt. lib. III. cap. 1. proſtat, quem huc loci exſcribere operæ pretium duco „ Nunc parvulos nobis dedit (natura) igniculos, quos celeriter malis moribus, opinionibuſque depravatis ſic reſtinguimus, ut nuſquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingeniis noſtris ſemina innata vir-

(*a*) *Quæ huc uſque de ſaporum, colorum, odorum cet. natura diſſerui ex recentium philoſophorum ſententia, ægre feret moroſus quidam Peripateticus, atque mihi ut præjudicia eius opinamenta tironibus venditanti vehementiſſime ſubiraſcetur. Sed mitto hominem in tanta litterarum luce tenebrarum adhuc amantem. Nec mihi licet huc loci cum eo congredi.*

virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem ſimul atque editi in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omni continuo pravitate, & in ſumma opinionum perverſitate verſamur, ut pæne cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Quum vero parentibus redditi, magiſtris traditi ſumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat. Accedunt etiam poetæ, qui quum magnam ſpeciem doctrinæ ſapientiæque præ ſe tulerunt, audiuntur, leguntur, ediſcuntur, & inhæreſcunt penitus in mentibus. Tum vero accedit eodem, quaſi maximus quidam magiſter populus, atque omnis undique ad vitia conſentiens multitudo; tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque ipſa deſciſcimus „ Eadem repetit de Legib. lib. I. cap. XVII. „ Nam ſenſus noſtros non parens, non nutrix, non magiſter, non poeta, non ſcena depravat, non multitudinis conſenſus abducit a vero „. Sed hæc uberius diſcutiamus oportet.

II. *Nutrices*. Ac principio quum ſub hujuſce vitæ auras prodiverit honeſtus atque ingenuus quidam puerulus ſtatim lactandus, & educandus traditur rudi alicui ancillæ, quam nutricis matriſque loco per biennium, & ultra cogitur habere; quod quam a natura abhorreat, quæ lacte puerperam eo donat, ut per ſe gnatum ſuum nutrire valeat; non eſt quod pluribus commonſtrem, atque hujuſmodi monſtroſum morem ſugillem, maxime quum id philoſophi, ſcriptoreſque alii plerique naris emunctæ jamdudum præſtiterint. Iſthæc porro animum pueruli tenellum innumeris fabellis turpiter inficit, præcipue ſi vehementer illacrimantem, & ejulantem ad ſilentium compellere velit, edicitque adventuram neſcio quam perſonam, Mammonam vel alio barbaro, atque horribili nomine nuncupatam, quæ, niſi obmuteſcat, & conqueri deſinat, erit ſecum plane abreptura. Ad hæc infans, quum ratione uti nondum queat, atque ad aſtum detegendum idoneus minime ſit; actu-

tum

tum a moleſto fletu conquieſcit (*b*). Hinc innumera illa de ſpectris, larvis, ſtrigibus, ſpiritibuſq; familiaribus portenta. Harum rudium, & imperitarum mulierum educatione, ac diuturna conſuetudine infinitis nugis, & gerris tenelli puerorum animi inficiuntur, præjudiciis innumeris imbuuntur, quæ vix in adulta, & virili ætate deponent; atque horrendis hujuſmodi minis terroribuſqe ſtupidi ac bardi efficiuntur. Quod quidem iis poriſſimum puellulis contingit, qui ex nobilioribus honeſtioribusque parentibus ſunt prognati. Accedit eodem, quod ſæpe cum famulis imperitis, & quod exitioſius eſt, perditorum morum converſari infantulos jam in more poſitum ſit, ex quorum convictu non modo plurimas fabulas, ridiculaſque narrationes ediſcet, ſed etiam turpia verba, atque obſcena facinora. Quocirca perſpecte Plutarchus de inſtituendis pueris monuit, „ Ut enim membra corporis, ſcribens, quo recta hæc nec diſtorta adoleſcant, mox a partu conformare pueris neceſſe eſt: ſic puerorum decet a primo compónere mores. Ductilis eſt enim, & mollis juventus, eorumque animis adhuc teneris facile infunduntur præcepta. Omne vero quod durum eſt, haud promte emollitur. Quomodo enim molli ceræ imprimuntur ſigilla, ſic diſciplinæ animis eorum, qui etiamnum ſunt pueri, inſculpuntur. Ac mihi divinus ille Plato ſcite ſubjicere videtur nutricibus, ne commemorent pueris quaſvis fabulas, ne animos ho-

(b) *Id quum in domo mea moram agerem contingit. Totus ſe in amaras ſolverat lacrimas pulcherrimus infans, nec munuſculis, nec blandiciis adduci poterat, ut a fletu temperaret: hinc mater hujuſce ejulatus pertæſa Joannem Aloyſium clamitat, ac jam verbo audientem, præ foribus adeſſe aſſeverat, ut eum niſi lacrimas, cohibeat, ſecum abducat. Harum vocum ſono territus puer, continuo planctum comprimit, genaſque abſtergit, vultumque ſerenat. Ecquid hominis eſſet iſte Joannes Aloyſius percontanti mihi, reſpondit mater: mendicus eſt horrenda facie, ſatis pannoſus, ac ſciſſili amictus palliaſtro.*

horum a principio vecordia, & vitiis contingat impleri. Videtur poeta quoque Phocylides recte commonere, dum ait.

Hoc decet a pueris, virtutum diſcere facta.

Ne hoc quidem prætermittendum pueros, qui miniſtraturi ſunt nutritoribus ſuis, eorumque futuri contubernales, quærendos ante omnia eſſe probatos moribus, inſuper græcæ, ac planæ linguæ; ne conſuetudo barbarorum, & improborum moribus imprimat illis aliquid ſuæ pravitatis. Nec vero abſurde proverbio dicitur: Apud claudum ſi habites, non nihil claudicare diſces„ Verum commendare ſatis nequeo veterum Romanorum ſeveritatem ac diſciplinam de liberis educandis, formandiſque. Jam primum, ut narrat auctor dialogi de cauſ. corrupt. eloqu. cap. XVIII. ſuus cuique filius ex caſta parente natus, non in cella emtæ nutricis, ſed gremio ac ſinu matris educabatur, cujus præcipua laus erat tueri domum, & inſervire liberis. Eligebatur autem aliqua major natu propinqua, cujus probatis, ſpectatiſque moribus, omnis cujuſpiam familiæ ſoboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhoneſtum factu videretur. Ac non ſtudia modo, curaſque, ſed remiſſiones etiam luſuſque puerorum, ſanctitate quadam ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, ſic Aureliam Cæſaris, ſic Actiam Auguſti matrem præfuiſſe educationibus, ac produxiſſe principes liberos accepimus. quæ diſciplina ac ſeveritas eo pertinebat, ut ſincera, & integra, & nullis pravitatibus detorta, uniuſcujuſque natura, toto ſtatim pectore arriperet artes honeſtas: & ſive ad militarem, ſive ad juris ſcientiam, ſive ad eloquentiæ ſtudia inclinaſſet, id ſolum ageret, id univerſum hauriret. Sed quemadmodum ævo ſcriptoris hujuſce dialogi id moris obſoleverat, quum natus infans græculæ alicui ancillæ, cui adjungeretur unus aut alter ex omnibus ſervis plerumque viliſſimus, nec cuiquam ſerio miniſterio accommodatus, delegabatur: ita hac tempeſtate adeo monſtroſus hic mos infantuli recens

nati

nati curam nutricibus committendi invaluit, ut radicitus evelli difficillime queat. Ad minus diligentes in mulieribus probis ac ſanis eligendis ſint parentes oportet: quarum dotes enumerantur, ac deſcribuntur in fragmentis Pythagoreorum, a Myia in epiſt. ad Phillidem, quam ad oram pagellæ adſcribere ex verſione Mattorelliana non piget. (a)

III.

(a) „ *Factam te matrem filiorum hæc moneo, nutricem quidem eligere aptiſſimam, & mundam, præterea & verecundam, & non ſomno deditam, neque ebrietati. Talis enim judicatur præſtantiſſima ad educandum ingenuos filios, ſic lac ad alendum idoneum habeat; magna enim pars in hoc, & prima, & evidentiſſima ad totam vitam eſt in nutrice, ad recte educandum. Faciet enim omnia recta opportuno tempore, papillam, mammamque, & nutrimentum dando non quum in mentem venit, ſed cum aliqua prudentia: ſic enim ad valetudinem ducet infantem. Non quando ipſa vult dormiat; ſed quando infans quietis deſiderium habet; non exiguam enim ſanitatem puero afferet. Sit autem non iracunda nutrix, neque balba, neque in ciborum ſumtionibus negligens, ſed compoſita, & moderata: poſſibile autem ſi ſit, non barbara, ſed græca: optimum ſi lacte probe impletus infans, ſic ad ſomnum convertatur; jucunda enim puellis remiſſio, & facillima hujuſmodi cibi concoctio: ſi autem etiam alium cibum dari oportet, ſit ſimpliciſſimus. Vino autem prorſus abſtinendum eſt ei, quoniam vim fortiorem habet, aut raro concedendum forte temperatura non diſſimili lacti. Balneis autem non utatur continuis; rarorum enim, & bene paratorum uſus melior. Simul vero, & aer idoneus caloris, & frigoris, habens juſtam temperiem. Et habitatio neque nimium flatibus obvia, neque nimium tecta. Sed, & aqua neque dura, neque mollis: & ſtrata non aſperà, ſed apta corpori concinne; in omnibus enim his ſuam, quandam vim natura requirit, ſed non magnificentiam. Has quidem igitur in præſentia non ineptum præſcripſiſſe tibi ſpes nutritionis ad prædictum morem adminiſtrata: Deo vero juvante de*

edu-

III. *Parentes*. Jam porro ad parentes, quibus redduntur a nutricibus pueri, gradum faciamus, ut qua ratione natis præjudicia inferant ſuis, enucleemus. Ac primum ſicuti telluris indolem dignoſcere oportet, ut ea excoli utili queat labore, ac ne ſine ſucceſſu, & bono eventu, fruſtratio ſit, ut cum Marco Varrone loquar, non cultura: ita puerorum ingenia ſtudioſe diſpicere, matureque expendere ac noſcere debent parentes, ut ad eas ſcientias arteſq; poſſint illos tempeſtive applicare, ad quas aptos atque idoneos a natura effectos deprehendant. Hinc proclives ad quædam ſtudia pueri, ab aliis contra vehementer abhorrent: quam quidem propenſionem notare parentes deberent, eamque non modo non diſturbare ac retundere, verum etiam fovere, augere, & perficere, ne quum in rem aliquam eos incumbere, animo invito adſtringant, tempus & operam ludere cogant. Nihil quippe faciendum diſcendumve invita Minerva eſt. Quapropter ſummis laudibus Nazianzenus, Athenienſes proſequitur in ep. LVII. ad Eudoxium ob legem id negotii ſpectantem ſapientiſſime latam: „ Athenis, inquit, vetus lex erat, eaque meo quidem judicio præclariſſime conſtituta, ut adoleſcentes, quum pubertatis annos attigiſſent, ad artes ducerentur; ducerentur autem ad hunc modum. Cujuslibet artis inſtrumenta publice proponebantur, atque adoleſcentes ad ea adducebantur: quocunque autem delectari quenque contigiſſet, ad idque accurreret, hujus quoque artem edocebatur; ac contra ea quæ invita natura ſuſcipiuntur, ſpem fruſtrari ſoleant „. Qua quidem in re ſæpe magno ſui, filiorum, reipublicæque detrimento peccant parentes, quum ſcilicet minime explorato puerorum ſingulorum ingenio, hunc litteris, illum mercaturæ; hunc medicinæ, illum picturæ; hunc eccleſiæ, illum foro; hunc militiæ, illum domus curæ addicunt; quo fit ut quum viribus ad ea ſtudia excolenda neceſſa-

riis

educatione pueri rurſus, quas poterimus, & aliquando proprias afferemus admonitiones „. Græcorum Auctorum Sylloge pag. 103.

riis careant, iis animo renuente operam navent; ac proinde neque ſibi, neque familiæ, neque reipublicæ prodeſſe valeant. Non ſibi, quum ea ſtudia renitenti minerva aggrediuntur, ne hilum quidem proficient: non familiæ; nam quum in ea arte parum progreſſi fuerint, dignitate aliqua vel munere donari nequeunt: non denique reipublicæ; ſiquidem decus ei, atque ornamentum afferunt ingenia in quaque arte, ac ſcientia eximia, & præclara. Jam cognito pueri ingenio ad litteras addiſcendas idoneo, ipſe parens ſi potis per ſe eſt, eum erudiat, ut diligentiori cura ac ſtudio id peragere queat; quemadmodum, ut recentes taceam, feciſſe Catonem majorem narrat Plutarchus in Cat. Maj. Ubi aliquid intelligere potuit puer, eum ipſe in litteris inſtituit, licet idoneum, & eruditum domi ſervum haberet Chilonem, a quo pueri multi erudiebantur. Sed nolebat, ut ipſe ſcriptum reliquit, ſervum filio ſuo, vel maledicere, vel aurem vellicare, ſi tardior in diſcendo eſſet: neque etiam filium tanti muneris, hoc eſt doctrinæ debitorem eſſe ſervo. Ipſe itaque ludimagiſter, ipſe legum doctor, ipſe laniſta fuit. Neque modo docuit jaculari, armis depugnare, equitare; ſed etiam pugilatu decertare, calorem, & frigus tolerare, fluminum vortices nando ſuperare: conſcripſit illi manu ſua grandibus litteris hiſtorias, ut etiam in paterna domo nota haberet veterum inſtituta, atque exempla. Quidquam turpe loqui cavit non minus filio præſente, quam ſacris virginibus Veſtalibus; & nunquam ſe ei in balneo videndum dedit. Ex recentioribus Baſilius Jannellius non infimi ſubſellii jureconſultus, ac poeta clariſſimus idem præſtitiſſe videtur, qui Educationem Filialem conſcribens, natum ſuum per omnes ſcientias juriſperito neceſſarias manuducens ei monita quædam præclara præbet; is libellus mira eruditione optimiſque obſervationibus, & animadverſionibus refertus apud me manu exaratus aſſervatur. Neque autem minori diligentia, & cura adlaborare debet mater, ut filii non modo probis moribus ſint, ſed etiam litteris ac

doctrina apprime exornari. Hinc improborum conſuetudine puerorum eos ſevere prohibeat; perperam facta vel dicta illis acriter exprobret, ac pro merito in eos animadvertat; per lacrimas, & iracundiam; quidpiam exorantibus deneget, quietis porro, ac placatis offerat; ut litteris ſtudioque animum appellant ſcholamque quotidie frequentent, ſedulo curet (a); nul-

(a) *Sit exemplo Chriſtiana Joannis Joviani Pontani mater, qua de Pontanus ipſe lib.* VI. *de ſermone tom.* II. *pag.* 248. *hæc denarrat:* „ *Mater mea Chriſtiana de me admodum puero quum eſſet ſollicita, ſciretque me aſſiduum agere apud grammaticum, primaſque ferre inter condiſcipulos partes, nec laudare coram vellet, alibi his adoriebatur: Quid o fili de te audio? quod hodie ſuperatus e ludo diſceſſeris in themate latinis verbis explicando: alibi at ego mellitum tibi edulium paraveram, quod ſperarem te victorem litteraria e concertatione rediturum, redis victus? Quod igitur tibi paraveram, ad eum ſum, qui te vicit, miſſura. His igitur, atque aliis mater gaudium diſſimulabat, dum laudare puerum me coram omnino defugit, Socraticamque per diſſimulationem hortabatur ad perdiſcendas litteras* „ *Ibidem pag.* 241. „ *Narrare quoque ſolita eſt Chriſtiana mater quum noctu adoleſcentulus lectitarem ad candelam exſtitiſſe patremfamilias, cui gemini eſſent filii, morientemque illum, tum ſupellectilem multam illis reliquiſſe, tum olei non mediocrem ſummam, quo nocturna uterentur ad opera, tenebraſque evigilandas; alterum itaque ex iis in conviviis ac cœnis oleum conſumſiſſe, exque eo brevi in inopiam redactum: alterum vero dediſſe operam litteris, oleoque nocturnis in lectionibus uſus quum eſſet, perveniſſe ex eo ad ſummas divitias; cœptum igitur cantari per urbem de utroque hujuſmodi carmen:* „ *hic oleum, & ſe perdit, dum ad candelas cœnitat: ille arcam, & ſe ditat, dum ad lucernas lectitat* „. *Ejuſmodi igitur fabellæ, quum ſint ad bonos mores inſtitutæ, atque ad recreandos animos, & delectare debent, & prodeſſe* „. *Digna profecto mater, quam omnes imiten-*

nullum itaque non moveat lapidem ut filii ſui, & in bene moratos, & litteratos homines evadant. Nunquam illud Corneliæ matris Gracchorum, ut refert Valerius lib. IIII. cap. III., obliviſcatur, ſcilicet liberos eſſe ornamenta ſua. Quum Campana matrona apud illam hoſpita, ornamenta ſua, quæ erant illo ſæculo pretioſiſſima oſtentaret ei muliebriter; traxit eam ſermone, quoaſque a ſchola rediſſent liberi; quos reverſos hoſpitæ exhibens: „ Et hæc, inquit, ornamenta mea ſunt „. Quum vero perpauci ſunt parentes, qui in litteris verſati per ſe liberos in ſcientiis erudire queant; atque ſæpe uſu venit ut variis curis diſtenti ac diſtracti in id negotii ſedulo incumbere haud valeant, oportet ut magiſtris curam hanc demandent, ne in munere omnium graviſſimo deeſſe videantur. „ Prima luce, perſpecte monuit Plato lib. VII. de legib. pueri in ludum litterarium proficiſcantur. Quoniam vero nec pecudes, neque ullum aliud animal ſine cuſtode vivere debet, neque pueri etiam ſine pædagogis, neque ſine dominis ſervi: puer autem omnibus beſtiis intractabilior eſt; quum enim ſapientiæ fontem nondum abſolute compoſitum habeat, inſidioſiſſimum eſt, acerrimum, petulantiſſimum omnium brutorum animalium. Icirco multis quaſi frenis conſtringendus eſt puer, & quum primum a matribus nutricibuſque ſejungitur, pædagogis continuo tradendus eſt, qui ejus laſciviam regant atque doment: deinde præceptoribus commendandus eſt ad eas diſciplinas diſcendas, quæ liberum hominem decent „. Atque ſi nihil dulcius a natura datum eſt, quam ſui cuique liberi: nulli labori, nulli dilingentiæ, nulli curæ, nullique impendio parcere quiſque parens debet, ut litteris ac doctrina excolantur, eximiiſque virtutibus adornentur. Semperque mente revolvat ſe filios ſuſcepiſſe non ſolum ſibi, ſed etiam patriæ; non modo, ut ſibi voluptati, ſed etiam ut aliquando uſui reipublicæ eſſe poſ-

 ſint:

tentur, quæ aveant liberos recte inſtituere, atque eximiis porro in provecta ætate honoribus, & muneribus honeſtates admirari!

ſint : nec tam intereſſe ſi liberos poſt mortem reipublicæ relinquat, quam ſi iis dotibus inſtructos, iiſque moribus conformatos ut reipublicæ ornamento & decori eſſe queant. Hinc Juvenalis XIIII. Satyr. v. VII.

Gratum eſt, quod patriæ civem, populoque dediſti,
Si facis, ut patriæ ſit idoneus, utilis agris,
Utilis, & bellorum, & pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus inſtituas.

Haud abs re fore duco hiſce quidquam de puellarum educatione adnectere. Has vero in litteris proficere poſſe, quum vetus, tum recens hiſtoria litteraria patefacit, quæ magnam ſibi famam in qualibet diſciplina peperiſſe teſtatur. Atque poeſim ſtudioſe coluerunt, eique lumen & decus attulerunt eximium Corinna Thebana, Erinna Telia, Sappho Lesbia, Polla Argentaria, Cleobulina, Cornificia, Damophila, Praxilla Sicyonia, Phemonoe, Theano, Teleſilla; litteris humanioribus latinis, græcis cet. mirifice excultæ fuerunt Cornelia Gracchorum mater, filiæ Lælii, & Q. Hortenſii, Anaſtaſia P. Romani uxor, Pamphila, Zenobia Palmyreorum regina, Agallis Corcyræa, Caſſandra Fidelis Veneta, Damiſella Triulcia Mediolanenſis, Nicoſtrata, quid quæris? Euſtochium latinarum, græcarum, & hebraicarum litterarum ſtudiis plurimum excelluit, Bleſilla ad miraculum uſque græce & latine docta. In philoſophicis diſciplinis magna cum laude floruerunt Aſpaſia Periclis magiſtra & uxor, Hypathia Theonis Geometræ filia, Leontium græca adoleſcentula, quæ in Theophraſtum ſcripſit, Laſthenia Mantinea, & Axiothea Phliaſia Platonis diſcipulæ, Diotima, & Aphaſia, Themiſtes, Thargelia, Hipparchia, Themiſtoclea Pythagoræ ſoror. quid plura? multis diſciplinis cumulatiſſimæ, atque omnigena eruditione conſpicuæ quamplures aliæ numerantur. Verum ne quis ſibi perſuadeat tempora noſtra hiſce doctis atque eruditis mulieribus carere, adeat Politianum in Nutrice,

Hya-

Hyacinti Gimmæ opus inſcriptum : „ L' Idea della Storia dell' Italia Letterata ; Huetii commentarium de rebus ad eum pertinentibus, in quo de pluribus clariſſimis feminis meminit. Neque deſunt adhæc in Europa mulieres eruditæ ac doctæ. Hinc aperte conficitur poſſe puellas in litteris inſtitui ; maxime ſi nobiles ſint ac miro ingenii acumine præditæ (a). Studia porro queis vacare non inutili labore queant, ſunt litterarum humanarum ,, poeſeos, geographiæ, hiſtoriæ, philoſophiæ, matheſeos cet. Siquidem quum acri vivacique phantaſia plurimum polleant in poeſi, geographia, atque hiſtoria progredi mirifice poſſunt : quæ vero virile ingenium nactæ ſunt ſubtilioribus philoſophiæ ac matheſeos diſciplinis operam navare valent ; atque ſi quæ ſunt ejuſmodi ingenii acumine exornatæ, & in pietatem adverſus Deum admodum proclives ſacris litteris excolantur, ut veram ſapientiam ediſcant. Præterea ſi rudi minerva ſunt, artibus addicantur ; neque ſe earumque conditionem dedecere putent iſtiuſmodi occupationes ; ſciant enim nobiliores matronæ Romanæ id ſibi dedecori non vertiſſe. Auguſtus Cæſar ita filiam, & neptes inſtituit ut ſe lanificio aſſuefacerent ; nec alia ipſe uſus eſt veſte, quam ab uxore, ſorore, & neptibus confecta. Mitto alia exempla ne lectori tædio ſim. Super puellarum educatione lectu dignæ ſunt epiſtolæ beati Hieronymi ad Lætam de inſtitutione filiæ, ad Gauden-

(a) *Mulierum præſertim nobilium inſtitutioni conſuluerunt jam viri eruditi ; quorum alii ad ſtudia univerſa eas informandas curarunt, ut quidam anonymus (italico ſed ficto nomine Intronato) ; alii in Theologicis diſciplinis, ut quidam Dominicanus in opere inſcripto : Teologia delle dame ; alii in Philoſophicis, ut Comes Algarottius in opere : Newtonianiſmo per le dame, Beniaminus Martinius Anglus in libello : Gramatica delle ſcienze filoſofiche, &c. in uſum nobilium juvenum, ac mulierum italice reddito ; alii denique in morali philoſophia erudiendas ſuſceperunt, ut Comes Jo. de Catanea in libro nuncupato : Il Filoſofiſmo delle belle.*

dentium de Pacatulæ infantulæ educatione cet. Verum plerique parentes qui diligenti ſtudio liberorum inſtitutionem curare deberent ut quum in divino timore, tum in ſapientia mirifice in dies proficerent; & id muneris negligunt, & vel in id conferunt diligentiam omnem, ut ditiſſimos eos poſt ſe reliquant; vel maxime ſtudent ut deliciis diffluant, delicate ac molliter vivant, inani timore perciti, ne ſi litteris ac ſtudio operam dent, ſanitatis ac vitæ jacturam faciant. Quod quidem conſilium quam improbum ſit, juventutique perniciofum, nemo eſt qui non videat. Quid enim prodeſt liberos divitiis optimoque patrimonio onuſtos poſt ſe relinquere, ſi litteris ac nulla ſint virtute prædití? Quid præſtant equis ſtragulis, phaleris ac bullis argenteis exornatis, qui licet tam pretioſis ſint circumtecti ornamentis, interim equi tamen eſſe non deſinunt? Quid quod parentes & exemplo, & conſilio, & indulgentia efficiunt ut liberi litteras averſentur, otia ament, voluptati deliciiſque ſe mancipent?„ Utinam liberorum noſtrorum mores, Quinctilianus ad rem. lib. I. c. III. non ipſi perderemus. Infantiam ſtatim deliciis ſolvimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. Quid non concupiſcet, quum adoleverit, qui in cunis purpureis vagierit? in lecticis creſcunt: ſi terram pedibus attigerint e manibus utrinque ſuſtinentium pendent. Gaudemus ſi quid licentius dixerint, riſu & oſculo excipimus verba ingenuis indigna. Nec mirum videri debet: nos docuimus, ex nobis audierunt. Omne convivium obſcenis canticis ſtrepit: pudenda ſpectantur. Fit ex his conſuetudo, deinde natura. Diſcunt hæc miſeri, antequam ſciant eſſe„. Non ita ſum equidem natura ingenio adeo fero & aſpero comparatus, ut omne ſolatium, omnem luſum pueris denegem; nam plus virium, & acriorem animum poſt luſum afferunt ad diſcendum pueri: modus tamen volo ſit remiſſionibus, ne aut negatæ odium ſtudiorum faciant, aut nimiæ otii conſuetudinem afferant. Quare ſedulo parentes monere operæ pretium duco ut rigorem in

pue-

pueris inſtituendis ac probe educandis lenitate non deſinant temperare. Contra alii diligentes ſe præbent in puerorum ſuorum inſtitutione, ſed alia ratione iis obeſſe, eorumque progreſſui morem injicere ſolent. jubent enim liberos in ea ſtudia incumbere quæ vel domui familiæque lucro ſunt, quod jam ſuperne innui, vel ſibi arriſerint inque deliciis fuerint, licet ab iis pueri animum habeant alienum.

IIII. *Magiſtri*. Quum porro parentes, qui pueros ſuos proprio marte imbuendos litteris ſuſcipiunt, iiſdem ſæpe inficiant præjudiciis, quibus ſolent diſcipulos ſuos imperiti atque imprudentes magiſtri; iccirco ne bis rem verſem eandem, ad magiſtrorum præjudicia exponenda gradum faciam. Jam ſupra magiſtros ineptos paucis licet verbis traduxi, ac male mulcavi, ut qui ſtulta docendi ratione diſcipulorum animos a litterarum ſtudiis abalienarent. Huc vero loci reliqua detrimenta, quæ juventuti ſibi creditæ 1, moribus ſcilicet, 2. auctoritate afferunt, explanare oportet. Ac primo quum diſcipuli ſi modo bene ſunt inſtituti, præceptores ament, revereantur, ac ſuſpiciant, fieri haud poteſt quin diuturna conſuetudine & aſſidua admiratione eorundem mores imitentur atque induant. Quocirca in eo ſunt acriter reprehendendi parentes, quod magiſtris quandoque improbis pueros ſuos educandos tradant, a quibus ſapientiam cum vitioſitate ediſcent. Hinc Plutarchus lib. ſuperne laudato tantam patrum in re adeo gravi incuriam carpit, ſeduloque monet ut optimis magiſtris diligentiſſime conquiſitis pueros inſtituendos committanr: „ Ubi jam eo ætatis, inquit, aſpiravere, præficiendi eis ut ſint pædagogi, ibi magna ratio habenda eſt horum formandorum, ne imprudentes pueros mancipiis vel barbaris, vel levibus committant. Nam nunc quidem, quod faciunt plerique perquam eſt ridiculum. Siquidem ſervos probos partim agricolas, partim naviculatores, alios mercatores, diſpenſatores alios faciunt, nonnullos fœnori exercendo præficiunt. quod vero repererint mancipium ebrioſum & guloſum, ad nullum accommodatum nego-

 tium

tium huic ſine reſpectu ſubjiciunt liberos. Debet autem pædagogus bonus eo eſſe ingenio, quo Achillis rector Phœnix . quod vero omnium maximum & primum eſt antedictorum, id exordiar referre. Præceptores quærendi pueris ſunt vita probata, moribus inculpatis, & rerum uſu excellentiſſimi. quando fons & radix eſt probitatis recta imbutum eſſe inſtitutione. Atque ut adjungunt plantis agricolæ pedamenta, ita juſti magiſtri affigunt pueris, quo mores horum recti pullulefcant, accuratas præceptiones & præſcriptiones. At nunc nonnullos patres deteſteris, qui prius quam probaverint, quos ſument præceptores, ex inſcitia interdum & imperitia hominibus credunt liberos ſuos reprobis & perverſis. Neque hoc eſt joculare, ſi lapſi imprudentia id committant. Enim vero illud plane monſtroſum. quidnam ? Aliquando non imprudentes, quum de hoc a melius intelligentibus admoneantur nonnullorum doctorum inertiæ & nequitiæ, his tamen filios ſuos committunt; aliqui adulatorum impares aſſentationibus, nonnulli precibus indulgentes amicorum cet. „. Quapropter nulli curæ parcendum eſt ut pueris præceptores pædagogique vitiorum expertes dentur; ſiquidem eorum ſicuti & nutricum mores plerumque referunt. Apud Platonem educatus puer, quum ad parentes relatus, vociferantem videret patrem ; „ Nunquam, inquit, hoc apud Platonem vidi „. Magiſtri porro non modo ſua vivendi ratione diſcipulis nocere plurimum valent, ſed etiam auctoritate. Nam quum eos audire debeant pueri, ac præ ceteris ſuſpicere & revereri : hinc fit ut eorum dictata tanquam Delphica oracula cæcis oculis excipiant : quæ quidem ſi forent ex animo præjudiciis exuto prolata ; bene : ſed quum haud raro ex anticipatis male ſanis opinionibus ea proferant, nequaquam mirum erit ſi a veritate abhorreant. Sit ex. grat. e grege Ariſtotelis præceptor, en recentium philoſophorum opiniones, inventa, obſervationes, experimenta, ac ſyſtemata tanquam futilia, inania, atque infirma diſcipulis ſuis deridenda exhibebit; ſtudia matheſeos, mechanicæ, criticæ, hiſtoriæ-

que naturalis tanquam inutilia deridebit. Contra ſcientiam terminorum, univerſalium, cathegoriarum, poſtprædicamentorum, topicorum, nec non innumerarum de perridiculis nugis quæſtiuncularum maximopere commendabit. Præterea amet quis Carteſium pro ejus ſyſtemate propugnando tanquam pro aris & focis concertabit. Neutoniana philoſophandi ratio alteri arrideat, Neutonis inventa colet ac venerabitur, eaque diſcipulos docebit: qui porro quum veritatis inquirendæ laborem averſentur, magiſtrorum pronuntiata nullo adhibito examine adoptabunt: atque hinc in diſceptationibus frequentiſſime audies ita magiſter edicit, ſentit, arbitratur: quod quidem jam animadvertit Tullius I. Nat. cap. v. „ Non enim, ſcribens, tam auctores in diſputando, quam rationis momenta quærenda ſunt. Quin etiam obeſt plerumque iis, qui diſcere volunt, auctoritas eorum, qui ſe docere profitentur, deſinunt enim ſuum judicium adhibere, id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Nec vero probare ſoleo id quod de Pythagoricis accepimus, quos ferunt ſi quid affirmarent in diſputando, quum ex eis quæreretur quare ita eſſet, reſpondere ſolitos „ ipſe dixit „: ipſe autem erat Pythagoras: tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam ſine ratione valeret auctoritas „. Quare magiſtri ſi veritatis ingenui eſſent amatores ac ſtudioſi deberent utramvis ſententiam proponere, momentaque in medium proferre, queis innituntur, nullo partium affectu, eiſque expendenda exhibere, ut ad examen revocent, atque in eam abeant ſententiam, quæ vero ſimilior ipſis videatur. Contra ſi in verba magiſtrorum ſupine jurabunt, nec philoſophari ediſcent, nec profectum facient.

V. *Poetæ*. Præter magiſtros poetæ, quorum lectioni vacant, quum in ſcholis immorantur pueri, eorum mentem innumeris præjudiciis imbuunt, magniſque erroribus infarciunt. Nec mirum cuiquam videri id debet. Nam primum poetæ non vera, ſed quæ vero ſimilia ſunt conſectari in deliciis habent. Hinc Ariſto-

ſtoteles in poetic. de diſcrimine hiſtorici, ac poetæ loquens: „ Haud hiſtoricum, ait, atque poetam, carmen, & ſoluta oratio deſignat: quippe ſi Herodoti hiſtoria carminibus pangatur, æque nihilominus ac prius ſine carmine, erit hiſtoria: ſed hoc differunt, quod hic quidem res geſtas, ille ut geri potuerunt, exponit „. Quocirca interrogatus Actius poeta cur non ageret cauſſas, quum in tragœdiis optime argumenta tractaret: quoniam, inquit, in tragœdiis ea dicuntur, quæ volo: in foro adverſarii dicerent, quæ minime vellem. quapropter ex populi opinionibus plurimum loquuntur, ut ejus gratiam inire, benevolentiam plauſumque demerere valeant. Deinde poetæ a communi loquendi ratione abeunt, atque ut fert tritum illud „ poetæ alia lingua loquuntur „ quamobrem rerum notiones vel nimium exaggeratas, vel falſas fictaſque exhibent. Tum fabulis ſcatent, rebus veris quandoque, aut ſaltem vero ſimilibus admiſtis. Poſtremo in delectationem in animis lectorum ciendam præcipue; incumbunt quare non reentur ad rem pertinere, verum dicere, ſed aut neceſſitate coacti, aut decore corrupti id uſurpant quod belle faciat ad verſum, ut aures oblectare queat. Quibus omnibus ex rebus mature expenſis quis vel mica rationis pollens non dignoſcit innumera ex poetarum lectione in animos adoleſcentulorum præjudicia derivare poſſe? Rerum notionibus non veris ſed fictis, non logice ſed poetice expreſſis imbuti, qua valent ratione de iis recte cogitare, ac loqui? Fabulas vivis penicillis deſcriptas ob oculos habent, quomodo in eis quid ex hiſtoria, quid ex phantaſiæ penu deſumtum ſit, diſcernere poſſunt pueri recte judicandi regulis deſtituti ac plane ignari?

VI. *Populus*. Accedit his magnus errorum auctor populus. Pueri quum a teneris unguiculis in medio populo verſantur, ecquis ſane quot ineptiis, gerriſque eorum animus inficiatur, enarrare potis erit? Quot aniles fabulæ, quot ſomnia, quot eventus, quot opiniones falſæ pro veris vulgo apud populum devenduntur? Ignis perſtrepens, oculuſque palpitans triſtia

por-

portendere creduntur. contra ſi clariſſimam lucem emittent accenſa coram alicujus Sancti imagine luminaria, proſpera indicabunt. Qui alicui invident, ſi illius bona ſcilicet gregem cet. torvis oculis inſpexerint, male habiturum. Agarenos, qui vulgo Zingani audiunt, incognita patefacere & vera prædicere. Ferrum in feneſtra remedium adverſus ſuperſtitioſos lamiarum, ſtrigumque conatus efficaciſſimum. In triviis aliiſque locis, in quibus quiſpiam fuit enectus, illius ſpiritum ſe videndum præbere. Homines neſcio quo morbi genere affectos noctu lupos agere, manibus pedibuſque quadrupedum inſtar incedere, vicatim diſcurrere, atque inconditos ejulatus, ingenteſque clamores edere. Ignes errantes per aera eſſe ſtellas cadentes, ſtellaſque cadentes notare homines diem extremum obeuntes. Nubes cœlo ſummo proximiores eſſe. In luna Marcoſum immorari, & id generis alia ſexcenta in omnium ore ſunt, quæ porro audiunt pueruli, tenentque. Præterea populus arbitratur ſenum, nobilium, & piorum virorum dicta eſſe cæcis oculis excipienda (a). Sed turpiſſime fallitur. Nam licet experientia longa ac diuturna quam plurima ſenes docuerit, quæ juvenes imberbes latent: non omnia tamen quæ ipſi apprime callent, fuerunt ad veritatis trutinam revocata, neque ex animo præjudiciis exuto, quæ pronunciant ac tuentur, procedunt. Ad hæc ſententiam profert ſuam vir dives aut nobilis refragari ei populus non audet; quippe qui haud parum veſtibus ac divitiis deferat, ſtulte opinans ve-

(a) *Quod jam animadvertit Tullius Topic. cap.* XVIIII. „ *Naturæ auctoritas, inquit, in virtute ineſt maxime, in tempore autem multa ſunt, quæ afferunt auctoritatem: ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, uſus, neceſſitas, concurſio etiam nonnunquam rerum fortuitarum. Nam & ingenioſos, & opulentos, & ætatis ſpatio probatos dignos, quibus credatur, putant: non recte fortaſſe; ſed vulgi opinio mutari vix poteſt, ad eamque omnia dirigunt, & qui judicant & qui exiſtimant. Qui enim in his rebus, quas dixi, excellunt, ipſa virtute videntur excellere* „.

veritatem non poſſe in plebejorum ore ineſſe, eadem ratione ac in nobilium divitumque. Plurimi quoque facit virorum piorum dictata ſuper quovis negotio, quoniam non valet in animum inducere ſuum, virum Dei lumine ac familiaritate honeſtatum in errorem abduci aut abducere poſſe. At inſcite. Nam plurima ſunt, quæ cognoſcere ac dijudicare iis ſolum datum eſt, qui & perſpicaci ſunt ingenio præditi, & in ſtudiis ſunt contriti. Quocirca nihili ducendum vulgi judicium edicebat Cleantes Stoicus penes Clem. Alex. lib.v. Strom.

Ne ſpectes famam, dum vis ſophos eſſe repente,
Terreat amentis, nec te ſententia Vulgi.
Judicium ſapiens & juſtum non habet ullum
Vulgus, & in paucis vix hoc reperire licebit.

Tandem ne prolixius, quam par eſt, rem diducam, ea populus ſectatur, illaudat, bona exiſtimat, quæ hominum turba proſequitur, examine haud adhibito, num ita ſe revera habeant nec ne; quod quam turpe ſit, hominique ratione pollenti dedecens nemo eſt qui non videat. „ Nihil ergo, monuit perſpecte Seneca de Vit. beat. c. I. magis præſtandum eſt, quam ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum eſt, ſed qua itur. Atqui nulla res nos majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur: optima rati ea, quæ magno aſſenſu recepta ſunt, quorumque exempla nobis multa ſunt: nec ad rationem, ſed ad ſimilitudinem vivimus. Inde iſta tanta coacervatio aliorum ſuper alios ruentium „.

VII. *Canones ad præjudicia jam enucleata pertinentes.* I. Quum ratio jam adoleverit ad examen revocato quæ nutrix auribus tuis, dum tenellus eras, ſuggeſſit. II. Ad litteras tempeſtive animum appellito, atque ad ea ſtudia incumbito, in quæ ſuapte natura mens tua proclivis eſt; nihilque minerva invita aggreditor. III. Magiſtros ſummopere colito, eorumque tamen dicta ac ſenſa ad rationis lancem expendito. IIII. Ut poetas inoffenſo pede percurrere valeas, accurate a falſis vera ſecernito, atque a fabulis hiſto-

hiſtorias; nec ad emphaticam eorum loquendi rationem animum advertere omittito. V. Quæ populus imperitus innumera animo tuo præjudicia inſevit, quum potis eris, excutito; genuinis veriſque rerum notionibus mentem tuam imbibito.

C A P U T VIII.

De quibuſdam aliis externis offendiculis, queis remorantur adoleſcentes ne litteris excolantur, ac præjudicia ponant, id eſt de paupertate; divitiarum, negotiorumque copia; loco non opportuno; & munerum honorumque defectu.

I. *In erroribus inſeneſcere cogit* 1. *pauperies.*

E Præjudiciis, quæ fuſo calamo hactenus in propatulo conſtituimus, emergere adoleſcens haud raro nequit; quum litteris navare operam divitiarum inopia vetet. Nactus eſt ex. gr. quidam puer ingenium perſpicax, memoriam ingentem, eruditam indolem atque ad ſtudia litterarum valde proclivem: deſunt tamen ei opes, quæ ſibi victum, veſtitum, & mercedem doctori ſolvendam ſuppeditare poſſint: animum deſpondebit, atque ad tellurem aratro exercendam, ad agriculturam, vel ad ejuſmodi alias abjectiores artes animum appellet, quibus ſibi ad vitam non adeo miſere tranſigendam neceſſaria parare ſtudebit. Verum quid huic facies? Si quæ Seneca congerit epiſt. XVII. ob ejus oculos ponam, parvi ſane ducet: ponam tamen, fortaſſe ejus animum flectent, atque ad litteras addiſcendas inclinabuut.„ Si vis vacare animo, tibi adoleſcentule pauper dictum puta, aut pauper ſis oportet, aut pauperi ſimilis. Non poteſt ſtudium ſalutare fieri ſine frugalitatis cura: frugalitas autem paupertas voluntaria eſt. Tolle itaque iſtas excuſationes. Quantum ſat eſt nondum habeo: ſi ad illam ſummam pervenero; tunc me totum philoſophiæ dabo. Atque nihil prius quam hoc parandum eſt, quod tu differs, & poſt cetera

tera paras, ab hoc incipiendum eſt. Parare, inquis, unde vivam, volo. Simul & parare diſce. Si quid te vetat bene vivere, bene mori non vetat. Non eſt quod paupertas nos a philoſophia revocet, ne egeſtas quidem, toleranda eſt enim ad hoc properantibus vel fames, quam toleravere quidam in obſidionibus.... Perpeſſi ſunt exercitus inopiam omnium rerum, vixerunt herbarum radicibus, & dictu fœdam tulerunt famem, hæc omnia paſſi ſunt pro regno. (quo magis mireris) alieno: dubitabit aliquis ferre paupertatem, ut animum furoribus liberet? Non eſt ergo prius acquirendum. licet ad philoſophiam etiam ſine viatico pervenire. Ita eſt, quum omnia habueris, tunc & ſapientiam habere voles. Hæc erit ultimum vitæ inſtrumentum, & (ut ita dicam) additamentum. Tu vero ſive aliquid habes jam philoſophare: unde enim ſcis, an jam nimis habeas? ſive nihil, hoc prius quære, quam quidquam. At neceſſaria deerunt. Primum deeſſe non poterunt, quia natura minimum petit: naturæ enim ſe ſapiens accommodat. Sed ſi neceſſitates ultimæ inciderint, jamdudum exſiliet e vita, & moleſtus ſibi eſſe deſinet. Si vero exiguum fuerit & anguſtum, quo poſſit vita produci: id boni conſulet, nec ultra neceſſaria ſollicitus aut anxius, ventri & ſcapulis ſuum reddet, & occupationes divitum, concurſationeſque ad divitias euntium ſecurus lætuſque ridebit. cet. „ Quid verbis opus eſt? Nonne Gorgias Leontinus Rhetorices profeſſione, Iſocrates eloquentiæ ope, Seneca Neronis peſſimi principis magiſterio & magnam ſibi gloriam, & divitias maximas pepererunt? Nonne plures ad hæc in principe totius regni noſtri urbe e proletariis parentibus orti unis dumtaxat litteris ingentes opes inſigneſque honores ſibi compararunt?

II. 2. *Divitiarum copia, ac negotiorum turba*. Quid quod divitiarum copia efficit ſæpe, ut litterarum ſtudiis minime vacemus, atque in errorum fæce marceſcamus? Habet quiſpiam unde vitam tranſigere commode ac molliter queat, litterarios labores tædii plenos ſummopere averſatur, libros ac doctores parvi

pen-

pendit, eruditionem contemnit; atque brutorum inſtar ventri ac deliciis ſtudet. Quocirca nobilium ac divitum nati ut plurimum nullo ſcientiarum genere exculti ſunt, neque eleganti ac polito ſermone animi ſui ſenſa pateſacere queunt (*a*). quod maxime nobilem divitemque hominem dedecet. Præterea alii negotiorum turbam objiciunt, quæ ſibi impedimento eſſe contendunt, quominus ſcientiis addiſcendis operam ſedulo navent. „ Mentiuntur, clamat Seneca epiſt. LXII. adverſus horum virorum levicula objectamenta, qui ſibi obſtare ad ſtudia liberalia turbam negotiorum videri volunt: ſimulant occupationes & augent, & ipſi ſe occupant. Vaco, mi Lucili, vaco: & ubicunque ſum, meus ſum. Rebus non me trado, ſed commodo: nec conſector perdendi temporis cauſſas: & quocunque conſtiti loco, ibi cogitationes meas tracto, & aliquid ſalutare verſo. Quum me amicis dedi, non tamen mihi abduco: nec cum illis moror, quibus me tempus aliquod congregavit, aut cauſſa ex officio nata civili, ſed cum optimo quoque ſum: ad illos, in quocunque loco, in quocunque ſæculo fuerint, animum meum mitto „.

III. 3. *Locus non opportunus*. Accedit his locus minime opportunus vacandi litteris. Etenim qui in montanis naſcuntur, ſive in iis locis, quæ ab urbe principe, ubi academiæ, collegia & ſcientiarum ſcholæ florent, admodum diſtant; eo deſtituuntur commodo, quo ſine in ſtudia incumbere non valent. Deſunt enim optimæ notæ doctores, quorum opera & induſtria poſſint præjudicia exuere, ſelecta eruditione imbui, atque in viros doctos evadere. Cujus quidem defe-

(a) *Monuit me parens cujuſdam pueri a me ad humanitatem informandi: Noli quæſo eum nimis urgere in ſerio litterarum ſtudio, ne corporis ſanitati labor is moleſtus officiat; non eſt enim ita parum dives, ut ſibi litteris quotidianum victum comparare debeat. ſiquidem pinguis copioſique patrimonii unicus hæres eſt, ut jam noſti. Quapropter iis, quæ libenti animo præſtiterit, contentus eſto. Næ qui filium unicum habuerit, nullum omnino habere ſcite dictum eſt!*

ſavit, ac doctos homines ſuis muneribus honeſtavit; quantum emolumenti in rempublicam litterariam invectum ſit, nemo ignorat. Ejus veſtigia preſſiſſe Carolum Hiſpaniarum regem, quum Neapoli dominaretur, adverſus doctos viros liberaliſſimum munificentiſſimumque omnes norunt; a quo non abludit ejus natus Ferdinandus IIII. Rex noſter, (quem Deus totius regni bono diu ſalvum incolumemque ſervet). Quot homines doctrina præclaros Gallia edidit, regni ejus frena moderante Ludovico XIIII. erga litteratos viros liberaliſſimò? Certe ſtudia honoribus ac præmiis excitantur ac provehuntur, quibus ſubtractis jacent, nec facile erigi queunt. „ Honos alit artes, ad rem Tullius Tuſcul. Quæſt. lib. I. omneſque incenduntur ad ſtudia gloria: jacentque ea ſemper, quæ apud quoſque improbantur. ſummam eruditionem Græci ſitam cenſebant in nervorum vocumque cantibus. igitur & Epaminondas, princeps meo judicio Græciæ fidibus præclare cecinisse dicitur. Themiſtocleſque aliquot ante annis, quum in epulis recuſaſſet lyram, habitus eſt indoctior. ergo in Græcia muſici floruerunt, diſcebantque id omnes, nec qui neſciebat, ſatis excultus doctrina putabatur. In ſummo apud illos honore geometria fuit: itaque nihil mathematicis illuſtrius ad nos metiendi, ratiocinandique utilitate hujus artis terminavimus modum. At contra oratorem celeriter complexi ſumus, nec eum primo eruditum, aptum, tamen ad dicendum, poſt autem eruditum. nam Galbam Africanum, Lælium doctos fuiſſe, memoriæ traditum eſt: ſtudioſum autem eum, qui hos ætate anteibat, Catonem, poſt vero Lepidum, Carbonem, Gracchos, deinde ita magnos noſtram ad ætatem, ut non multum aut nihil omnino Græcis cederetur „. Calcaria ſunt eruditis viris laudes, honores, & præmia, queis extimulantur ad ingentes labores pro ſcientiarum artiumque incremento alacri animo ſubeundos: quæ vero ſi deſint, animum deſpondebunt, ac nihil magni aggredientur. Plinius junior in epiſt. xxi. lib. IIII. ad Priſcum ſuum de re eadem conqueritur „ Fuit moris antiqui,

inquiens, eos qui vel ſingulorum laudes, vel urbium ſcripſerant, aut honoribus, aut pecunia ornare: noſtris vero temporibus ut alia ſpecioſa & egregia, ita hoc in primis exolevit. Nam poſtquam deſiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus „ Inidem pæne recidit quod evincere ſtuduit Benedictus Averanus Florentinus litterarum humaniorum clariſs. profeſſor in ſuis pereruditis diſſertationibus, ſcilicet copiam virorum doctorum in quibuſdam temporibus florentium, & eorum penuria in aliis, Principum amori, vel odio in litteras, luxui nimiiſque deliciis, & ſervituti adſcribendam eſſe. Hactenus de præjudiciorum fontibus; quos, ſi fuſiori, quam par eſſet, calamo me aperuiſſe cuiquam videatur, is ne mihi ſuccenſeat enixe precor. illud mihi præ oculis fuit, quod Seneca epiſt. xxviii. ſcripſit: „ Initium eſt ſalutis, peccati notitia. Egregie mihi hoc dixiſſe videtur Epicurus. Nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. deprehendas te oportet, antequam emendes „. Iccirco in eo totus fui, ut tironi philoſopho peccata, eorumque ſcaturigines detegerem, ac remedia opportuna indigitarem. Sicque e medio ſublatis impedimentis, atque animus hiſce ineptiis & erroribus exſpoliatus poſſet eruditione ſelecta exornari, ac rectis rerum notionibus imbui.

ELE-

ELEMENTORUM
ARTIS RECTE RATIOCINANDI

LIBER II.

De perceptione, ideis, & vocabulis.

Præjudiciorum fontibus ſatis ſuperque libro ſuperiori patefactis, agedum ſapientiæ amator, perceptiones, ideas, & ſigna, queis exprimuntur, videamus. Hæ namque ſunt primæ mentis noſtræ operationes, quas dirigere neceſſe eſt, ut porro recte ratiocinari valeamus. Principio impedimenta removere operæ pretium duximus, ut mens poſſet inoffenſo pede in rerum perceptione, & inveſtigatione procedere. Nam quemadmodum oculi eum in rebus univerſis colorem intuentur, quo ſunt imbuti; ita mens noſtra prout eſt affecta, percipit, ac judicat; ac proinde erroribus & præjudiciis quum eſſet oppleta, in rebus concipiendis, & dijudicandis a veritate aberraſſet. Remotis ergo animi nebulis tuto in rerum cognitione incedere nobis facultas eſt.

CAPUT I.

De perceptionis, & ideæ definitione, natura, diſcrimine, atque ſuper ea re philoſophorum ſenſis. Hobbeſianæ, & Arnaldinæ opinionis confutatione. de idearum partitione tum ſuæ originis, & naturæ ratione, quum ex relatione ad mentem, & objecta, expenſarum.

I. *Perceptionis, & ideæ finitio.* DE perceptione, & ideis in hoc ce ſecundo libro acturo mihi, ea eſt primum quæſtio verſanda, quæ philoſophorum ingenia admodum vexavit, nimirum ſintne ideæ ipſæmet perceptiones, an quicquam a perceptionibus diſtinctum. quod antequam præſtem, quænam iſtiuſmodi vocibus notio vulgo affigatur, in anteceſſum dicam opus eſt. Perceptionis, apprehenſionis, intellectionis, intelligentiæ, primæ cogitationis ac cognitionis, notionis itaque nomine (hæc enim omnia in idem recidunt) venit ſimplex mentis intuitus & contemplatio, quæ de re, quam intuetur, nihil ait, nihil negat: ut quum equum, arborem ſive aliud quidpiam vel ſenſu, vel cogitatione complector. Idea vero a græco verbo εἴδω, id eſt video, ſpecio, originem trahit, latine ſpecies, forma, ſimulacrum. „ Ideas, ait b. Auguſtinus lib. LXXXIII. quæſt. q. XLVI. latine poſſumus, vel formas, vel ſpecies dicere, ut verbum a verbo transferre videamur„. (*a*) A phi-

(a) *Plato diſcrimen inter ideam, & idos ponebat: rem omnem enucleat Seneca ep. LVIII. „ Quid ſit idea, id eſt quid Platoni eſſe videatur, audi. Idea eſt eorum, quæ natura fiunt, exemplar æternum. Adjiciam definitioni interpretationem, quo tibi res apertior fiat. Volo imaginem tuam facere, exemplar picturæ te habeo, ex quo capit aliquem habitum mens, quem operi ſuo imponat. Ita illa quæ me docet & inſtruit facies, a qua petitur imitatio, idea eſt|. Talia ergo exemplaria infinita habet natura rerum, hominum, piſcium, arborum:* ad

A philoſophis porro definitur, id quod menti objicitur, dum percipit, ſcilicet forma quædam rei perceptæ.

II. *Philoſophorum placita ſuper idearum, ac perceptionum natura.* Præmiſſis itaque earum vocum finitionibus, ne moram ullam tironi ulterius progredienti injicere queant, ad philoſophorum ea de re opiniones devenio; quas brevi oratione referam, & expendam: quum non ſit hujus loci diutius in rebus hiſce immorari, quæ proprie ad metaphyſicos ſpectant. I. Hobbeſiani fortaſſe etiam Lockius arbitrantur, ideas, & perceptiones unum atque idem eſſe, perceptiones vero organorum ſenſoriorum, & cerebri motiones eſſe. II. Arnaldus, ac recentiſſime Jo. Antonius Cavenſis Franciſcanus Metaphy. tr. x. cap. v. & P. Januarius Sancheſius de Luna Aſſert. Logic. & Metaphyſ. n. CIIII. perceptiones, atque ideas ſolius mentis operationes eſſe, ac proinde unum & idem, licet non omnes eadem ratione permoti opinantur. III. Wolfius poſt Scholaſticos, aliique rentur ideas materiales, quas phantaſmata appellant ab intellectualibus ideis diſtinguendas eſſe; atque illas quidem eſſe concuſſiones, & impreſſiones quaſdam in organis ſenſoriis, & cerebro factas; has vero perceptiones ipſas, queis phantaſticæ ideæ menti repræſentantur. Volunt præterea cuique materiali ſive phantaſticæ ideæ intellectualem, & cuique intellectuali materialem reſpondere. Materialis porro idea a Scholaſticis „ impreſſa ſpecies„, intellectualis vero„ ſpecies expreſſa non inficete appellatur. In eam ſententiam proclivis eſt quoque Genuenſis. IIII. Malebranchius intellectua-

L 3 les

ad quæ quodcunque fieri ab illa debet, exprimitur. Quartum locum habet εἶδος. *Quid ſit hoc* εἶδος, *attendas oportet... Paullo ante pictoris imagine utebar, ille quum reddere Virgilium coloribus vellet, ipſum intuebatur: Idea erat Virgilii facies, futuri operis exemplar: ex hac quod artifex trahit, & operi ſuo impoſuit* εἶδος *eſt. Quid interſit, quæris? alterum exemplar eſt, alterum forma ab exemplari ſumta, & operi impoſita; alteram artifex imitatur, alteram facit.„.*

les ideas veluti formas a perceptionibus diſtinctas concipit; atque illas rerum imagines eſſe, ſed intelligibiles; haſce vero mentis actiones, queis illæ comprehenduntur & conferuntur, contendit. Verum ad examen expoſitas opiniones revocare non tædeat.

III. *Hobbeſianum deliramentum confutatur*. I. Si perceptiones, & ideæ ſenſuum, & cerebri motus eſſent, anima aut nulla foret, aut materialis & corporea: atqui utrumque a vero eſt alienum; quum jam ſuperne licet ſtrictim demonſtratum ſit, corpus & animam duas res eſſe valde diverſas, animamque ſpiritalem, deliret neceſſe eſt Hobbeſius cum ſuis. II. Præterea quiſque homo ſe non ſolum objecta varia percipere, verum etiam ſuarum perceptionum conſcium eſſe, atque eas ſecum libere reputare, ſentit: ſi ergo quævis perceptio motio eſt in cerebro producta: perceptionis perceptio erit motionis motio, ſive motio in ſe ipſam, aut motionis reflexio: quod hominum nemo, cui philoſophi gloria & honor cordi erit, unquam inquiet. III. Ad hæc ab intima conſcientia docemur nos nedum ideas A, B, percipere; verum etiam earundem relationem C: ſi vero quælibet idea, aut perceptio motio erit, erunt ſaltem tres in judicio motiones A, B, C: at quum A non contineat B, nec B A: nulla quippe res ſingularis aliam continet, ſed ſe ſolam, ut cuique naturam rerum ſingularium attente perpendenti patebit: ſic C neque A, neque B complectitur: conjunctio itaque A & B, quæ eſt perceptio C id eſt relationis, in nulla harum trium contineri poteſt; hinc nos nec judicare, nec ratiocinari conſequitur; quo nihil neque falſius, neque intimæ conſcientiæ repugnantius excogitari poteſt.

IIII. *Arnaldina ſententia refellitur*. I. Quicquid cum interno animi ſenſu pugnat, falſum eſt cenſendum: iſthæc autem ſententia cum interno animi ſenſu pugnat; ab intima quippe conſcientia erudimur nos non percipere res extra nos poſitas, niſi impreſſionum, & concuſſionum in cerebro factarum ope; hinc qui aliquod ſenſorium organum, per quod phantaſ-

taſma tranſire debet, atque cerebrum petere inſirmum habent, vel impeditum, ejuſmodi ideis ſenſilibus deſtituuntur. Da mihi puerum qui a teneris unguiculis auditus organum male affectum habeat: nullius certe ſoni idea polleret. Falſa igitur cenſenda eſt. II. Nullæ ne intellectuales quidem in nobis naſcuntur ideæ, quin motiones in cerebro excitatæ iis reſpondeant: nec rerum ideæ in nobis excitantur ſine vocabulorum, ſonorumve quorundam ideis, queis corpus afficiatur, commoveaturque: ideæ igitur, & perceptiones res duæ admodum diverſæ ſint oportet. III. Si una eadem res forent ideæ, & perceptiones, duorum alterum concedatur neceſſe eſt, aut mentem noſtram activam cauſſam ſuarum perceptionum, ſibi ideas, id eſt rerum ignotarum formas cudere, quod in animum induci nequit, modo eam perpetuo divinare non dicatur: aut perceptiones, & ideas ſimul ab externis cauſſis Deo, vel corporibus excipere, ipſamque mentem ſe mere paſſive gerere, omnique percipiendi vi ac facultate deſtitutam eſſe, quod animi naturam deſtruit, ut optime ratiocinatur Genuenſis Art. Log. lib. II. cap. I. §. 5. IIII. Si nullo pacto idea a perceptione diſtingueretur, & idea quævis in animam ipſam ſe reciperet; nulla aſſignari poſſet ratio, cur qui febri (neſcio quo eam nomine donent medici) laborarunt, eorum penitus obliviſcantur, quæ antea optime callebant: quod in ſententia noſtra bene explicari poteſt: quum dicimus in phantaſia ideas & phantaſmata imprimi, quæ per febrim, vel delentur, vel permiſcentur, vel diſturbantur. V. Si ideæ in ipſamet anima imprimerentur, ſemper earum deberet recordari; nam quum anima ſubſtantia ſimplex ſit, nullæ in ea ſunt latebræ, in quibus ſe abſcondere ita valeant, ut ſtatim animæ eas reputare, expendere, conjungere volenti non occurrant: adeoque ſemper menti, quotieſcunque illarum perſpiciendarum ei cupiditas eſt, præſto ſint oportet: quod quum non ita ſe res habeat, dicendum propterea non eſſe ideas res ſpiritales in anima poſitas, ſed materialia phantaſmata in cerebro inſculpta, ac

 pro-

proinde perceptiones ab ideis eſſe ſecernendas. Ex huc uſque diſputatis conſequitur nos in eorum ſententiam manibus pedibuſque deſcendere, qui a perceptionibus ideas diſtinguendas eſſe arbitrantur; atque has phantaſmata eſſe in cerebro ſita; atque illas mentis eſſe operationes; quam quidem opinionem præ ceteris vero ſimiliorem judicamus una;cum cl. viro Lud. Ant. Muratorio Fil. Mor. Forza della fantaſia, aliiſque pluribus.

V. *Oppoſitio I.* Non eſt, ita argumentatur Arnaldus in lib. de veris, & falſis ideis adverſus Malebranchium; ſed recta impetit opinionem quoque noſtram, extra omnem dubitationis aleam, nos haud poſſe objecta externa in ſeipſis percipere: id autem eſt quod pro certo ſibi aſſumunt ii, qui ideas a perceptionibus diſtinctas volunt: falluntur ergo. R. Nihil neque certius, neque verius reperiri; quum perceptiones immanentes, atque eſſentiales menti ſint, quod ne ipſe quidem Arnaldus inficiatur. Dicendum igitur mentem in ſeipſa percipere, quæ percipit; neque valere objecta externa in ſe ipſis cognoſcere, ſi illa in mente formaliter non contineantur. Secus deberet mens rebus cunctis intime præſens eſſe. Utrumque enucleate eſt a veritate alienum. nemoque niſi ſtultus, & bardus effutiet aut res omnes in mente contineri, aut mentem rebus omnibus adeſſe. Quo ergo pacto eas percipere mens valebit, niſi vel ſibi imagines creet, vel ab altero excipiat? primum dici nequit: ab altero adſtruendo maxime abhorret Arnaldus.

VI. *Oppoſitio II.* Exploratum eſt, mentem noſtram plura objecta externa longe diſſita, ut lunam, ſolem cet. percipere: prædita eſt ergo mens facultate intelligendi externa objecta diſtantiſſima ſine phantaſmatibus atque imaginibus. argumentum quippe „ ab actu ad potentiam concludit neceſſario „. R. complexionem falſam eſſe; etenim vel iſtæ Arnaldinæ perceptiones ſolis, lunæ cer. realitatem complectuntur eorum corporum objectivam, vel non: primum ultro fatetur Arnaldus: ergo ideæ ſunt. Sed inquiet: perceptiones illæ ex ipſa mente proficiſcuntur: ergo

ipſa

ipſa ſibi ideas cudit. Bene. Redde nunc Arnalde mi realitatis objectivæ perceptionum rationem ſufficientem: eritne in cerebri agitationibus, quæ corporum externorum actione fiunt? at mens iis affici nequit. erit Deus? non arridet Arnaldo. erit ipſa facultas intelligendi? at quum iſthæc nulli ſit objecto determinata, quiverit etiam ſibi earum rerum ideas producere, quæ ſunt in globis circum ſolem, aut fixas ſtellas a nobis diſtantiſſimis; ſi quidam revera exſtent, quod veteribus juxta ac recentibus aſtronomis placuit.

VII. *Oppoſitio III.* „ Iis, verba ſunt Arnaldi in lib. laudato, qui ratione duce philoſophantur, entitates quædam philoſophicæ, obſcuræ eæ & commenticiæ eam in rem invectæ ut ſyſtemati ſuſtinendo inſererentur, ſuſpectæ eſſe debent, maxime quum nec neceſſariæ ſint, & nullius uſus: tales autem ſunt ideæ a perceptionibus diſtinctæ. Nam pergit, quum Deus mentem corpori junxerit tot circundato diverſis rebus vitæ ducendæ neceſſariis, non eſt ſimile vero, noluiſſe illi dare facultatem eas cognoſcendi, & quidem via ſimpliciori, & breviori; ea autem via eſt ut cognoſcat ſine ope idearum hujuſmodi a perceptionibus diſtinctarum „. Reſp. ad propoſitionem. Nos ab intima conſcientia erudimur dari in nobis iſtiuſmodi rerum imagines, maxime quum res aliquando perceptas reputamus, & inter ſe conferimus, nobis videtur res eaſdem præ oculis habere, quum revera non ſint. quod quidem explicari nullo poteſt modo, niſi dicendo remanſiſſe in cerebro noſtro depictas earum imagines, quum illas percepimus, ac proinde nec commenticias reputare poſſumus, nec ſuſpectas habere ideas, quas ut rerum imagines admittimus. Ad aſſumtionis rationem dico, viam ab Arnaldo inventam faciliorem quidem eſſe, ſed non veriorem; nam quo pacto mens valet res extra ſe poſitas intelligere idearum ope diſtituta? debet eas ſibimet effingere, vel potius creare? Sed hujuſmodi facultatem in anima noſtra ineſſe evincere prius debet Arnaldus, quam ei credatur. Atque hæc alia-

que

que ejuſdem furfuris objicit laudatus auctor in opuſculo ſupra indicato.

VIII. *Idearum diviſio, ac primum ratione originis.* Expoſita jam perceptionum, atque idearum natura, ac differentia, ad idearum partitionem enucleandam gradum facio; ad quatuor genera eas referunt propter quatuor, ex quibus conſiderari queunt aſpectus, ſcilicet 1. ex earum ortu; 2. ex earum indole ac natura; 3. ex relatione ad mentem; 4. ex relatione ad objecta. Ratione itaque originis vel adventitiæ ſunt, vel factitiæ, vel innatæ. Adventitiæ illæ ſunt, quæ ex rebus externis per ſenſus adveniunt; ut idea equi, arboris, montis cet. Factitiæ dicuntur, quas mens ex ideis jam comparatis ſibi conficit, vel conjiciendo ac ratiocinando, vel componendo, vel ſeparando, vel addendo, vel detrahendo; ut idea montis eburnei. Innatæ denique vulgo eæ dicuntur, quæ in ſinu materno nobis inſeruntur ſine ulla induſtria noſtra. Quamquam, ut verum ingenue fatear, ſuper ejus vocis notione philoſophi mira ſunt in diſſenſione conſtituti. Nam ſi ad veteres oculos convertimus, Epicurei atque adeo etiam Stoici eas veluti innatas habebant notiones, quæ ex viſorum (*a*) comprehenſione oriuntur, animoque imprimuntur; quatenus porro ſcientiam præeunt, eamque gignunt, prænotiones, aut anticipationes nuncupabantur. Verum iſtiuſmodi notiones ne hilum quidem ab adventitiis diſcrepant. Satius vero Seneca epiſt. cxx. loquitur. „ Natura, inquiens, ſemina nobis ſcientiæ dedit, ſcientiam non dedit „. ſcilicet nobis innatam eſſe facultatem cognoſcendi, ac diſcernendi, per quam ideas quaslibet ad vitæ uſum neceſſarias comparamus. Ab Senecæ opinione parum abludit ea, quam tuebantur antiqui Platonis aſſeclæ Jamblicus, Plotinus, aliique qui idearum innatarum nomine deſignabant internum quoddam lumen humanis mentibus a Deo inſitum. Ad recentiores porro quod attinet, Carteſius ſic mentem ſuam promit Reſponſ. ad art. 12. Program. Belgici anni

(a) *Viſorum nomine vocabant Stoici rerum externarum impulſiones in ſenſus noſtros.*

anni 1647. „ Non enim unquam ſcripſi, vel judicavi, mentem indigere ideis innatis, quæ ſint aliquid diverſum ab ejus facultate cogitandi: ſed quum adverterem, quaſdam in me eſſe cogitationes, quæ non ab objectis externis, nec a voluntatis meæ determinatione procedebant, ſed a ſola facultate cogitandi, quæ in me eſt, ut ideas, quæ ſunt iſtarum cogitationum formæ ab aliis adventitiis, aut factitiis diſtinguerem, illas innatas vocavi „. Silvanus Regis Uſag de la Raiſ. e de la Foi lib. 1. part. 1. cap. 7. vult, Dei, corporis, & animi notiones in mente naſci ſimul ac creata eſt, & quidem ex ipſius mentis natura; nec vero a Deo menti vel concreari, vel inſculpi. Malebranchius & Lockius dum hujuſcemodi ideas explodunt, earum rerum notiones intelligunt, quas Deus menti primum exſiſtere incipienti velut incidit. Tandem Buddeus Inſtit. Theol. Moral. p. 544., & Muſæus Introduct. in Theol. cap. 2. §. 19. naturales animi noſtri propenſiones ideas innatas vocitant. Antequam hinc abeam, animadvertas volo ideas adventitias a factitiis longe differre; quippe quæ naturales ac reales ſint, quum objecta extra nos poſita habeant; factitiæ vero non item; quum arbitrariæ ut plurimùm ſint; quas vel proportione efficimus, quum imagines rerum jam perceptarum amplificamus, aut minuimus; ut ſi hominis notionem in gigantem, aut pygmæum deformemus; vel ſimilitudine, quum imaginum inſtar quas probe novimus, alias effingimus; vel compoſitione, quum in unam componimus duarum vel plurium rerum diſtinctas notiones; exemplo eſſe poteſt monſtrum Horatianum init. epiſt. ad Piſones:

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere ſi velit, & varias inducere formas,
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.

Poſtremo ex iis, quæ de ideis adventitiis, factitiis, atque innatis ediſſeruimus conſequitur I. Nullas in nobis eſſe adventitias notiones ſine ſenſuum uſu; adeoque plures in iis, qui plus ſenſibus ſunt uſi; veras eſſe

eſſe adventitias ſpecies, ſi rebus quas referunt, adamuſſim reſpondent; paucas eſſe rerum externarum notiones (ſi earum eſſentias, & relationes non exſiſtentiam reſpicimus) quibus tuto fidere valeamus, quum ſenſus, per quos in cerebrum incurrunt, vel corrumpere, vel transformare eas plurimum queant. II. Nullas in nobis factitias ideas ineſſe, quæ aliqua ratione ab adventitiis non pendeant; quare niſi abſtracte eas concipimus, nequeunt eſſe veriores, quam adventitiæ, quibus innituntur. III. Judiciorum veritatem ſuper ideis adventitiis, & factitiis effectorum eſſe æqualem veritati objectivæ earundem idearum; judicia naturalia quæ in nobis omnibus inſunt, omnium maxime cum natura conſentire; nam quum judicia ex idearum collatione proficiſcantur, ubi naturalia ſunt, oportet ideas ex quibus oriuntur eaſdem eſſe in omnibus: nec vero eædem eſſe in omnibus queunt, niſi naturæ ipſius, a qua dimanant, vi. Quapropter & ideæ, & judicia hujuſmodi maxime ſint vera neceſſe eſt.

VIIII. *Notionum partitio ratione ſuæ indolis ac naturæ.* Hoc modo conſideratæ ideæ aut phantaſticæ, aut intelligibiles, aut ſimplices, aut compoſitæ ſunt. Phantaſticæ porro vel intelligibilibus opponuntur, & ſunt ideæ omnes rerum corporearum, aut earum quæ corporearum inſtar percipiuntur, ut Angeli, quos hominum inſtar concipimus: vel mere phantaſticæ ſunt, ut ideæ arbitrariæ, quæ a rebus minime hauriuntur, ſed a nobis pro libito confinguntur: commenticiæ nuncupari queunt: in ſcholis entia rationis non inficete dicuntur. Cujus generis ſunt harpiæ, ſphinges, chimæræ, ceteraque poetarum monſtra. Intelligibiles vero ſunt incorporeæ ſpecies, quæ neque corpora, neque res corporum inſtar repræſentant, uti ſunt ideæ omnes abſtractæ entis, virtutis, vitii, potentiæ cet. Jam vero ſimplices vocantur eæ, in quibus plures ideas diſtinguere non poſſumus; hujuſmodi ſunt ideæ colorum, odorum, ſonorum, gaudii, doloris, extenſionis, motus cet. Compoſitæ e contrario eæ appellantur, quæ ex pluribus ſimplicibus conflantur,

tur, ut ideæ urbis, domus, arboris, animalis, piſturæ, ſymphoniæ, pugnæ, orationis, cet. s'Graveſandius in Introduct. ad philoſoph. lib. 2. cap. 2. ſedulo monet ne cum compoſitis conjunctas ideas confundamus „ ideas vocamus conjunctas, ait, quæ in ſe conſideratæ, ſeparatæ ſunt; ſed quæ menti ſimul ſemper præſentes fiunt, ita ut ubi excitatur una, alia etiam adſit. Hæc conjunctio idearum in diverſis hominibus diverſa eſt; & pendet a circumſtantiis, in acquiſitione idearum. Si ſæpius, dum corpus vidi, eodem tempore odorem perceperim, ſive ab ipſo corpore, ſive aliunde, hic proceſſerit, ſemper, quando idem odor nares afficiet, ideam habebo corporis; quamvis hoc non videam. Hæ ideæ conjunctæ ſunt; ſed non ad eandem ideam pertinent. Et ideo hæc conjunctio ad compoſitionem idearum referri non debet. Innumeras quiſque facile, ſi attendat, detegere poterit tales ideas conjunctas „. Parum nihilve a conjunctis differunt notiones aſſociatæ, quæ pluribus ſimplicibus & compoſitis ideis una cum pluribus vocabulis copulatis conſtant, atque a mente veluti conjunctæ & catenatæ percipiuntur. Cujuſmodi ſunt notiones alicujus longæ fuſæque demonſtrationis. Quadrifariam vero, arbitratur Genuenſis Art. Log. lib. II. cap. II. §. 7. iſtas ideas confici poſſe 1. ſenſatione; 2. ratiocinatione, 3. libera phantaſia, 4. inſtitutione. Ac primum ideas quaſdam ſimplices, aut compoſitas quandoque per ſenſus veluti conjunctas & catenatas concipimus, ut ſpecies iridis, ſpectaculi, pugnæ cet. Deinde ratiocinatione plures ideas ſimplices, compoſitaſve connectimus, ita Dei notionem ex Univerſi hujus contemplatione comparamus; huc etiam ſpectant ſyſtemata ſcientiarum. Tum libera phantaſia ideas varias aſſuimus, ut poetæ, pictoreſque maxime efficiunt. Denique inſtitutione majorum, vel magiſtrorum, vel librorum plures notiones una adnectimus; cujuſmodi ſunt opiniones ac præjudicia quæ ex populi, parentum, magiſtrorumque conſuetudine haurimus. Adhæc poſſunt aſſociatæ ſpecies in naturales & arbitrarias parti-

tiri; atque illæ ſunt, quæ ſenſu neceſſariaque ratiocinatione fiunt; quemadmodum eſt notio Dei, quæ non ex arbitrio mentis, ſed ex cauſſis ſuis neceſſario proficiſcitur, ita ſcilicet ut poſt attentam ratiocinationem, rem non poſſe aliter ſe habere ſentiamus: hæ vero a mentis libertate dependent, ut hypotheſes phyſicæ, abſtractiones metaphyſicæ cet. Priuſquam hinc diſcedam, animadvertere oportet I. Perpaucas dari notiones vere ſimplices, licet ſimplices in ſpeciem videantur; plures namque vel partibus, vel ſaltem variis modis conſtant, quibus ab aliis rebus diſtinguantur, & unde differentia elicitur. II. Poſſe ideas dumtaxat ſimplices apud omnes homines ſimplices eſſe non item compoſitas & aſſociatas maxime non naturales; quippe quæ ex phantaſia, & libero cujuſvis arbitrio pendeant. III. Idearum vere ſimplicium (in quibus ne mente quidem plures partes dividere poſſumus) nec notas, queis agnoſci, & ab aliis rebus diſtingui valeant, enumerari poſſe; adeoque claras, non item diſtinctas eſſe.

X. *Idearum diſtributio ex relatione ad mentem*. Jam ſi notiones ad mentem referuntur, primo vel claræ, vel obſcuræ ſunt: notiones claræ eæ ſunt, quæ id quod res eſt, menti ita repræſentant; ut ſi iterum ei occurrant ſtatim agnoſcat, & ab aliis faciliime diſcernat. obſcuræ e contrario ſunt, quæ res ita menti referunt, ut iterum menti occurrentes ſtatim agnoſcere atque ab aliis diſtinguere minime poſſit. Ita unuſquiſque etiam ex plebe, Lunæ claram ideam habet, non item Jovis, Veneris, Saturni; hos enim planetas plebejus facile cum ſtellis fixis confundet. quare hanc notionem obſcuram eſſe liquido apparet. Deinde ideæ vel diſtinctæ, vel confuſæ vocitantur. diſtinctæ dicuntur eæ, quæ & rem, & rei notas, quibus ab aliis diſtinguitur clare oſtendunt; ut idea trianguli, quæ clara & diſtincta eſt; quippe rem, reique notas clare diſtincteque exhibeat. contra vero confuſæ nec rem, nec rei proprietates ac notas, queis ab aliis diſcernitur rebus, repræſentant; hujuſmodi ſunt ideæ angelorum Raphaelis, Gabrielis, cet. Quemad-

admodum porro ex clara notione diſtincta profluit, ita ex hac definita, abundans, completa, & incompleta dimanant. Diſtincta itaque notio in definitam evadit, ſi tot notas menti exhibet, quot ſatis ſunt ad rem unam ab alia diſcernendam; ſic notio quadrilateri, quod ſit ſpatium quatuor lineis concluſum, definita nuncupatur. Si vero plures notas oſtenderit, quam neceſſariæ ſint ad rem diſcriminandam, abundans appellabitur; cujuſmodi eſt hæc alia quadrilateri imago, ſpatium quatuor lineis quatuorque angulis comprehenſum. Præterea conſequitur, ſi notio diſtincta tot rei characteres ac notas exhibet, ut ea a ceteris omnibus in quocunque eventu, loco, ac tempore diſcerni facillime queat, completa vocatur. ex. gr. quum ajo corpus rem eſſe trina dimenſione longitudine, latitudine, ac profunditate exornatam; in cujus locum res alia induci nequeat, ut una ſimul ibidem permaneant, eſſe movendi ac quieſcendi capacem: hæc quidem adjuncta efficiunt, ut corpus ab omni re alia, quæ corpus non ſit, diſcerni ſemper poſſit. Contra vero ſi tot non exprimit notas, quot ad agnoſcendam rem, & ab alia diſcernendam requiruntur, incompleta nuncupatur; ut ſi dico fluvium eſſe aquam turbidam, quæ piſces alit: hominem eſſe bipedem erecto capite incedentem, incompletæ ſunt hujuſmodi notiones, propterea quia etiam lacus & turbidus eſt, & piſces nutrit: & plura animalia ſunt quæ erecto collo ambulant. Videſis Wolfium in Log. cap. de ideis ſi alia hujus rei exempla cupis. Poſtremo ſi aliqua idea non modo notas omnes, queis rem aliquam internoſcere in omni eventu, loco, & tempore valeamus, ſed etiam characteres ſingularum notarum exhibet, adæquata appellatur: ſecus inadæquata; ut idea ignis, ſcilicet corporis lucem & calorem progignentis, incendendi, & conterendi ligna vim habentis; & cognitio notarum omnium lucis, caloris, virtutis incendendi ligna; quibus ab aliis diſcernitur corporibus; hujuſmodi notio adæquata dicitur. Contra ſi characteres notarum omnium non exhibet inadæquata notitia vocatur. Ex huc uſque dictis conſe-

ſervi, divitis & pauperis, patris & filii. Deinde vel abſtractæ, vel concretæ ſunt. Primæ ſimplices ideæ ſunt, quas ſeparatas ab iis concipimus, quibuſcum ſunt conjunctæ, ut notiones lineæ, ſuperficiei, quas a ſolido corpore ſejunctas percipimus. Secundæ autem eæ ſunt, quæ res prout ſe habent, menti repræſentant; ut idea corporis, ſubſtantiæ ſcilicet extenſæ, ſolidæ, figuratæ, gravis, coloratæ, mobilis cet. Abſtractio porro quadrifariam fieri poſſe docet præ aliis Graveſandius Introd. ad Philoſ. lib. II. cap. IIII. „ 1. Ad abſtractionem, inquiens, poſſumus referre omne examen, quod fit per partes, quas quaſi ſeparatas concipimus, quamvis in ſubjecto tales non ſint. 2. Abſtractio fit, dum modum concipimus, non attendendo ad ſubſtantiam: ex. gr. motum determinatum corporis conſidero, non attendendo ad mobile. 3. Circa ipſos modos, abſtracte conſideratos, hæc ipſa abſtractio locum habere poteſt; ex.gr. directionem motus perpendo, neglecta velocitate. 4. Tandem, ſi plura inter ſe conferam, & ſingulorum ideam removeam, mentem tantum applicando ad illud, quod omnibus commune eſt, abſtractam acquiro ideam, quam univerſalem vocant. talis eſt idea humanitatis, mobilitatis, motus in genere. In ſolo primo caſu, in quo partem ipſius rei conſideramus, idea abſtracta nobis quid extra mentem repræſentare poteſt; in omnibus aliis caſibus non. Attributum a ſubſtantia ſeparatum eſſe non poteſt. Univerſalis idea non etiam habet prototypum; id eſt objectum extra mentem, quod hac ipſa repræſentatur. Homo in genere non datur, niſi idealiter; homines ſingulares exſiſtunt. Humanitas nullibi datur, niſi in hominibus ſingularibus „. Poſtremo notiones vel ſingulares, vel particulares, vel univerſales ſunt. Singulares eæ dicuntur, quæ rem unam certam ac determinatam nobis ſiſtunt, ut ideæ Antonii, Caji, Philippi. Particulares quæ rem aliquam minime definitam, ut ideæ alicujus hominis. Univerſales eæ nuncupantur, quæ rem aliquam repræſentant omnibus ejuſdem naturæ communem, ut idea humanitatis. Ex iis, quæ hacte-

nos explanavimus conficitur I. Negativas notiones intelligi minime poſſe, niſi ex poſitivis, quum ſint earum remotiones, ac propterea eos poſitivas notiones intelligere, quibus negativæ cognitæ ſunt; hinc fit nobis juſti notionem ineſſe, quum injuſtitias plures optime natura magiſtra novimus. II. Reales eſſe ideas omnes, quæ neceſſariam cum objectis ſuis in rerum natura exſiſtentibus connexionem habent, realeſque eas omnes notiones, quæ neceſſario cum realibus notionibus ſunt copulatæ; quare omnes ſenſuum ideæ, & quæ cum ipſis conjunguntur reales ſunt. Item reales eſſe omnes ideas, quæ in nobis ipſis neceſſario producuntur, ut ideæ doloris, voluptatis, cogitationis, exſiſtentiæ; realeſque omnes, quæ cum ipſis ſunt connexæ. E contrario chimæricas eſſe ideas, quæ neque cum ideis ex ſenſibus externis interniſque dimanantibus, neque cum iis, quæ cum eiſdem ideis ſunt conjunctæ, connexionem ullam habent. III. Relativarum notionum una cognita cognoſci & alteram, quia ſunt neceſſario copulatæ; non item abſolutas, quarum cognitio ex earum attenta contemplatione dependet. IIII. Abſtractas notiones eſſe fere omnes adæquatas, ac proinde claras & diſtinctas, ut quæ ipſæmet ſunt ſui ipſarum objecta, atque a mente a qua confinguntur, non autem a rebus pendeant, quapropter ſcientiæ abſtractæ, ut Matheſis, Metaphyſica cet. claræ & evidentes ſunt. Atque de ideis, earumque multiplici diviſione ſatis. Antequam vero hinc abeam, animadvertendum duco recentes Logicos injuria ſubiraſci Scholaſticis, quod ad faſtidium uſque ni vocabulorum inanium tractatione verſentur. Quid enim, amabo te, inter concretam ex. gr. abſtractamque notionem, & nomen abſtractum, & concretum intereſt, niſi quod nomen ſignum ſit, cujus ope ideam mente conceptam, aliis manifeſtem? Quare ſi in eo negotii reprehendendi forent Scholaſtici, male mulcandi etiam forent recentes philoſophi, quippe qui quum crimen carpunt, idem & ipſi admittere non verentur. Non eſt, quæſo, ſatis longus, tædiique plenus tractatus, quem de ideis conflant? Quot idea-

rum

rum ſpecies commenti ſunt? Cauſſam, inquies, me huc Scholaſticorum per tranſennam agere; ſed turpiter falleris. Æquo ſint animo in poſterum volo, quum de Scholaſticorum rebus ſententiam ferent.

CAPUT II.

De univerſalium inventore, & de ſingulorum definitione id eſt generis, ſpeciei, differentiæ, proprii, & accidentis; de idearum objectis, categoriarum indole, ac numero. de ſubſtantia, ejuſque modis, de quinque poſtprædicamentis, ubi varia oppoſitorum genera explicantur.

I. *Prædicabilium auctor, finitio, ac numerus.* POſtremo loco notiones ex relatione ad objecta expendimus, quæ quidem omnia ad decem claſſes, Scholaſtici cum eorum duce Ariſtotele referunt, ſcilicet ad decem Categorias, de quibus antequam agamu, de Prædicabilibus, ſive Univerſalibus in anteceſſum loqui oportet, quæ in earum gratiam fuerunt a Porphyrio (*a*) excogitata; ut ipſemet in præfatione ſuæ opellæ teſtatur. Quum enim Chryſaorius Patricius Romanus Ariſtotelis Categorias intelligere minime potis eſſet, Porphyrius ejus præceptor, ut earum intellectui viam ei explanaret Iſagogen, ſive Introductionem conſcripſit. Prædicabile igitur, ſive univerſale (ita etiam nuncupatur, quod multis ſit commune, ac late pateat) eſt quod prædicari poteſt; prædicari autem apud Logicos eſt dici & enunciari. Prædicabilium porro nomine ſignificantur communes quædam notiones & vocabula, quibus res quælibet continetur, & per ſuas partes explicatur, velut in Platone prædicabilia ſunt, eſſe animal, eſſe rationalem, eſſe hominem, eſſe ridendi capacem, eſſe doctum. Quinque ſunt, genus, dif-

(a) *Ex Platonis dictis totam prædicabilium doctrinam hauſiſſe Porphyrium, Ammonius arbitratur. quod quidem a vero alienum non videtur, quum fuerit Porphyrius Platonicus: at in hac lucubratione Ariſtotelis magis, quam Platonis veſtigia preſſit.*

differentia, ſpecies, proprium, & accidens. Genus prædicatur ut pars eſſentiæ communior; ut quum dicitur Plato animal: differentia ut pars eſſentiæ peculiaris & propria; ut quum dicitur rationalis: ſpecies tanquam tota eſſentia; ut quum dicitur homo: proprium tanquam affectio neceſſaria ab eſſentia dimanans; ut quum dicitur ridendi capax: accidens tanquam affectio extranea & fortuita; ut quum dicitur doctus. de iis ſigillatim pauca adnectere decet.

II. *Genus*. Genus notio maxime communis eſt, quæ notiones alias minus communes ab ſe propagatas comprehendit, deque illis enunciatur. A Porphyrio vero definitur notio univerſalis, quæ de pluribus prædicatur ſpecie differentibus, quum quid ſit, quæritur; ut animal hominis, & equi genus eſt, quia notionem utrique communem deſignat, atque ab eo afferri ſolet, qui interroganti, quid ſit homo, quid equus, reſpondet. Quadrifariam partitur in ſummum, & medium, in remotum, & proximum. Ac Summum quidem occupat faſtigium, nullique ſubjicitur; ut ſubſtantia in arbore Porphyriana. Medium, ſeu interjectum, ut alii appellant, ita eſt genus, ut poſſit eſſe ſpecies. Nam quum medium locum teneat, ſi cum ſuperiore comparetur, eſt ſpecies, ſi cum inferiore, eſt genus. hujuſmodi eſt corpus, vivens, animal. Poſtremum hoc, quia ſpeciem proxime attingit, appellatur etiam genus ultimum. Rurſus genus vel eſt remotum, vel proximum. Genus proximum eſt, quod proxime adhæret ſpeciei, ut animal, quod ſtatim conſequitur homo: remotum, quod longius abeſt, nec ſpecies attingit, niſi per aliud genus, ut ſubſtantia, corpus, vivens, quæ per animal attingunt hominem. Sunt porro quædam vocabula quæ „ vaga, & tranſcendentia „ dicuntur; quod genus quodlibet exſuperent in omni categoria. hujuſmodi ſunt ens, aliquid, res, unum, verum, bonum. Nam ex. gr. & ſubſtantia eſt aliquid, & qualitas, & quantitas cet.

III. *Species*. Species triplici ratione definiri poteſt.

eſt. 1. eſt id, quod generi ſubjicitur, tanquam pars ejus, ut homo qui ſubjicitur animali: 2. eſt id de quo genus reſpondetur ſciſcitanti quid ſit: ut ſciſcitanti quid ſit homo, reſpondetur animal: 3. ſpecies eſt notio univerſalis, quæ de pluribus dicitur numero differentibus; quum quid res ſit, quæritur; ut homo, qui de Merio & Cajo enunciatur, aliiſque humanæ naturæ individuis. Duæ priores finitiones ſpeciebus omnibus conveniunt tum mediis, tum infimis; tertia tantum infimis, quæ individua attingunt. Species porro media idem eſt ac genus medium ſeu interjectum, videlicet quæ ita eſt ſpecies, ut poſſit eſſe genus; nam ſi cum ſuperiore ſpecies, ſi cum inferiore comparetur genus eſt, ut animal. Species infima ita eſt ſpecies ut genus eſſe nequeat, ut homo qui de pluribus numero differentibus enunciatur. Individuum autem, ut ex nomine ipſo patet, eſt id quod in plura talia, quale ipſum eſt, dividi nequit; ut Cajus qui dividi non poteſt in plures Cajos. Bifariam definiri poſſe videtur, 1. individuum eſt id, quod de uno tantum enunciatur. 2. individuum eſt id, quod proprietatibus quibuſdam, quæ omnes eædem convenire alii nullo modo poſſunt. Proprietates autem iſtas carmen hoc exhibet:

Forma, figura, locus, ſtirps, nomen, patria, tempus.

Ex dictis patet ea ſpecie differre, quæ ſub eodem genere ſita, in eo quidem conveniunt, eſſentia autem & definitione diſcrepant; ut homo, & equus. Numero vero ea differre, quæ ejuſdem ſpeciei individua ſunt, & per eas diſſident proprietates, quæ numerum quidem variant, eſſentiam vero ac definitionem non variant, ut Socrates, & Plato.

IIII. *Differentia*, *Proprium*, *&* *Accidens*. Differentia eſt univerſalis notio, quæ de pluribus ſpecie vel numero differentibus dicitur, quum quæ ſit rei alicujus eſſentia, quæritur; ex. gr. hominis & equi differentia, qui ſpecie differunt, rationalitas eſt: Socratis, & Platonis differentia, qui numero differunt forma eſt. Porro differentia vel genus diſpeſcit, ſpeciemque con-

ſtituit; ut rationale animal dividit, hominemque conſtituit; vel ſpeciem partitur, atque individuum ponit; ut nomen Socrates hominem ſeparat, individuumque conſtituit. Illam ſcholæ genericam, hanc vero ſpecificam appellant. Proprium quatuor apud Porphyrium modis dicitur. Primo quod ſoli alicui ſpeciei accidit, ſed non omni; ut ſoli homini accidit eſſe medicum, ſed non omni. Secundo quod omni ſpeciei accidit, ſed non ſoli; ut eſſe bipedem convenit quidem omnibus hominibus, non tamen ſolis, quippe etiam avibus id commune eſt. Tertio quod omni & ſoli ſpeciei, ſed non ſemper; ut caneſcere convenit omni ſolique homini, non quidem ſemper, ſed in ſenectute tantum. exemplum hocce a Porphyrio allatum minus ad rem appoſitum eſt, quum alia etiam animalia præter hominem in ſenectute caneſcant. Quarto quod omni ſolique ſpeciei & ſemper convenit; ut omni & ſoli homini & ſemper riſibilem eſſe convenit. Horum vero poſtremum eſt prædicabile ad hunc locum pertinens, quod proinde finiri poteſt: notio univerſalis, quæ ſpeciei naturam jam conſtitutam neceſſario conſequitur, & per eam prædicatur de pluribus numero differentibus. a differentia diſcrepat, quia illa ſpeciem conſtituit; ab accidente vero, quia accidens rei naturam ſequitur, tanquam aliquid adventitium. Poſtremo Accidens eſt notio univerſalis, quæ pluribus adeſſe & abeſſe poteſt, incolumi eorum natura, deque iis prædicari, ex. gr. figura rotunda poteſt adeſſe & abeſſe ceræ ſine illius corruptione. In categoricum, & in prædicabile diſpertitur. Illud eſt, quod categoriam ſubſtantiæ oppoſitam conſtituit; ideoque per ſe conſtare nequit; ut figura cet. Hoc eſt logica quædam attributio, quæ rei per eſſentiam intimaſque proprietates jam conſtitutæ advenit, ſive ſit aliquid per ſe conſiſtens, ſive non ſit; ut veſtis, quæ quamvis ſubſtantia ſit, alteri tamen ſubſtantiæ adjecta convenit illi, ut accidens. Dividitur etiam in ſeparabile, ut albor a muro, & inſeparabile, ut candor a cycno: in externum & internum: in phyſicum ut motus; & metaphyſi-

cum

tum ut relatio: in abſolutum ut figura, & relatum ut æqualitas. Tandem ſcholæ ajunt genus, ſpeciemque prædicari in quid, reliqua in quale. nam ſciſcitanti quid ſit Petrus, reſpondemus vel per genus, eſt animal, vel per ſpeciem, eſt homo. Tum quærenti quale animal ſit, reſpondemus per differentiam, vel per proprium, vel per accidens, v. g. eſt rationale, eſt riſibile, eſt doctum.

V. *Multiplex idearum noſtrarum objectum exponitur.* His in anteceſſum dictis jam venio ad objecta idearum, quæ mox ad categorias referam. Objectum hoc loco ea res dicitur, quam idea repræſentat; quum autem idea vel rem exſiſtentem, vel poſſibilem exhibeat; objectum ergo primum vel erit exſiſtens, vel poſſibile. Secundo vel ſubſtantiale, vel attributum ſubſtantiale. Tertio vel qualitas eſſentiæ, vel modificatio erit, ſi iſthæc repræſentabit idea. ex. gr. vocabulum hocce corpus ideam exprimit, cujus objectum ſubſtantia corporea eſt: vocabulum gravitas, attributum ſubſtantiale corporis ſignificat: vocabulum calor, ejuſdem corporis qualitatem: vocabulum denique figura modificationem exprimit. Adhæc ſubſtantia eſt res omnis, quæ per ſe exſiſtit, ut cœlum, tellus, mare. Attributum ſubſtantiale id eſt, quod ad ſubſtantiæ eſſentiam ſpectat, ut ſoliditas in corpore, voluntas in anima. Qualitas id omne dicitur, quod eſſentiam quidem determinat, licet ad eam minime pertineat, ut opacum, aut pellucidum in corporibus. Modus eſt, quod exſiſtentiam determinat, ut eſſe quadratum, rotundum, in tempore, in loco. Item ſubſtantia vel corporea, vel ſpiritalis eſt: corporea eſt extenſa, ſolida, diviſibilis, gravis, ut lapis, planta. incorporea nec extenſa, nec ſolida, nec diviſibilis eſt, ut Deus, Angelus, Anima. Inſuper alia vivens, ut planta, & animal; & alia non vivens, ut lapis. Præterea alia ſentiens, & rationalis; & alia non ſentiens & non rationalis. Denique alia eſt æterna, alia facta, & alia poſſibilis. Adhæc cauſſæ, earumque effecta etiam ad idearum noſtrarum objecta ſpectant.

VI. *Categoriarum definitio, auctor, & numerus.* Ad hunc locum pertinent categoriæ, de quibus fuſo calamo Scholaſtici agunt. Categoriæ nomen a greca voce κατηγορεῖσθαι enunciari ſive prædicari dimanat, unde prædicamentum in ſcholis non inſulſe appellatur. Ab Alexandro Aphrodiſienſi principia philoſophiæ, a Quinctiliano vocabulorum elementa categoriæ dicuntur. Sunt enim claſſes rerum omnium, quibus natura coercetur. Claſſis porro quæque dividitur in ſua genera, ſpecies, atque individua; nihilque eſt in categoriis, quod non uno aliquo ex iis nominibus nuncupetur, quæ prædicabilia diximus. Ex quo etiam apparet quomodo prædicabilia ad prædicamenta ſpectent; & qua ratione ab iis differant, ſcilicet quod prædicabilia ſunt modi prædicandi; prædicamenta vero ſunt res quæ prædicantur. Ad auctorem quod attinet, Boethius in præf. lib. 1. Prædicam. „ Archytas, ait, etiam duos compoſuit libros, quorum in primo hæc decem prædicamenta diſpoſuit. Unde poſteriores quidam, non eſſe Ariſtotelem hujus diviſionis inventorem ſuſpicati ſunt, quod Pythagoricus vir eadem ſcripſiſſet; in qua ſententia Jamblicus philoſophus eſt non ignobilis; cui non conſentit Themiſtius, neque concedit, eum fuiſſe Archytam, qui Pythagoricus Tarentinuſque eſſet, quique cum Platone aliquantulum vixiſſet, ſed Peripateticum aliquem Archytam, qui novo operi auctoritatem vetuſtate nominis concederet „. Putat ergo Ariſtoteles, vel quiſquis earum ſit inventor, nihil nos poſſe mente concipere, quod non ſit vel ſubſtantia, vel quantitas, vel qualitas, vel relatio, vel actio, vel paſſio, vel ubi, vel quando, vel ſitus, vel habitus; ac proinde decem eſſe categorias; quæ hocce artificiali diſticho continentur:

Arbor, Sex, Servos, Fervore, Refrigerat, Uſtos:
Ruri, Cras, Stabo, ſed Tunicatus ero.

Arbor ſubſtantiam indicat; Sex quantitatem; Servos relationem; Fervore qualitatem; Refrigerat actionem; Uſtos paſſionem; Ruri locum, aut ubi; Cras tempus, aut quando; Stabo ſitum; Tunicatus habitum.

VII.

VII. *Subſtantia*, *Quantitas*, *&* *Qualitas*. Subſtantia eſt id quod per ſe conſtat, atque accidentia ſuſtinet; ut homo, lignum, lapis, cet. Non ſuſcipit magis & minus, ſive gradum comparativum, & ſuperlativum, ex.gr. dici nequit magis aut maxime homo erat Goliathus, quam David: ſed bene dici poteſt major, & maximus. Nec quatenus ſubſtantia eſt alteri contraria eſt ſubſtantiæ, ſed ratione dumtaxat ſuarum qualitatum, videlicet quatenus talis ſubſtantia eſt; uti aqua igni contraria eſt ratione ſuarum qualitatum, non ratione ſui. Quantitas eſt ſubſtantiæ modus ac menſura; hoc eſt id per quod ſubſtantia extenſa eſt, ac menſurari poteſt: vel continua, vel diſcreta eſt: continua dicitur, cujus partes continuantur, ut linea, & magnitudo quævis: diſcreta vero quæ partes diviſas habet; ut numerus, & multitudo quælibet. Continua itidem vel permanens, vel fluens eſt: illa permanens vocitatur, cujus partes ſimul ſunt, ut linea, ſuperficies, corpus: fluens dicitur, quæ partes habet ſucceſſione quadam poſitas; ut tempus, motus. Qualitas eſt quædam ſubſtantiæ forma, a qua talis res dicitur, ut color in homine. Quadruplex ſecundum Ariſtotelem eſt, habitus nimirum, & diſpoſitio; naturalis potentia, & impotentia; paſſio, & patibilis qualitas; forma denique, & figura. Habitus eſt quædam firma facilitas agendi aliquid longo uſu atque exercitatione comparata; ut ſcientia, virtus, vitium, ars ſcribendi, pingendi cet. Diſpoſitio eſt progreſſio ad habitum, hoc eſt, quædam animi ſive corporis ad aliquid faciendum proclivitas. gradu non natura inter ſe differunt. Naturalis potentia eſt virtus quædam a natura inſita & confirmata ad agendum, aut reſiſtendum; ut facultas ambulandi, luctandi, intelligendi. Impotentia eſt virtus eadem diminuta & infirma; ut imbecillitas ſenum in videndo. Patibilis qualitas eſt ſenſilis quædam affectio ſubjecto firmiter inhærens; ut calor in igne, dulcedo in melle. Contra paſſio eſt ſenſilis itidem affectio, ſed cito tranſiens; ut dolor ex ictu, pallor ex metu: figura eſt externus corporis terminus, quo undique circumſcribitur,

unde

ùnde quadratum, rotundum cet. vocitatur. Forma denique eſt qualitas ex varia partium magnitudine, porportione, collocatione, & colore profecta; ut hominis forma. Quænam itaque differentia inter formam, & figuram eſt? Ambæ hæ voces a latinis promiſcue uſurpantur: at figura ad artefactas, forma vero ad naturales pertinet res. Hinc forma ſive pulcritudo Ciceroni lib. IIII. Quæſt. Tuſcul. cap. XII. „ eſt apta figura membrorum cum coloris quadam ſuavitate „.

VIII. *Relatio, Actio, Paſſio, Locus, Tempus, & Situs.* Relatio eſt ordo, ſive reſpectus unius ad aliud; ut patris ad filium, heri ad ſervum, viſus ad viſibile. Nulla vero res, reique modus reperitur, quæ res relationem ad aliam non habeat: unde relatio potius tranſcendens terminus appellanda eſt, quam categoria (a). Actio eſt motus quidam, quo vis ac facultas agentis ſeſe in patientem exſerit; ut verberare, ſecare: poteſt etiam actio in ſe manere; ut ambulare, ſaltare. Paſſio eſt actus agentis in patiente receptus; ut percuti, vapulare. In eo a paſſione qualitatis ſpecie diſcrepat, quod illa actutum tranſeat; iſthæc vero diutius perſeveret. Ubi eſt relatio rei locatæ ad locum. triplici autem ratione poſſunt res in loco eſſe ſecundum Scholaſticos. Circumſcriptive, ut corpora; definitive, ut ſpiritus; & repletive, ut Deus. Eſſe in loco circumſcriptive eſt ita locum occupare, ut totum toti, & pars parti reſpondeat; hoc pacto quilibet noſtrum in loco reperitur. Eſſe definitive eſt ita in loco manere, atque ab eo definiri, ut tamen totum ſit in toto loco, & totum in qualibet parte; uti eſt anima in corpore noſtro ſecundum Scholaſticorum opinionem. Eſſe repletive eſt loca omnia pervadere ac replere; ut Deus eſt in terrarum or-

(a) *Quatuor ſunt in relatione ſpectanda: ſubjectum, quod relatum nuncupatur, ut pater; terminus, quod correlatum in ſcholis dicitur, ut filius; fundamentum relationis, qualis eſt generatio; ipſa denique relatio, quæ eſt mutua affectio patrem inter & filium, ex generatione profecta.*

orbe. Addendus eſt etiam quartus modus, quem a recenſitis ipſimet Scholaſtici diſtinguunt, nec ſine probabili ratione; nempe eſſe in loco ſacramentaliter, eſtque quum, res aliqua in ſuo loco manet ſub accidentibus alterius, in quam converſa eſt; uti Chriſtum in Euchariſtia eſſe fides docet. Quando eſt relatio rei durantis ad tempus; ut quum quæſtioni de tempore reſpondetur, ex. gr. quando vixit? centum ab hinc annis. hi modi ſunt a rebus locatis, & durantibus minime diſtincti. Situs eſt partium diſpoſitio ratione ſpatii; ut diſcumbere, eſſe a dextris. Habitus denique eſt corpus quoddam alteri corpori circumpoſitum; ut pileus, toga, calceus. Verum ne credas inter Logicos de categoriarum numero ac generibus convenire, quum mira ſint in diſſenſione conſtituti. Epicurus enim aliam ab ea Ariſtotelis ſeriem conflavit, quam Lucretius ita expoſuit II. v. 1020.

Intervalla, viæ, connexus, pondera, plagæ,
Concurſus, motus, ordo, poſitura, figuræ
Cum permutantur, mutari res quoque debent.

Alii duo tantum aſſignant rerum omnium genera ſubſtantiam, & modum: (*a*) alii tria, ſubſtantiam, modum, & relationem: alii quatuor mentem, ſpatium, materiam, & motum. Ariſtoteles ipſe licet plu-

(a) *Stoici Aliquid faciebant genus princeps ac ſupremum; atque hoc partiebantur in corporale, & incorporale, ſcilicet in id quod eſt, & quod non eſt. „ In rerum enim natura inquiunt apud Senecam ep.* LVIII. *quædam ſunt, quædam non ſunt: ex his autem quæ non ſunt, verum natura complectitur quæ animo ſuccurrunt tanquam centauri, gigantes, & quidquid aliud falſa cogitatione formatum, habere aliquam imaginem cœpit, quamvis non habeat ſubſtantiam „. Simplicius in Ariſt. Categ. Ex his Stoici, qui diligentiores videntur, quadrifariam diſtribuerunt, in ſubjecta, qualia, quodammodo ſe habentia, & ad aliquid quodammodo ſe habentia. Ex qua loquendi Stoicorum ratione veteres quidam etiam ex Patribus corpus appellarunt ſubſtantiam omnem etiam ſpiritalem.*

pluribus in locis decem categorias commemoret, ut in I. Topic. in I. Poſter. in V. Phyſic. & in IIII. Metaph. ubique tamen apud illum certum firmumque dici poteſt quatuor eſſe capita rerum, ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, & relationem. Siquidem quidquid eſt, vel eſt per ſe, & ſubſtantiam conſtituit; vel eſt per accidens: ſi per accidens, vel eſt abſolutum, vel relatum: ſi abſolutum, vel fluit a materia, & quantitatem conſtituit, vel a forma, & qualitatem ponit; ſi relatum, relationem conſtituit, ad quam tanquam ad genus referuntur reliquæ categoriæ. Nam agere, & pati nihil eſt aliud, quam relatio agentem inter & patientem; ubi relatio inter rem & locum cet. Alii Platonem (*a*) ſequuti ſeptem faciunt rerum capita; ac duo ſubſtantiæ genera mentem, & materiam, & quinque modorum. Hinc in eorum opinione,

Mens, Menſura, Quies, Motus, Poſitura, Figura
Sunt cum Materia cunctarum exordia rerum.

Ac nomine mentis ſubſtantiam ſpiritalem, Deum, Angelum, Animam indigitant; menſuræ, quantitatem; quietis, permanentiam corporis in loco; motus, migrationem corporis ex uno loco in alium; poſituræ, partium ordinem, atque intimam diſpoſitionem, ac texturam; figuræ, externam partium diſpoſitionem, quæ, re ſalva, variari poteſt; materiæ denique nomine corpus, corporeamque ſubſtantiam ſignificant. Numquid præterea? Corſinius Log. part. I. cap. VIIII. num. VII. ſex facit entium genera hocce verſiculo contenta:

Mens, Corpus, Motus, Flexus, Menſura, Figura,

Eccur? Quietem expungit e categoriarum ſive entium realium ſerie, quum ſit quid negans. Nexus vero nomine internam partium texturam indicat. Quid ſuper ea re ſentiam paucis dicam: eorum mihi arridet opinio, qui duo faciunt rerum omnium capita ſubſtantiam, & modum; in hæc enim duo reci-
dunt

(a) *Quod ad Platonem ſpectat, non ſatis conſtat; nam ſi fidem Senecæ adhibemus ſex ſunt Platonis categoriæ. Tu illum conſule in ep.* LVIII. *ſi tua intereſt.*

dunt cetera. Poſtremo id omne, quod ſub uno horumce capitum jam recenſitorum continetur, prædicamentale nuncupatur: contra vero tranſcendentale appellitatur illud omne, quod hanc prædicamentorum ſeriem exſuperat, ſimulque pluribus ex æquo convenire poteſt. Quamobrem attributa entis, ſcilicet unitas, veritas, bonitas tranſcendentalia ſunt; quia non minus ſubſtantia, quam modus eſt ens unum, bonum, verum. Qua quidem de re metaphyſici agunt.

VIIII. *Poſtprædicamenta exponuntur*. De poſtprædicamentis plura ſcholæ, nos vero pauca adnectemus. Nihil porro hæc ſunt, quam generales quidam modi, qui categorias conſequuntur ex illarum inter ſe comparatione profecti. Quinque ſunt, oppoſitio, prius, ſimul, motus, & habere. Quatuor ſunt oppoſitorum ſpecies; alia enim ſunt oppoſita relata, alia contraria, alia privantia, & alia contradicentia. Relata ea ſunt, quæ ex ſua natura ſeſe mutuo reſpiciunt; ut herus, & ſervus; pater, & filius. Contraria ſive adverſa ſunt ea, quæ ſub eodem poſita genere maxime inter ſe diſſident; ut calor, & frigus. Privantia ſunt forma, atque ejus privatio; veluti vita, & mors; viſus, & cæcitas. Contradicentia ſunt, quæ invicem pugnant ajendo, & negando; ut videt, non videt; legit, non legit. Prius quinque dici poteſt modis, tempore ſcilicet; ut Moſes Davide prior dicitur: natura, uti ſol eſt lumine prior: ordine, ut in oratione exordium prius eſt propoſitione: dignitate, ut dux milite: cauſſa denique, ex. gr. pater filio prior eſt. quæ omnia hocce diſticho continentur:

Dicitur eſſe prius natura, tempore, honore,
Ordine, cum cauſſa dicitur eſſe prius.

Triplici adhæc ratione aliquæ res ſimul eſſe dicuntur. 1. tempore, ut quæ eodem tempore, exſiſtere cœperunt, ut gemelli: 2. natura, ſi ſimul neceſſario exſiſtunt, neutrum tamen alterius cauſſa eſt, ut duplum, & dimidium; etenim ſi duplum eſt, dimidium quoque eſt, & contra: 3. diviſione, ut quæ genus idem ſecant, ex. gr. homo, & bellua, quæ animal

in

in binas ſpecies diſpeſcunt. Variæ quoque motus ſpecies recenſentur, ortus nempe & interitus, auctio & diminutio, immutatio & translatio. de quibus phyſici loquuntur. Denique apud Ariſtotelem octo ſunt modi, quibus aliqua haberi dicuntur; 1. qualitas haberi dicitur, ut ſcientia: 2. quantitas, ut magnitudo bicubitalis: 3. ea, quæ circa corpus ſunt, ut gladius: 4. quæ in corporis parte inſunt, ut annulus in digito: 5. pars haberi dicitur, ut pes: 6. id quod in alio continetur, ut vinum a dolio haberi dicitur: 7. res poſſeſſa, ut rus: 8. uxor haberi dicitur (*a*).

CA-

(a) *Eccur, fortaſſe inquies, Scholaſticorum nugasi in hocce capite verſaſti? num ejuſmodi reculis oblectaris? Sed pluribus id momentis peregi impulſus. Ac primum in illorum gratiam huc loci ea explicui, quibus ſcholaſtica adhuc in deliciis ſunt; deinde quum ejuſmodi vocabula ad ſingulos pane verſus in quolibet ſcriptorum genere adhibita offendas, moram tibi ſane haud injcient; tum quum ſint quædam rerum omnium claſſes, ut categoriæ, aut notiones relationum ex earum rerum collatione profectarum, ut poſtprædicamenta non erunt ſcitu omnino injucunda; poſtremo ea in medium protuli ſequutus exemplum politiorum quorundam etiam recentium Logicorum, quibus ſcholaſtica vehementer diſplicent, & recentiorum ſenſa mirifice arrident; qualis eſt Purchotius, Genuenſis, Fortunatus a Brixia, Corſinius cet.*

CAPUT III.

De ſigni natura, ac diviſione; de triplici cogitationum noſtrarum indice; de vocabulorum neceſſitate, uſu, atque abuſu; de regulis ad loquentes, audientes, & utroſque una ſimul ſpectantibus; de definitionis natura, ac generibus; & de diviſione, ejuſque multiplici ſpecie.

I. *Quid, & quotuplex ſit ſignum.* Signum univerſim acceptum a s. Auguſtino lib. II. de doctr. chriſt. c. 1, definitur, id quod præter ſpeciem ſui, quam ingerit ſenſibus, aliud aliquid facit in cognitionem venire. Enimvero binas in nobis ſignum quodvis excitat ideas, ſui nempe alteram, atque illius rei alteram, quam repræſentat; hinc ſi fumum conſpicio, & fumi, & ignis per eum ſignificati in me ſtatim notio excitatur, Multiplex eſt: aliud eſt certum, ac probabile aliud: certum illud vocitatur, quod cum re, quam ſignificat, neceſſario conjunctum eſt; ut reſpiratio cum animantis vita; probabile vero, quod cum re, quam denotat, haud neceſſario copulatum eſt, ut cum ſenectute canities. Poteſt etiam ſa ſum ſubnecti, atque illud appellatur, quod nullam cum re ſignificata affinitatem & conjunctionem habet; etſi nonnulli eam habere contendunt, ut ſiderum aſpectus, quem nonnulli ſignum putarunt eorum, quæ hominibus contingere debebant. Præterea aliud eſt cum rebus ſignificatis connexum; ut ſymptoma cum morbo, atque aliud a rebus ſejunctum, ut veteris legis ſacrificia a Chriſto, quem innuebant. Inſuper vel rem ipſam, quam portendit, continet atque efficit, cujuſmodi eſt ſacramentum novæ legis; vel a re ſignificata efficitur, ut fumus ab igne: vel neque efficit, neque efficitur, ſed illi dumtaxat adnectitur, ut laurus cauponæ affixa. Item vel rem præſentem deſignat, & demonſtrativum; vel rem futuram, & prognoſticum;

vel

vel denique præteritam, & rememorativum nuncupatur. Poſtremo aliud eſt naturale, & aliud arbitrarium: primum illud eſt, quod rem ſuapte natura demonſtrat, vel cum ipſa neceſſario connectitur, ut imago in ſpeculo, naturale ſignum ejus rei eſt, quam repræſentat; ſecundum ab hominum arbitrio dependet, & vel nullam, vel remotam ſolum cum re deſignata relationem habet, ut olea cum pace. (*a*)

II. *Tria*

(a) *Quo quidem loco*, ſcribit Corſinius t. 1. Inſtit. Philoſ. part. 1. c. x. n. 1111. *obſervaſſe juverit, idemque ſignum ita rebus pluribus ſignificandis adhiberi poſſe, ut unius quidem rei naturale, alterius vero arbitrarium ſit. Sic iris naturaliter aeris ſerenitatem, ſignificat, oſtenditque roſcidam ſolum nubem in aere ſupereſſe; ſed ex ipſo quoque Dei arbitrio ſignificat diluvium ſuper terram iterum non eſſe rediturum. Obſervari etiam debet, quod unum idemque nomen, tum ſigno, tum rei ſignificatæ tribuitur, ut imago, vel nummus Cæſaris dicitur Cæſar, Eccleſia dicitur Arca Noe, Agnus paſchalis, & azyma dicuntur Chriſtus: quæ certe ſymbolice ſolum, vel figurate intelligi debent, ut ex ſola nempe ſignificandi vi, non autem ex natura propria nomen illud ſortiantur. Fieri tamen interdum ſolet ut aliqua ſymbolica, vel figurata dicantur, non quod ejuſmodi naturam vere non habeant; ſed quod alterius etiam rei ſignificandæ vim acceperint. Sic ab Origene panis in Euchariſtiæ myſterio conſecratus ſymbolicum Chriſti corpus vocatur; non quod verum Chriſti corpus non ſit, ſed quod panis ille, qui verum Chriſti corpus efficitur, inſuper etiam Eccleſiam, vel alia id genus ſignificet; ſicuti Origenes ipſe Judæorum ſacerdotem ſymbolicum vocat, quod etſi vere ſacerdos eſſet, Chriſtum quoque ſignificaret.* (Vide Huet. in Origenian. & diſſert. 1.) *Poſtremo ſignum alicujus rei, quæ vera, & realis ſit, reale non debet eſſe, ſed interdum etiam apparens, ac imaginarium eſſe poterit; ut iridis certe colores apparentes ſunt, veramque aeris ſerenitatem ſignificant; quod de Euchariſticis etiam ſpeciebus, quæ ſigna, typi, vel ſymbola dici ſolent, plurimi exiſtimant.*

II. *Tria cogitationum noſtrarum ſigna*. Signa porro, queis noſtræ mentis cogitationes aliis aperimus, ad tria genera referuntur, ad voces nimirum, ad ſcripturam, & ad nutus. De hiſce itaque breviter hoc in loco agemus, fuſius alibi ſi Deus otia dabit, acturi. Ac primum vox univerſim accepta eſt ſonus animalis ore prolatus, in articulatam, & non articulatam partitur: illa eſt, ſonus ab homine prolatus per ſyllabas veluti per articulos diſtinctus ad exprimendas animi cogitationes inſtitutus. Dicitur primo ſonus per ſyllabas cet. ut a confuſis animalium vocibus, ex. gr. a mugitu bovum, balatu ovium, latratu canum ſecernatur. Adnectitur ſecundo ad exprimendas cet. ut a picarum, ac pſittacorum vocibus temere effuſis diſcernatur. Iſthæc vero ea eſt quæ per ſyllabas minime diſtingui valet, cujuſmodi ſunt latratus, rugitus, hominum, ſuſpiria, gemitus. Duæ ſunt locutionis humanæ præcipuæ partes ac veluti columina, nomen, quod res indicat, & verbum, quod rerum affirmationem exprimit; reliqua porro, de quibus grammatici loquuntur ad iſthæc duo vel reducuntur, ut participium cet., vel horum modi ſunt dicenda, ut adverbium, præpoſitio cet. Quocirca animadvertendum eſt, nomina ac verba quandoque non ſolum cogitationes, ſed etiam cogitationis modos exprimere, ac proinde, præter principem ſignificatum habere, & adjunctum; ut obſervare licet in iſthac voce „ mentiris „ cujus primarius ſenſus eſt „ loqueris ſecus, ac ſentis „; ſecundario autem intellectu aliquam contemtus ſpeciem continet; quo fit ut offendi quiſque ſolet, quum ei exprobetur „ mentiris „; non autem quum dicitur „ ſecus ac ſentis „. Hinc apparet, cur obſcœnæ cenſendæ ſint aliquæ voces, contraque honeſtæ aliæ: quod quidem, minime animadvertebant Stoici, in quorum ſententia „ nihil erat, ut refert Cicero in ep. XXII. ad Padirium Pætum lib. VIIII. epiſt. ad Famil. obſcænum, nihil turpe dictu,,.... Ajebant enim, nec in rebus, nec in vocibus obſcœnitatem ineſſe: non in rebus, quum aliis vocabulis exponi circa turpitudinem queant; non in vocibus,

N ſi

ſi enim, res turpes non ſunt, nec voces, queis exprimuntur, turpes eſſe poſſunt. Ac proinde ſuo nomine rem quamque nuncupandam eſſe contendebant. Verum turpiter errabant ad duplicem, quarundam vocum ſignificationem jam indicatam minime attendentes. Poſſunt enim res turpes quibuſdam vocabulis honeſtis ac ſelectis explicari, non autem iis vocibus, quæ obſcœnitatem adjunctam habere vulgo cenſetur. Præterea ſummo ſtudio eſt advertendum, quædam vocabula ex vario loquentium effectu, & animo; ex temporis, locique opportunitate; ex ipſo oris habitu; ex ipſiuſque vocis modulatione variam induere vim, & ſignificationem. Varia porro nominum, ſive terminorum, ut in ſcholis vocitantur, genera ad oram pagellæ appingam in eorum gratiam, qui inventa frugi, glandibus adhuc veſci amant (*a*).

Scri-

(a) *Ac primo terminus, ſive vocabulum in ſubjectum, atque in prædicatum dividitur: Subjectum illud eſt, de quo aliquid enunciatur: prædicatum vero, ſive attributum, illud dicitur, quod enunciatur; uti Deus eſt omnipotens. Deus ſubjectum eſt, omnipotens prædicatum, eſt vero copula vocitatur; quia utrumque terminum copulat. Subjectum porro, & prædicatum termini, & extrema nuncupantur; quia utrimque enunciationem claudunt, terminantque. Secundo in categorematicum, & ſyncategorematicum partitur: ille eſt, qui per ſe quidquam ſignificat, ut homo, lapis: iſte, qui nihil certi, niſi cum alio copulatur, denotat; ut omnis, nullus, aliquis. Ex utriuſque vere commiſtione terminus alter exoritur, qui miſtus appellatur; ut nihil, id eſt nulla res; nemo, hoc eſt nullus homo. Tertio in categoricum, & vagum ſive tranſcendentalem diſpeſcitur: categoricus ille nominatur, qui rem aliqua categoria comprehenſam indicat, ut angelus, mens: vagus vero, ſive tranſcendentalis rem exprimit nulla categoria contemtam; cujuſmodi ſunt eſſentia, veritas, bonitas, ordo, relatio. Quarto in infinitum, & finitum ſecatur: hic rem certam ac determinatam ſignificat, ut Petrus, Neapolis: ille vero non determinatam, ut non homo. Quin-*

to

Scriptura porro , vel ſcriptio , quæ articulatæ vocis munere fungitur, ne dum præſentibus, verum etiam abſentibus animi noſtri ſenſa patefacit. Vel hieroglyphica , vel vulgaris eſt ; hieroglyphica eſt ſenſilis , quædam imago ad rem aliquam denotandam uſurpata ; ut ocellus in baculi vertice inciſus, apud Ægyptios providentiam Dei indigitabat. Si porro nominis etymon diſpicias idem eſt, ac ſacra ſculptura, nimirum ab ἱερὸ, ſacer, & γλύφω, ſcalpo ; quandoquidem hieroglyphica erant , ſacra monumenta, quæ religionis myſteria deſignabant; eaque apprime callebant ſacer-

to in univocum, æquivocum, & analogum diſtribuitur. Univocus, alias ſynonymus eſt, qui ſecundum unam eandemque ſignificationem pluribus tribuitur ; ut homo , quæ vox ex æquo, Petro , & Paullo tribuitur. Contra æquivocus ſive homonymus, aut ambiguus is eſt, qui diverſam habet ſignificationem in iis, quibus tribuitur; ex.gr. taurus reſpectu quadrupedis, ſideris, & montis. Porro homonymus vel caſu, vel ratione dicitur: caſu, quum citra ullam rationem nomen idem rebus plane diverſis tribuitur; ut canis nomen animali, ſiderique impoſitum; ratione vero, quum aliqua de cauſſa eandem nomendationem multis damus ; ut ardens de igne, homineque irato dicitur propter agitationem, quæ in homine irato, & corpore accenſo ferme par cernitur. Homonymus terminus dicitur etiam analogus, & magis proprie ; homonymus enim eſt, qui multa connotat, ſed nullo modo ſimilia. Rurſus analogus alter eſt attributionis, & proportionis alter, ille eſt, qui pluribus tribuitur rebus, uni quidem primario , ceteris vero ſecundario ; ut ſanitas animali tribuitur proprie, ac primario, medicinæ vero, quæ eam efficit, & colori, qui eam indicat ſecundario, iſte eſt, qui pluribus rebus propter aliquam proportionem aptatur ; ut pes de ſcamno , & monte dicitur . Huc referendæ univerſæ metaphoræ ſunt]. Sexto tandem in terminum primæ notionis, ſive intentionis , & ſecundæ notionis, diſpertitur ; primus eſt, quo res primo, & communiter nominatur ; ut homo dicitur homo: alter eſt, qui ipſum rei nomen, & ſecundarias noſtras animadverſiones deſignat, ut quum homo dicitur ſpecies.

Digitized by Google

dotes. Hiſce litterarum vice, ut Corn. Tacitus tradit hiſt. tom. II. c. XVIIII. maxime utebantur. Vulgaris vero definitur vox permanens atque fixa ad poſteros, & abſentes facile commeans. Quare „ litteræ, ut ſcite animadvertit. Cicero pro Sylla, poſteritatis cauſſa repertæ ſunt, quæ oblivioni ſubſidio eſſe poſſunt, Nutus tandem prout a nobis huc loci uſurpatur, ſignum quoddam, vel corporis geſtus eſt, quo gentes quondam uſæ ſunt ad animi conceptus exprimendos.

III. *Vocabulorum neceſſitas, atque uſus*. Quum nequeamus, ſolo voluntatis nutu ceteris; hominibus mentis noſtræ ſenſa participare, ſed vocabulis, aliiſque ſignis, eorum vicem gerentibus uti debeamus: operæ pretium erit, multiplicem vocabulorum uſum atque abuſum commonſtrare. Ac primum vocabula memoriæ ſuppetias ferunt. Nam ſive cogitamus, ſive ad aliquam rem enucleandam animum appellimus, vocabula, (quæ arctiſſimo, vinculo cum ideis copulantur) efficiunt, ut idearum recordemur. Alter porro vocabulorum uſus eſt, ut cum aliis animi noſtri conceptus communicemus; quod vel in familiaribus colloquiis, totiuſque vitæ commercio, vel in ſcientiis diſtincte, ordinate, eleganterque edocendis locum habet.

IIII. *Eorundemque abuſus, ac monita ad loquentem ſpectantia*. Verum ne quis vocabulis turpiter abutatur, regulas haſce præter ſoculos habeat oportet. Ac quum vel ipſe loqui, vel alios loquentes audire poſſit: ſi loquitur ipſe I. a vocabulis, queis nullæ aut nonniſi indefinitæ, incertæ, obſcuræ, translatæque notiones reſpondeant, ſe abſtineat; ſiquidem verbum, cui nulla notio certa affixa eſt, cogitationis noſtræ dici nequit ſignum: & verbo obſcuro vago atque indefinito ideam, fortaſſe longe diverſam ab ea, quam loquens exprimere velit, attribuet. Hujuſmodi porro vitium tum ex ignorantia & oſcitantia; tam etiam ex malitia ortum ducere poteſt. id vel ex eo diſcere licet, quod de Lucinio loquens S. Hieronymus habet in ep. LI. ad Theodoram Lucinii jam emortui con-

jugem : „ Lucilius noſter dignæ eloquentiæ tuba prædicari poteſt, qui ſpurciſſima per Hiſpanias, Baſilidis hæreſe ſæviente, & inſtar peſtis, & morbi, totas intra Pyrenæum, & Oceanum vaſtante provincias, fidei eccleſiaſticæ tenuit puritatem, nequaquam ſuſcipiens Armagil, Barbelon, Abraxas, Balſamum, & ridiculum Leuſiboram, ceteraque magis portenta, quam nomina, quæ, ad imperitorum, & muliercularum animos concitandos, quaſi de hebraicis fontibus hauriunt, barbaro ſimplices quoſque terrentes ſono, ut quod non intelligunt, plus mirentur „. II. In vocabulis uſurpandis communem eorundem uſum ſpectare quiſque debet; & ſi a vulgari uſu abeat, ne id monere prætereat : credere non debet in lectoribus auditoribuſque ſuis aliam præter obviam, & vulgo receptam illorum vocabulorum notionem ineſſe, ut intelligi queat. III. Vocabulum exoticum, vel dubium, ſi adhibuerit, quam illi notionem affigat, in anteceſſum præmoneat, ne lectoribus auditoribuſque moram injiciat. In crucem ſane egit ſuperiorum ſæculorum philoſophos intelligentia vocis entelechiæ ab Ariſtotele uſurpatæ. Hinc Hermolaus Barbarus, teſte Petro Critico ejus familiari ad dæmonem interpretem confugere non reformidavit. IIII. Ne tropis, rhetorumque figuris abutatur; hæc enim, quo apta ad animos percellendos ſunt, eo ad docendum minime ſunt opportuna. V. Titulos dignitatum atque officiorum omnibus qui præſunt, attribuere debet, licet eorundem mores dignitatibus, titulisque haud reſpondeant; communis namque uſus ſic fert, intuetur nempe dignitates, ac gradus potius, quam privatos hominum mores. Hinc Alexander VI. Sanctiſſimi nomine donabatur; quippe qui ſummus eccleſiæ pontifex eſſet: licet mores excelſæ ejus dignitati minime congruerent.

V. *Regulæ audientem dirigentes*. I. Cave ne putes eaſdem ſenſilium rerum notiones a pluribus hominibus quum eadem vocabula adhibent, exprimi. ex. gr. ſi adamantem, magnetem, lilium, equum cet. nominaverit imperitus homo, rem indicare ſibi in animo

 erit

erit prout ei innoteſcit ; contra philoſophus homo, iiſdem nominibus, & re atttributa, rei indigitaverit : idem dicito ſi duæ diverſæ ſcholæ philoſophi rem eandem nuncuparent, ut corpus. quod in ore Carteſiani rem ſignificat trina dimenſione præditam ; in ſententia porro G.ſſendiani impenetrabilem rem exponit. II. Ne exiſtimato vocabulis hiſce Deus, Spiritus, mens humana, eandem apud omnes notionem affigi ; aliud enim in libris paganorum ; atque aliud longe diverſum in chriſtianorum ſcriptionibus connotant. Ac ne pluribus monitis lectorem tædio afficiam, verbo dicam, in ceteris rebus ſpiritalibus, intelligilibus, atque inſenſilibus quum verba eadem à ſcriptoribus diverſis adhibentur, res admodum diverſæ non raro ſignificantur, ut virtus, vitium, juſtitia, lex, amor, cet. quæ quidem voces apud eoſdem paganos non eodem ſenſu accipiuntur. Non ſecus arbitrator evenire in rebus, vel ad religionem, ad bellum, ad veſtes, ad ludos, ad gradus, honores cet. attinentibus; quod exemplis illuſtrare ſupervacaneum duco.

VI. *Regulæ binæ loquentem, audientemque regentes.* I. Ne credas vocabulis reales exprimi eſſentias non ideales, quod in ſyſtematum vocabulis contingere ſolet, queis vulgo creditur eſſentias rerum veras, non arbitrarias dumtaxat notari. II. Ne exiſtimes notionem aliquam non poſſe aliis explicari vocabulis, quam iis quibus vulgo exponitur idque ex frequenti & continuato quarumdam vocum uſu exoriri ſolet. Hinc fit, ut quotieſcumque res eadem aliis verbis exponatur, minus moveat, quaſi eadem minime foret. fit etiam, ut credamus vocabula protuliſſe ſufficere, ut mens noſtra ab aliis teneatur. fit denique, ut iis ſubiraſcamur, qui verborum a nobis uſurpatorum finitiones quærunt ; quaſi neceſſum ſit ut ſono eidem ſignificatum eundem omnes affigant. Atque hæc de præcipuis vocabulorum abuſibus dicta ſunto : Lockium lib. 4. de intell. human. adire poteſt, (obtenta Eccleſiæ venia) qui fuſiorem abuſuum verborum tractatum cupit.

VII. *Cum antecedentibus connexio*. Nihil ad confuſionem in dicendo, audiendoque vitandam definitione ac diviſione utilius, inveniri poteſt; quippe, quæ res enucleent, exponantque. Cur vero hoc in loco, de hiſce agatur, ſi quæris: cauſſa in promtu eſt. nam definitio una notio eſt, quæ pluribus vocabulis exponitur ſine ullo enunciandi judicio; diviſio vero rem unam, ſive unam notionem in plures partitur, pluribuſque verbis explanat; quare neminem eſſe, qui non videat, arbitror, cur in tractatu idearum ac vocabulorum eis locus concedatur.

VIII. *Definitio quid; ejuſque multiplex Species*: Definitio, ut in Orat. c. xxxiii. Cicero tradit, eſt Oratio, quæ, quid ſit id de quo agitur, oſtendit quam breviſſime. Duplex eſt nominis, & rei. Nominis definitio eſt, quæ, quid per vocem aliquam intelligatur, patefacit. Quocirca longe opinione ſua falluntur, qui putant omnia verba in diſputatione adhibenda eſſe in anteceſſum finienda. Sunt enim, quædam verba frequenti uſu notiſſima, quæ, ut intelligantur, definitione non indigent. Quare Euclides æquale, majus, minus, totum, partem non definiit Rei porro definitio eſt, quæ rem ipſam, ejuſque naturam, & eſſentiam in aperto ponit. Nominis definitio triplex eſt. Prima quum obſcurum verbum, per alia clariora dilucidatur. huc ſpectat Ciceronis illud in orat. pro Cæcin. cap. xvii. „ dejectum eſſe qui in inferiorem locum de ſuperiore motus eſt „. Secunda quum quis exponit, ſenſu vocem aliquam, vel ſibi, vel arti ſuæ propriam adhibere velit; ſic faciunt vel facere debent, qui de Alchimia, Cabbala, atque id genus aliis ſcribunt. Hinc Quinctilianus lib. vii. c. iii. „ opus eſt aliquando, ſcribit, finitione obſcurioribus, & ignotioribus verbis, ut quid ſit clarigatio „. Tertia, quum verbum per dictiones, a quibus oritur, explanatur. Hinc illud Cottæ apud Ciceronem de natur. deor. lib. iii. c. x. „ Verſutos eos appello, quorum celeriter mens verſatur; callidos, quorum tanquam manus opere, ſic animus uſu concalluit „. Rei porro definitio quadruplex eſt. Prima eſt, quæ

rem per ejus naturam, & eſſentiam declarat: in ſcholis appellitatur eſſentialis, & metaphyſica; eſtque omnium perfectiſſima proximo genere propriaque differentia conſtat; ut homo eſt animal rationale. Hinc liquet cur Deus minime finiri queat; quia quum ejus natura ſimpliciſſima ſit, per genus, & differentiam explicari nequit. deſcribitur per effecta, quæ an ſit, non quid ſit, oſtendunt. Secunda eſt, quæ rem per cauſſas patefacit ac tot fieri poteſt modis, quot cauſſæ ſunt: exemplum præbeo definitionis ductæ ex cauſſa inſtrumentali, quæ ad efficientem referri poteſt; ut eloquentia eſt facultas dicendi ſtudio, & exercitatione comparata. Tertia eſt, quæ rem manifeſtat per proprias affectiones, quæ rei naturam definitæ non conſtituunt, ſed tamen neceſſario comitantur; ut quum finitur homo animal ridendi, & admirandi capax. Quarta ea eſt, quæ rem explanat per communes attributiones, quæ licet ſeparatæ in aliis quoque rebus inveniantur, tamen conjunctæ ſimul, niſi in re definita, haud reperiuntur; ut hæreditas eſt pecunia, quæ morte alicujus ad quempiam pervenit jure, nec ea aut legata teſtamento, aut poſſeſſione retenta. Plures ex his affectionibus non hæreditati ſolum communes, ſed aliis quoque rebus ſunt: omnes, vero ſimul conjunctæ ſoli hæreditati conveniunt. Cujuſmodi definitio potius deſcriptio, quam definitio appellanda eſt. hinc oratores, poetæ, & hiſtorici hoc definiendi genere utuntur. His quoque adnecti poteſt, ea definitionis ſpecies, quam recenſet Wolfius p. 1. Log. §. 105. atque genericam nuncupat; eſt ea quæ rem exponit modum determinando, quo res ipſa fit, vel fieri valet; ut quum circulus finitur figura plana genita, ex completa revolutione lineæ rectæ in eodem plano exſiſtentis circa alterum ſui, extremum penitus immobile. Ex quibus omnibus liquido apparet nullam rem niſi prius nobis nota ſit, a nobis finiri poſſe. Quare inepte definitio, modus ſciendi, & medium acquirendi ſcientiam a ſcholaſticis appellatur.

VIIII. *Perfectæ definitionis canones*. Jam vero opti-

optimæ definitionis regulæ præcipuæ ſunt. I. Definitio clarior re definita eſſe debet; quare in definitionibus conficiendis verba nota, aut prius explicata adhibenda ſunt. II. Definitum non ingrediatur definitionem oportet: ſecus idem per idem exponeretur qui hoc pacto in definiendo peccant, circulum agere dicuntur. III. Definitio preſſa ac brevis eſſe debet, modo neceſſaria non deficiant. quod fiet „ ſi vis ejus rei, ut ait Cicero lib. II. de orat. c. XXV. quam definias, ita exprimatur, ut neque abſit quidquam neque ſuperſit. De logica autem definitione, non jam de oratoria hoc dictum puta. Hinc idem Cicero lib. laud. c. XXXIII. „ Erit hæc facultas in eo, quem volumus eſſe eloquentem, ut definire rem poſſit; neque id faciat tam preſſe, & anguſte, quam in illis eruditiſſimis diſputationibus fieri ſolet; ſed quum explanatius, tum etiam uberius, & ad commune judicium popularemque intelligentiam accommodatius „. IIII. Definitio ita rei definitæ propria ſit, ut cum illa reciprocetur; ex. gr. quiſquis eſt homo, animal ſit ratione utens: quicquid eſt animal ratione utens ſit homo. Hinc illa vulgata axiomata: „ Cui convenit definitio, convenit & definitum. Cui repugnat definitum, repugnat definitio „. V. In eſſentiali rerum definitione genus proximum, & ultima differentia adhibenda ſunt quippe attributa hæc rem immediate conſtituunt. hinc Logicis definitionis definitio, hujuſmodi eſt: oratio conſtans ex genere, & differentia, per quam reſpondetur interroganti, quid res ſit. VI. Si rem per attributa communiter finiendam ſuſcipis, tot ex illis in definitione enumerare debes, quot ſumta ſimul nonniſi rei definitæ convenire poſſunt, & inſunt reipſa. Fuſe, & accurate hac de re agit doctiſs. auctor Artis cogitandi p. I. c. XI. XII. & XIII. p. II. cap. XI. & XII. ex p. IIII. c. IIII. & V. quem, qui valet, conſulat.

X. *Quid diviſio, & quotuplex*. Reliquum eſt, ut ſermonem de diviſione habeamus. Ac primum diviſio generatim accepta eſt alicujus rei univerſalis in plures particulares ſolutio. Eſtque vel nominis, vel

rei.

rei. Nominis diviſio, ſive rectius diſtinctio eſt ambiguæ vocis in partes, quas ſuæ ſignificationis ambitu complectitur reſolutio, & explanatio; ut quum canis bina ſidus, & animal denotare dicitur. Rei porro diviſio eſt totius rei in ſuas partes diſtributio. Totum duplex eſt: logicum ſive univerſale, & phyſicum, ſive ſingulare: logicum partes habet ſibi ſubjectas, quas poteſtate quadam continet; ut animal quod in hominem, & belluam partitur. phyſicum, vero partes habet, ex quibus reipſa componitur: quæ quidem partes, vel ad ſubſtantiam ejus pertinent ut anima, & corpus in homine; vel ad quantitatem ut quum idem ex capite, ventre, & pedibus conſtare dicitur. Hæc proprie partitio nuncupatur. Hinc Tullius in Topic. c. VII. „ In partitione quaſi membra ſunt, ut corporis caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, & cetera. In diviſione formæ ſunt, quas Græci ἰδέας vocant; noſtri ſi qui forte hæc tractant, ſpecies appellant „. Porro Totum vel quatenus genus conſideratur, & in ſuas ſpecies dividitur; ut virtus in prudentiam, juſtitiam cet. vel quatenus ſubjectum, & in ſua accidentia, ſive modos, ut homo doctus, aut indoctus, vel quatenus accidens, & per ſubjecta ſua; ut bonum, vel animi, vel corporis eſt: vel quatenus effectum, & per ſuas cauſſas; ut ſacra Scriptura, vel prophetica, vel apoſtolica eſt: vel quatenus cauſſa, & per ſua effecta; ut verbum Dei aliud peccata arguit, ut lex; aliud peccatores erigit, ut evangelium: vel quatenus cauſſa, & per ſua objecta; ut amor vel eſt Dei, vel ſui ipſius, vel proximi.

XI. *Rectæ diviſionis leges*. Jam regulæ in diviſione ſervandæ ſunt. I. Oportet, ut totum diviſum qualibet ſui parte ſejunctim accepta majus ſit: & omnes partes ſimul acceptæ ipſi toti æquales ſint, ſive totum ipſum comprehendant; quare recta minime foret orbis terrarum diviſio in Aſiam, Africam, & Europam, excluſa America, quippe partes illæ tres ſimul acceptæ totum haud æquarent. II. Pars una alteram non includat neceſſum eſt. Itaque peccaret, qui ita divideret: tres ſunt res, quæ omnes homines

ſol-

ſollicitant, metus, cupiditas, ægritudo; ſiquidem cum metu, & cupiditate ægritudo conjungitur. Eſt hujuſmodi partitio in lib.auct. Herenn. cap.xxi. III. Fieri debet in immediata; & quantum fieri poteſt, oppoſita, id eſt, ut inter totum atque illa membra, nullum ſit aliud intermedium membrum: ut omnis numerus, vel eſt par, vel impar. Ac male animal in hominem, leonem, & canem tribueretur; quippe immediata ejus membra ſunt homo, & bellua; leo vero, & canis partes belluæ ſunt immediatæ, animalis mediatæ. IIII. Opus eſt, ut membra non ſint nimis multa; nam confuſionem parerent: nec adjumento, ſed detrimento nobis diviſio foret. Recte ep. LXXXVIIII. „ Dividi illam, non concidi utile eſt. Nam comprehendere, qnemadmodum maxima, ita minima difficile eſt. Deſcribitur in tribus populus, in centurias exercitus. Quicquid in majus crevit, facilius agnoſcitur, ſi diſceſſit in partes: quas ut dixi, innumerabiles eſſe, & parvas non oportet. Idem enim vitii habet nimia, quod nulla diviſio. Simile confuſo eſt, quidquid uſque in pulverem ſectum „.

XII. *Diviſionis laus*. Denique quanta ſit diviſionis utilitas, vel ex eo diſcere licet, quod Socrates apud Platonem aſſerere non veritus ſit, nihil ſibi dividendi peritia divinius videri; & ſi quem dividendi peritum offendiſſet, ejus quaſi Dei cujuſdam ſe veſtigia fore ſecuturum. Omnibus itaque ingenii viribus enitendum eſt, ut non ſolum rerum diviſiones, ſed etiam definitiones ſint accuratæ, ac perfectæ, exinde ſiquidem plurimus in veſtigandæ exponendæque veritatis negotio ſplendor dimanat. Satis longum diviſionum, ſive potius diſtinctionum ſcholaſticarum catalogum ex F. Joſephi Ant. Ferrari Conventualis Logica excerptum inferne attexendum operæ pretium putavi, ut Scholaſtica, quum occurrant, facilius percipiantur. (*a*)

(a) „ *Ad ſe*, & *ad aliud*. „ *Ad ſe nimirum quod ad ſemet referri intelligitur*. *Ad aliud*, *quatenus ad alterum refertur*. *Ita Deus eſt ad ſe: Creatura vero ad Deum, quatenus creatura eſt refertur*. „ *In actu primo*,

& in

& in actu ſecundo ,, . Primum denotat rem dumtaxat in virtute ſuæ cauſſæ exſtare; ſive potius ſolam virtutem cauſſæ effectum valentis producere ſignificat. Alterum indicat rem exſtare reapſe extra ſuam cauſſam. ,, In actu, & in potentia ,,. Quod reipſa exſiſtit, vel ſit in actu; quod fieri poteſt in potentia eſſe dicitur. ,, Arithmetice ,, idem ac ad æqualitatem ſignificat. ,, Geometrice ,, aliquam habere deſignat.

,, Cauſſa in actu primo, & cauſſa in actu ſecundo ,, . Priori ſenſu, cauſſa ſecundum ſuam agendi facultatem conſideratur: poſteriori quatenus reapſe operatur ,, . Conſequentia materialis, & formalis ,, . Prima eſt, quando illatio admittenda eſt propter materiem, ex qua deducitur; nec vera eſt. Altera eſt, quæ vi rectæ argumentationis ex præmiſſis deſcendit. ,, Conceptus formalis, & objectivus. Ille ſignificat ipſam mentis perceptionem, quatenus, eſt actus mentis; iſte objectum denotat ab idea repræſentatum.

,, Dici de omni, & dici de nullo ,, . id eſt quicquid de toto logico affirmatur, de qualibet ejus parte affirmari valet, & quicquid, de toto logico negatur, de qualibet ejus parte negari poteſt. ,, Directe, & indirecte, in recto, & in obliquo ,, . Primum per ſe, & immediate: alterum ex accidenti, & alterius gratia ſignificat.

,, Effective, directive ,, . Illud eſt, quum veluti efficiens: hoc quum veluti dirigens cauſſa operatur. ,, Eſſe ſimpliciter, & ſecundum quid. Primum veram exſiſtentiam, alterum ſolam poſſibilitatem indicat.

,, Evidentia conſequentiæ, & conſequentis ,, . Prima eſt cognitio clara, & manifeſta, qua intelligimus veram, & legitimam eſſe illationem unius ex altero. Secunda eſt cognitio clara, & manifeſta, qua percipimus propoſitionem; ex altera elicitam eſſe veram in ſe ſe.

,, Formaliter, & concomitanter ,, . Primum aliquid eſſe ex ſe ſe tale; alterum aliquid rei cuipiam convenire ex conſequenti, & alterius gratia denotat ,, . Formaliter, & eminentialiter ,, . Illud ſecundum ipſammet formam ſeu affectionem, & reipſa: hoc quatenus unum altero

per-

perfectius eſt, & illud eminenter continere ſignificat.,, Formaliter & identice ,,. Primum idem ac in notione eſſentiali deſignat: alterum meram identitatem realem indicat ,, Formaliter, & materialiter ,,. Primum ſignificat quidpiam alicui convenire propter formam ipſius; non vero tantummodo propter ſubjectum formæ. Ita dicimus doctorem docere quatenus doctrinam habet. Alterum indicat ipſum; ut quum dicimus Muſicum aliquem eſſe Logicum; id enim verum eſt tantummodo pro materiali, quatenus ſubjectum ſive homo, qui Muſicæ peritus eſt callet etiam aliquando logicam facultatem. ,, Formaliter & præſuppoſitive ,,. Illud præ ſe fert unum eſſe idem cum altero in eſſentia, ſeu in notione ipſa eſſentiali. Iſtud ſignificat, unum cum altero connexionem habere, quatenus ſuapte natura. hoc ipſum præſupponit. ,, Falſitas complexa, & incomplexa ,,. Prima eſt quum judicium a vero alienum eſt: ſecunda quum idea objecto, quod refert, minime conformis eſt.

,, Infinitum categorematice, & ſyncategorematice ,,. Utrumque tot numero partes continet, ut earum ultima per enumerationem nullatenus deſignari queat. At primo repugnat quæcunque additio, non item ſecundo. ,, Intenſive; & extenſive ,, Illud qualitatis augumentum in eadem ſubjecti parte ſignificat: iſthoc quantitatis incrementum in diverſa ſubjecti parte. ,, Intentive & exſecutive ,,. Primum alicujus rei efficiendæ propoſitum; Alterum propoſiti exſecutionem deſignat. ,, In ſe; & quoad nos ,,. Alterum quum res conſideratur ſecundum ſuam naturam & affectiones; alterum prout nobis innoteſcit, deſignat. ,, Intuitive & abſtractive ,,. Primum dicitur, quum rem præſentem propriis oculis intuemur: ſecundum dicitur, quum res cognita minime præſens eſt.

,, Motive, & terminative ,,. Quod intellectum movet excitatque ad ſui cognitionem, motive; ſi vero unice cognoſcatur gratia alterius, terminative tantum cognoſci dicitur.

,, Neceſſitas abſoluta & conditionata ,,. Illa dicitur etiam antecedens, ſimpliciter, atque ea eſt quæ noſtræ libertatis uſum antecedit, oriturque a cauſſa nobis neu-

ti-

tiquam libera. Hæc liberam noſtræ voluntatis determinationem ſequitur; naſciturque a cauſſa nobis libera; cenſequens, & ſecundum quid etiam nominatur. „ *Negatio extra genus, & intra genus* „. *Prior eſt, quæ nullum ſubjectum indicat; ut quum dico, non ens, ſeu nihil. Poſterior ſubjectum aliquod deſignat; ut quum dico, non album.* „ *Negatio ſimpliciter, & ſecundum quid* „. *Prima eſt reipſa a ſubjecto ſuo indiſtincta, a quo nullatenus ſeparari valet; ut negatio materiæ in Angelo ſecus ſe habet altera, ut negatio alboris in pariete.* „ *Nominaliter & verbaliter* „. *id eſt per modum nominis, & per modum verbi.*

„ *Objective, ſubjective, & effective* „. *Illud in intellectu eſſe objective dicitur, quod ab intellectu cognoſcitur, ſive id cujus idea in intellectu ineſt. Subjective vero tunc quicquam in intellectu eſſe dicitur, quum intellectus quatenus ſubjectum, cui res illa inhæret, conſideratur. Effective veram efficientiam denotat, qua res aliqua ab alia producitur.* „ *Objective & entitative* „. *Illud de re dicitur, quatenus in mente eſt. hoc rem ſignificat, prout eſt in ſeſe.*

„ *Per exceſſum perfectionis, & per modum incluſionis, ſive per exceſſum & continentiam* „. *Priori ſenſu unum altero perfectius dicitnr, quatenus perfectione ſua illud ſupereminet; ſic Angelus homini præſtat. Poſteriori ſenſu res perfectior imperfectiorem dicitur continere, adeo ut illa valeat iſtius effecta producere. Quod biſariam intelligi poteſt; nam, vel res perfectior imperfectiorem reapſe continet, & entitate, ut ajunt; quo pacto quantitas infinita in ſeſe omnes quantitates palmares continere deberet: vel res perfectior virtute ſua imperfectiorem continet, quatenus etiam ſola facultatem habet eos omnes effectus præſtandi, quos res imperfectior patraret; ſic Deus opificia ſua, ſive creaturas continet.* „ *Phyſice & moraliter* „. *Illud phyſicam actionem ſive influxum; hoc conſilium, juſſionem ex qua effectus ſequitur, denotat.* „ *Potentia phyſica & logica* „. *Illa de re dicitur, quæ fieri reapſe valet; hæc de re dicitur, quæ ſuapte natura fieri non repugnat; tametſi alia obſtent, ne reipſa fiat.*

Quan-

„ *Quantitate virtutis & molis* „. *Primum agendi facultatem; ſecundum extenſionem corpoream deſignat*,„ *Quantum & non quantum* „. *Illud perfectum; hoc non perfectum ſignificat*.

„ *Realitas objectiva & ſubjectiva* „. *Illa eſt prædicatum metaphyſicum ſola ſua eſſentiali notione definitum, & a modo exſiſtenti abſtrahens. Iſta prædicatum metaphyſicum cum exſiſtendi modo, innuit*.

„ *Reduplicative & ſpecificative* „. *Primum indicat prædicatum ſubjecto convenire, quatenus tale eſt. Alterum oſtendit prædicatum ſubjecto convenire, non quatenus tale eſt, ſed velut ex accidenti*.

„ *Senſus compoſitus, & diviſus* „. *Ille conjunctionem antecedentis cum conſequenti portendit. hic vero hujuſcemodi conjunctionem minime exſtare demonſtrat*.„ *Secundum quid diſtrahens & ſecundum quid diminuens* „. *Prius veram vocis ſignificationem omnino aufert: poſterius hanc minuit & coarctat*. „ *Signate & exercite* „. *Primum ſignificat quidpiam futurum eſſe, ſive actionem aliquam eſſe aliquando efficiendam. Secundum ipſam actionem ſive exercitium vis operatricis*.

„ *Ut quo, & ut quod* „. *Illud formam deſignat, quæ alteri determinationem tribuit; vel facultatem, qua quis operatur, indicat. Hoc denotat id quod denominationem accipit, ſeu quod reipſa agit*. „ *Unum formaliter & entitative* „. *Ea unum formaliter dicuntur, quæ eadem natura, ſive prædicatis eſſentialibus ejuſdem rationis conſtant. Unum autem entitative eandem omnino dicit, & indivulſam prædicati entitatem. Atque hactenus de perceptione ideis, & vocabulis; nunc tertium aggrediar librum, qui totus in judicio, enunciatione, & arte critica verſabitur*.

ELE-

ELEMENTORUM
ARTIS RECTE RATIOCINANDI

LIBER III.

De judicio, enunciatione, & arte critica.

Quæ huc uſque ſuſo calamo ſum proſequutus eo ſpectant, ut judicium ſerre quiſque valeat; etenim niſi probe nobis innoteſcant rerum attributa ac proprietates, & clare diſtincteque a nobis ſint percepta, nullo pacto de rebus judicare queamus. Siquidem quum in judicio ſubjecta cum attributis copulentur, niſi ſeorſim ſerio expendantur, facili ratione ea conjungemus, quæ haudquaquam erant copulanda. Hinc factum eſt ut in ſuperiori libro quæ ad rectam rerum perceptionem attineat, diligenter verſaremus. Jam accurate agendum nobis eſt de judicii natura, atque indole, de ejus ſigno, de enunciatione videlicet; atque de arte critica, quæ plurimum adjumenti humani intellectus imbecillitati, in ferendo de rebus quibuſvis judicio, affert.

CAPUT I.

Judicii natura in aperto ponitur: intellectus non autem voluntatis fœtus eſſe oſtenditur: Carteſianorum difficultates enodantur. Judicii ſimplicitas demonſtratur; atque objectionibus adverſariorum reſpondetur.

I. *Judicii natura enucleatur.* JAm in I. horumce elementorum libro c. I. n. VIII. judicium definivi mentis actum, quo binas notiones accurate perceptas inter ſe comparat, eaſque vel ajendo conjungit, vel negando divellit; ut corpus eſt iners; anima non eſt mortalis. Ea vero ſuper re Genuenſis ſecus ac ceteri Logici, opinatur: „ Judicium, inquit Artis Log. lib. I. c. 1. §. 9. eſt clara duarum, vel plurium idearum, & relationis convenientiæ, vel diſconvenientiæ, quæ eſt inter eas, vel inter eas, & objecta, quæ referunt, intelligentia; velut quum intelligimus, conferimuſque inter ſeſe ideas trianguli, & quadrati, earumque convenientiam, vel diſconvenientiam intuemur clare, aut quum ideas externarum rerum ad ſua objecta referimus. Quod ſi eam convenientiam, vel diſconvenientiam minime, aut ſaltem non clare intuemur, non illud judicium, ſed aut fides, aut dubitatio, aut opinatio dicetur, qua de re ſuo loco plenius. Quolibet judicio affirmamus aliquid, aut negamus: affirmatio autem, aut negatio, quæ fit intellectu, non differt ab ipſa clara perceptione convenientiæ, aut diſconvenientiæ idearum „. Ex quibus poſtremis verbis intelligimus per Genuenſem minime diſtingui claram intelligentiam convenientiæ, vel diſconvenientiæ idearum ab affirmatione, aut negatione mentis. Verum hæc duo diſtinguenda eſſe poſt communem philoſophorum opinionem arbitramur. Quod patebit clarius, ſi quo pacto mens ſe gerat in ferendo de rebus judicio, exponemus. Ac primum mens illas binas notiones, quas vult vel ajendo copulare, vel negando diſtrahere accurate perpendit, deinde eas

O in-

inter ſe ſe confert; nam ſi minime iſthæc collatio fieret, haudquaquam valeret mens cognoſcere, utrum una alteri conveniat, aut non conveniat. denique percepta earundem convenientia, vel diſconvenientia affirmat, vel inficiatur. A cognitione ergo convenientiæ, vel diſconvenientiæ, affirmationem, negationemque ſecernamus oportet. Quum vero ſæpe uſu veniat, ut de rebus judicium feramus, haud expenſa earundem natura, inde fit ut falſum ſtultumque ſit judicium illud noſtrum. His itaque præjactis ad binas quæſtiunculas, quæ ſuper judicii natura a philoſophis moveri ſolent, gradum facio. Quocirca mens noſtra quæ ſit, duæ enunciationes aperient; quarum 1. ſic habet.

II. *Enunciatio* 1. *Judicium eſt intellectus, non voluntatis opus*. Carteſium, Malebranchium, Purchotium, atque alios iſtorum aſſeclas ferit. I. Si intellectus noſtri objectum eſt veritas, & in ejus poſſeſſionem venimus ope idearum, ratiocinationum, ac præcipue judiciorum; judicia ad intellectum pertinere, non autem ad voluntatem fatendum eſt: atqui utraque propoſitionis conditio eſt vera: ergo judicia ad intellectum pertinent. Prima conditionis pars apud omnes philoſophos certa eſt: altera porro pars itidem firma ſte; ſiquidem falſum adeo eſt poſſe nos veritatem ſola idearum ope nanciſci, ut philoſophi non deſint, qui veritatem falſitatemve ideis minime convenire poſſe opinentur. contra judicii proprietates eſſe veritatem & falſitatem inter omnes conſtat; neque ipſis Carteſianis ringentibus. Conceſſis ergo præmiſſis, conſecutio detur oportet. II. Ea noſtri animi facultas, quæ voluntas nuncupatur non neceſſario, ſed libere agit; ut in comperto apud omnes eſt; in Carteſii autem ſententia, ex clara diſtinctaque cognitione judicium aſſentiens neceſſario ſequitur. „ Omnium animis, inquit, part. I. Princip. n. XLIII. a natura impreſſum eſt, ut quoties aliquid clare percipimus, ei ſponte aſſentiamur, & nullo modo poſſimus dubitare, quin ſit verum „. Judicium ergo voluntati adſcribi haud poteſt. III. Si voluntati, non autem intel-

le-

lectui attribuendum eſſet judicium, eique attribuenda forent ſcientia, opinio, & fides, quæ tria omnia vel antecedunt, vel comitantur, vel conſequuntur judicia: atqui, ut ſcientiam, opinionemque mittam (quæ nemo ſanæ mentis ad voluntatem attinere dixerit) fides in intellectu inſidere debet ſecundum Apoſtolum ajentem Hebr. c. XI. v. III. „ fide intelligimus, aptata eſſe ſæcula verbo Dei „. Contra ac contendit Calvinus lib. III. Inſtit. c. II. §. 8. „ aſſenſionem fidei cordis potius eſſe, quam cerebri; & affectus magis, quam intelligentiæ. Quocirca Bellarminus de juſtif. lib. I. c. IIII. in eo ab Hæreticis Catholicos diſcrepare ait, quod „ illi fidem collocant in voluntate . . . Catholici fidem in intellectu ſedem habere docent „. Ergo ſi fidei judicium, quod ex voluntatis imperio captivantis intellectum in obſequium fidei procedit, ad intellectum ſpectat; quanto magis cetera judicia, quæ nullo voluntatis nutu efficiuntur? IIII. Non poſſumus veterem exuere opinionem, novamque induere ſine valida ſufficientique ratione: atqui Carteſius nullam attulit ſolidam rationem ad evincendum „ cupere, averſari, affirmare, negare, dubitare eſſe diverſos volendi modos „. ergo a recepta vulgo opinione, quod judicium ſit intellectus noſtri fœtus, recedere nequimus.

III. *Reſpondetur objectionibus*. I. Purchotius part. ſecund. metaph. ſect. III. c. V. poſt reliquos Carteſianos ſic argumentatur: actus voluntatis ad voluntatem, non ad intellectum pertinet: atqui judicium eſt actus voluntatis; eſt enim affirmatio veri, vel negatio falſi, ſive eſt aſſenſus, vel diſſenſus, quo voluntas aliquid approbat, vel improbat; ſive quo ſeſe in partem affirmantem, vel in partem negantem, prout ideæ aut conſentaneæ, aut diſſentaneæ ſunt, inflectit. ergo judicium ad voluntatem, non ad intellectum proprie pertinet. Reſp. Data propoſitione, aſſumtio negatur. Nam etſi mens ex judiciis conſentiat, diſſentiatve: judicium tamen ſemper antegreditur conſenſum, vel diſſenſum. Quod ſi affirmationem, & negationem conſenſus, diſſenſuſve nomine do-

 nare

nare velint Carteſiani, per me eis liceat: modo & mihi dent vocabula iſthæc conſenſus, diſſenſus, fuga, proſecutio, approbatio, reprobatio, & hujuſmodi alia quum intellectui, tum voluntati convenire poſſe, prout materia in qua facultas verſatur, diverſa eſt. Hinc ſi bonum ſpectabunt, ad voluntatem; ſi autem verum, ad intellectum pertinebunt.

IIII. *Objectio II.* Judicium ſemper eſt voluntarium, adeoque ad voluntatem pertinens, ſi cum voluntatis propenſione, vel ex libera determinatione fit: atqui judicium omne fit ſemper cum voluntatis propenſione, & aliquando etiam libera determinatione, ſive ex electione. Nam vel connexio, aut ſeparatio ſubjecti & attributi eſt evidens; tumque voluntas in affirmationem, & negationem fertur, licet neceſſario non ex libera determinatione judicet: vel iſta connexio paullo eſt obſcurior: & tum voluntas ex electione ſeu libera determinatione affirmat, aut negat, ut in judiciis temerariis accidit. ergo judicium ſemper eſt voluntarium, adeoque ad voluntatem pertinens. Reſp. Negatur propoſitio. ſiquidem etſi voluntas intellectum judicare jubeat, re, de qua judicium fertur, perpenſa ac percepta, vel haud excuſſa atque intellecta; non ſequitur tamen judicium eſſe voluntatis operationem; quæ res fuſiori explicatione, utpote clara, minime indiget. Aſſumtio nihil contra noſtram theſim evincit, quippe quæ intellectum, cujus eſſe operationem judicium tuemur, voluntati parere oſtendat potius, quam judicium ad voluntatem pertinere. Denique falſa eſt complexio: adeoque judicium ad voluntatem pertinet.

V. *Objectio III.* Judicia ſunt libera; ergo ad voluntatem pertinentia. Probatur antecedens: nos temere judicare vetamur; adeoque valemus ab judiciis temerariis abſtinere. antecedens ergo verum. libertas porro ad voluntatem non ad intellectum attinet. Reſp. Antecedens ſecundum datur, conſequens negatur. Etenim intellectus judicia procudit voluntatis imperio. quare voluntatis vitio vertitur, ſi minus recte mens judicet, quum ipſa præcipiat, ut mens temere

mere

mere ſe gerat. Hinc e contrario fidei actus, licet intellectus, non voluntatis ſint: meritorii tamen ſecundum Theologos dicuntur, non quatenus ſint aſſenſus veritati revelatæ; ſed quatenus a pia voluntatis affectiones, quæ intellectum captivat in obſequium fidei, imperantur. Atque hæc de prima quæſtiuncula: ad alteram nunc veniendum.

VI. *Enunciatio* II. *Judicium eſt ſimplex mentis actus ex pluribus perceptionibus minime compoſitus.* Oſtenditur I. Si judicium foret quicquam ex pluribus ideis conflatum, nec ſimplex mentis actus: minime dari poſſent plures ideæ ſubjecti ſcilicet, prædicati, & copulæ, quin judicium daretur: id autem evenire fatendum eſt tum, quum judicium noſtrum ſuſpendimus: judicium ergo eſt mentis actus ſimplex longe ab idearum plurium aggeſtione diverſus. II. Quemadmodum perceptio ratione ortus ſui ſimplex eſt, ut quæ actus eſt facultatis ſimplicis ac ſpiritalis: ita & judicium eſſe debet ſimplex actus. Nec dicere valet ex perceptionibus pluribus conflari: nam ſicuti perceptio quoties res percepta compoſita eſt, ut exercitus, plebs, turba, compoſita licet improprie dicitur ratione objecti percepti: ſic & judicium per me liceat, dicatur compoſitum ratione rei judicatæ, quæ ſemper pluribus ideis, ſaltem duabus conſtat. At detur quoque mihi decet, minus recte, improprie compoſitum appellari; quum ratione naturæ ſuæ, & ortus ſui ſit ſimplex mentis operatio, quæ ex rebus pluribus conflari minime valet.

VII. *Reſpondetur aliorum objectamentis.* I. In eo ab angelorum judicio noſtrum abludit, quod hoc ſit ex pluribus notionibus compoſitum; illud vero ſimplex: ergo &c. Reſp. Negatur antecedens. Nam in eo utriuſque judicii diſcrimen ſitum eſt, quod angelicum judicium diſtinctas ideas præjactas plurimum non requirit, contra ac noſtrum. II. Externa enunciatio eſt quid ex pluribs verbis compoſitum: ergo & interna, id eſt judicium; quippe eadem eſt utriuſque natura. Reſp. Inficior conſequens. Verbum enim mentis longe eſt verbo ore prolato ſimplicius.

Nam illud ex mente proficiſcitur, quæ facultas eſt ſimplex & ſpiritalis: hoc vero ex phantaſia; quippe voces in ea ſunt impreſſæ, quæ corporea & compoſita eſt. III. Si apprehenſio eſt compoſita, cur non etiam judicium? Reſp. Apprehenſionem reſpectu objecti, quum rem ſcilicet compoſitam percipimus, compoſitam dici; non vero ratione ortus ſui, atque ſuapte natura. Quare nulla revera datur perceptio complexa; adeoque nec judicium. Inſtant. Nullum dari valet judicium ſine ſubjecti, attributi, & copulæ perceptione: quidquam ergo ſimplex eſſe nequit. Reſp. Conſequens abnegatur. Judicium enim iis notionibus minime componitur, ſed eas dumtaxat, neceſſario licet, requirit. IIII. Quælibet res eſt id ex quo componitur: atqui judicium ex ideis componitur: ergo nihil eſt aliud, quam res ex pluribus ideis conflata. Reſp. Data propoſitione, negatur aſſumtio. Etenim notiones haud ſunt materies, ex qua judicium conflatur: verum id, in quo judicium verſatur, eas, vel connectendo, ſi bene conveniunt, vel divellendo ſi diſconveniunt: Non poteſt ergo recte dici judicium ex ideis componi. Ita medicinam, quæ in morbis verſatur, nemo ex morbis conflari aſſereret. Ad hæc affirmatio, ac negatio, queis notiones vel conjunguntur, vel disjunguntur, judicii forma nuncupantur. Conſulat, qui velit, Purchotium p. II. Log. c. 1. Hamelium p. II. Log. diſp. 11. quæſt. prim. & Sancheſium Aſſert. Log. & Met. part. alt. theſ. ſec. qui iſthæc verſant. Regulas porro in ferendo de rebus judicio ſervandas nullas huc loci exhibeo, quum in I. libro materiam hanc ſatis ſuperque pertractarim.

CA-

CAPUT II.

Enunciationis natura explicatur; quæ primum ratione materiæ, vel neceſſaria, vel contingens, vel poſſibilis, vel impoſſibilis cet. eſt; deinde ratione formæ, vel ajens; vel negans eſt; tum ratione quantitatis, vel univerſalis, vel particularis, vel ſingularis, vel indefinita eſt; poſtremo ratione qualitatis, vel vera, vel falſa; & ratione modi, vel abſoluta, vel modalis eſt. Huic enunciationis diſtributioni ſubtexuntur ejus proprietates.

I. *Enunciatio quid, & quot partibus conſtet.* ENnciatio, vulgo propoſitio, græce ἀπόφανσις eſt oratio ab hominibus ad judicium exprimendum inſtituta: ſive cum Ariſtotele Prior. Anal. I. cap. 1. „eſt oratio affirmans, vel negans aliquid de aliquo„. Oratio porro dicitur quælibet dictionum compoſitio ad oſtendendam quandam animæ cogitationem, vel cogitationis modum ordinata. Duo quippe ſunt in cogitatione diſtinguenda, cogitatio ipſa, & cogitationis modus. Cogitatio eſt vel perceptio, vel judicium. Utriuſque objectum ſunt res, rerumque modi & attributa. mens percipiendo res tantum cognoſcit, judicando unam de altera ait, vel negat. Quare perceptio nominibus, judicium vero verbis exprimitur. Cogitationis autem modus eſt quælibet mentis affectio, quæ cogitationem, id eſt perceptionem, judiciumque comitatur; ut juſſio, admiratio, cet. hinc alia eſt oratio imperativa, ut ſta ſol; alia admirativa, ut Deus bone! alia optativa, ut ſalvus ſis. Præcipua autem orationis ſpecies eſt enunciatio ſeu propoſitio quæ tribus dumtaxat partibus conſtat (etſi P. Fromondus in Introduct. ad philoſ. §. 37. quinque partibus omnem enunciationem conſtare velit) ſubjecto, attributo ſive prædicato, ac verbo, copula, quam formam etiam appellant. Hæc tria vocabula jam ſupra explanavimus. Hæ porro partes vel omnes ex-

primuntur, & propoſitio vacatur de tertio adjacente, ut Deus eſt omnipotens: vel non omnes exprimuntur; ſed aut prædicatum, aut ſubjectum ſub verbo continentur, & de ſecundo adjacente nuncupatur, ut ego cogito, quo in verbo prædicatum latet; nam cogito idem ac ſum cogitans, valet: vel denique tam ſubjectum, quam prædicatum verbo includuntur, ac de primo adjacente in ſcholis vocitatur, ſed improprie, quia verbum adjacere duo ſaltem connotat, quorum unum alteri adjaceat. Quare apud Ariſtot. lib. de interpr. c. x. ubi de propoſitionibus ſecundi, & tertii adjacentis agitur, nulla fit mentio propoſitionum de primo adjacente (*a*).

II. *Multiplex enunciationis partitio, ac primum ratione materiæ*. Jam enunciatio, vel ratione materiæ, vel formæ, vel quantitatis, vel qualitatis dividitur. Enunciationis materia duplex eſt; vel enim ea eſt, in qua enunciatio verſatur; vel ea eſt, ex qua conflatur. Priori aſpectu conſiderata, vel eſt neceſſaria, vel contingens; vel eſſentialis, vel accidentalis; vel poſſibilis, vel impoſſibilis; vel mediata, vel immediata; vel identica, vel formalis. Ac primum neceſſaria enunciatio nuncupatur ea, cujus attributum neceſſario convenit cum ſubjecto; ut circulus eſt rotundus. Contingens ſive fortuita illa nominatur cujus attributum haud neceſſario cum ſubjecto convenit; ut Petrus eſt doctus. Eſſentialis vocatur ea, cujus attributum eſt de ſubjecti eſſentia; ut homo eſt rationalis. Accidentalis dicitur illa, cujus attributum ad ſubjecti eſſentiam minime attinet; ut Ca-

jus

(a) *Huc loci monendum cenſeo, ſubjectum in omni logica enunciatione primum locum, ſecundum autem attributum tenere, etſi in latinis ſcriptoribus, nihil minus ſervatum offendas; uti turpe eſt obſequi libidini. quo autem pacto dignoſci valeat ſubjectum & attributum ſi quaris: nihil facilius reperiri poſſe arbitror, ſi ad rei ſenſum animus advertatur. hinc in allato exemplo perſpicue noſcitur, turpe, id eſſe, quod affirmatur, ac proinde eſſe attributum: obſequi vero libidini, illud eſſe, quo de affirmatur quod turpe ſit, ac proinde ſubjectum.*

jus eſt procerus. Poſſibilis dictitatur ea, cujus attributum adhuc ſubjecto non convenit, verum ei convenire poſſit; ut adoleſcens eſt canus. Impoſſibilis appellatur illa, cujus prædicatum ſubjecto neque convenit, neque convenire poteſt; ut homo eſt lapis. Mediata eſt illa cujus attributum ſubjecto non competit, niſi alterius attributi ratione, quod in ſubjecto jam ineſt; ut homo eſt admirandi capax. Immediata dictitatur illa, in qua ita attributum ſubjecto convenit, ut aliud aſſignari nequeat, cujus ratione illud ipſi conveniat ſubjecto; ut homo eſt rationalis. Identica ea eſt, cujus attributum ne hilum quidem a ſubjecto diſcrepat; ut homo eſt homo. Formalis denique vocitatur illa, cujus attributum de ſubjecto per modum formæ enunciatur; ut in ſcholaſticorum ſenſu, anima eſt forma corporis noſtri. Altero porro aſpectu enunciatio expenſa, aut ſimplex eſt, aut compoſita, aut complexa. Simplex dicitur illa, quæ terminis ſimplicibus conſtat; ut Deus eſt juſtus. Compoſita ex pluribus ſubjectis, atque attributis conflatur. Complexa demum ea nuncupatur, cujus termini complexi ſunt, aliam ſcilicet enunciationem, quæ incidens vocitatur, complectuntur; cujuſmodi eſt iſthæc penes Terentium in Phorm. act. 1. ſc. 1. „ Inique comparatum eſt, hi, qui minus habent, ut ſemper aliquid addant divitioribus „. Incidens eſt „ qui minus habent „. Incidens poteſt etiam in ſimplici enunciatione locum habere; ut circulus figura plana eſt, cujus extremitas paribus a medio radiis attingitur. Poſſunt eſſe plures incidentes in quavis complexa enunciatione; ut Tum illi, qui ſapiunt, tum qui deſipiunt; tum illi qui nobiles, tum qui ignobiles ſunt, ſine diſcrimine mori debent. Complexa iterum quadruplex eſt; etenim complexio vel in ſubjectum, vel in prædicatum, vel in utrumque, vel in verbum cadit. Subjectum eſt complexum in iſthac enunciatione; ut rex eſt, qui metuit nihil. Attributum vero in hac: pietas eſt bonum, beatum faciens, etiam in rebus adverſis. Utrumque, ut in iſthac: potentes qui opprimunt pauperes a Deo punientur, qui oppreſſ

rum

tum protector eſt. Verbo denique ineſt complexio; ut, „ illud III. Reg. c. VIII. v. VIII. „ Omnis qui tranſierit per eam (per viam, everſumque ſpectaverit templum) ſtupebit, & ſibilabit, & dicet: quare fecit Dominus ſic terræ huic, & domui huic? „. Quo in loco ſtupebit, ſibilabit, & dicet, triplicem actionem, triplicemque propoſitionem connotant. In eo autem complexa enunciatio ab ſimplici diſcrepat, quod illa etſi uno ſubjecto, unoque attributo conſtat ſubjectum tamen vel prædicatum complexum eſt, adeoque aliam enunciationem, quæ incidens appellatur, includit; ut in prolato exemplo videre licet. In eo vero a compoſita abludit, quod hæc duplex ſubjectum, duplexque attributum complectitur, illa unum. At ſi verum dicere fas eſt, nulla hanc atque illam inter differentia intereſt; quia complexa implicite etiam duplex ſubjectum & attributum habet. Numquid præterea? Maxime. Illud ſcilicet, quod adnotat doctiſs. Auctor Artis cogitandi: „ Heic vero præcipue, ſcribit part. II. c. III. obſervandum venit, omnes propoſitiones verbis activis, eorum caſibus conſtantes, complexas (compoſitas ſcilicet) dici poſſe, eaſque aliqualiter duas in ſe propoſitiones habere. Sic quando ajo exempli cauſſa: Brutus tyrannum occidit: tantundem valet, ac ſi dicerem: Brutus aliquem occidit, illeque aliquis ſuit tyrannus. Hinc duplex contradictoria huic propoſitioni opponi poteſt, Brutus neminem occidit; vel ille, quem Brutus occidit, non fuit tyrannus. Hoc autem obſervaſſe vel maxime refert, quia aliquando quum tales propoſitiones inter argumentandum urgentur, parte altera pro vera præſuppoſita, altera tantum probatur. Ut autem tales argumentationes ad formam quam maxime naturalem reducantur, neceſſe erit verbum activum in paſſivum commutare, ut pars probanda directe exprimatur „. Sed tanti viri pace advertendum penſi mei eſſe duco complexionem non in activum verbum occidit, quod ſimplicem actionem ſignificat, ſed in attributum „ tyrannum „ cadere. Siquidem poterat a Bruto occidi alius homo,

Tom. I. qui

qui tyrannus minime erat. propterea duplex enunciatio effici poteſt: Brutus hominem occidit, qui erat tyrannus, ex ea, quæ unica ſimplexque apparet: Brutus tyrannum occidit.

III. *Propoſitionum compoſitarum alia genera*. Ad hæc propoſitio compoſita, vel compoſitionem exprimit, vel includit, atque exponibilis vocitatur, ut quæ expoſitione indigeat. Enunciationum explicitæ compoſitionis ſpecies ſex adnumerari valent. Prima conjuncta, cujus membra particulis copulantibus conjunguntur; cujuſmodi ſunt, &, atque, ac, nec non: etiam, quum, tum, que, quoque cet. en exemplum,

Non domus, aut fundus, non æris acervus & auri
Ægroto domini deduxit corpore febres
Non animo curas.

Vera eſt enunciatio iſthæc, ſi utraque ejus pars vera eſt; etenim uti præclare Gellius Noct. Attic. lib. XVI. c. VIII. obſervavit: „ In omni conjuncto, ſi unum eſt mendacium, etiamſi cetera vera ſunt, totum eſſe mendacium dicitur „. Secunda disjuncta, atque ea dicitur, cujus partes per particulas vel, aut, ſive cet. disjunguntur; ut „ qui ab omnibus ſecretus vivit, vel beſtia eſt, vel angelus „ uti dixit Ariſtoteles. Harum pars una vera eſſe poteſt. Tertia hypothetica, cujus membra ope particularum ſi, modo, dum, niſi, ſin, conjunguntur; ut „ ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata. Quarta cauſſalis, quæ membra particulis cauſſam ſignificantibus connectit; ut illud Lev. c. XXII. v. XXV. De manu alienigenæ non offeretis panes Deo veſtro, & quidquid dare voluerit; quia corrupta, & maculata ſunt omnia, non ſuſcipietis ea. Ad hanc enunciationis compoſitæ ſpeciem, ea quæ reduplicativa appellatur, referri poteſt; ut reges quatenus reges ſolius Dei imperio ſubſunt. Quinta diſcreta quæ diverſa continet exprimitque judicia per adverſantes particulas, ſed, aſt, at, atqui, tamen, tametſi, autem, verum, nihilominus; ut Non formoſus erat, ſed erat facundus Ulyſſes. Sexta relata, cujus una pars alteram ſpectat, atque ab ea vim ſumit; ut Thaletis illud: qualem parentibus tuis retuleris gratiam,

tiam, talem a liberis tuis exſpecta. Tam huic, quam ceteris propoſitionibus aliis interdum ſimplici negatione contradicitur, interdum verbis pluribus opus eſt. Verum ſemper curandum eſt, ut modus ipſe, qui enunciationis naturam conſtituit, & ab aliis diſtinguit, retundatur. Enunciationes vero occultæ compoſitionis ad quatuor ſpecies reduci queunt 1 ad excluſivas; 2. ad exceptivas; 3. ad comparativas; 4. ad inceptivas; 5. ad deſitivas. Excluſiva ea dicitur, cujus attributum ita ſubjecto convenit, ut nulli alteri convenire valeat; idque particularum harum, ſolum, dumtaxat, tantummodo ope fit; ut hoc unum ſcio, inquiebant Academici, quod nihil ſcio. id eſt hoc unum certum eſt, nihil eſſe certi; cetera omnia obſcura & incerta. Exceptiva, quæ ſolo pæne nomine ab excluſiva abludit, ea nuncupatur, cujus attributum de ſubjecto integro affirmatur, excepta aliqua ejuſdem ſubjecti parte per particulas excipientes, præter, extra, niſi; ut Imperitus, niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat. Terent. Comparativa illa eſt, in qua de ſubjecto aliquo attributum enunciatur, quod ad aliud refertur; ut illud Ovidii Metam. II. v. 723.

Quanto ſplendidior, quam cetera ſidera, fulget
Lucifer, & quanto, quam Lucifer aurea Phœbe;
Tanto virginibus præſtantior omnibus Herſe.

Inceptiva, quæ attributum ita ſubjecto convenire exprimit, ut antea minime conveniret; ut Judæi quinto tantum ſæculo a Chriſto nato uti punctis ad vocales deſignandas cœperunt. Deſitiva appellatur ea, cujus prædicatum antea ſubjecto convenerat, nunc vero convenire amplius nequit; ut lingua latina deſiit eſſe vulgaris ab anno 500. Hiſce adnectunt etiam continuativam, quum nempe prædicatum non modo prius conveniſſe ſubjecto, ſed adhuc etiam convenire affirmamus; ut Numa Pompilius Romani regni pacem conſervavit. Tres haſce poſtremas propoſitionum ſpecies recentes Logici diſtinxerunt: ſed ne hujuſmodi enunciationum numerus in infinitum augeatur: ſciendum eſt has nullo negotio ad propoſitiones complexas ratione verbi revocari poſſe. Siquidem propoſitio-

ſtio iſthæc: Numa Pompilius regni Romani pacem conſervavit: idem eſt ac regnum Romanorum pacem habuit, antequam ejus regni frena moderaret Numa Pompilius, quam pacem idem Numa conſervavit. Quapropter in ejuſmodi complexis propoſitionibus non ſolum præ oculis habendum eſt judicium explicite enunciatum; ſed etiam illud, quod tacite indicatur: atque utrumque examinandum an verum, an falſum ſit.

IIII. *Propoſitionum diviſio ratione formæ*. Jam vero antequam ad enunciationis, ratione formæ, veniam partitionem, præmoneam opus eſt ea ſuper re inter ſeſe philoſophos minime convenire; nam ſi Purchotium, Facciolatum, Genuenſem alioſque audias, dicunt hi formam enunciationis nihil eſſe aliud quam prædicati cum ſubjecto conjunctionem; voluntque eam ratione formæ in neceſſariam, fortuitam, poſſibilem & impoſſibilem ſecari: at vero ſi P. Fortunato a Brixia, Eduardo Corſinio cet. aures præbeas, propoſitionis formam eſſe affirmationem, & negationem fateri cogeris, dividique ratione formæ in ajentem, & negantem. Verum enim vero horum ſenſus vero ſimilior, mea quidem ſententia eſt; nam ſi, ut in hujuſce libri initio oſtenſum eſt, judicii forma & natura in affirmatione, & negatione ſita eſt; ecquiſnam de forma ac natura enunciationis interpretis judicii, idem non affirmabit? Ratione itaque formæ in ajentem, & negantem partienda enunciatio eſt. Ajens dicitur ea, in qua attributum cum ſubjecto copulatur; ut Adamus fuit primus homo. Negans vero illa nuncupatur, in qua attributum a ſubjecto ſeparatur; Chriſtus non fuit infectus originaria labe. Enunciatio ajens ope particulæ non copulæ præfixæ eamque afficientis evadit negans; nam id negatio deſtruit, quod immediate attingit: hinc propoſitio iſthæc Cajus eſt non doctus, ajens eſt, de attributo nempe infinito; doctrinæ enim negatio de Cajo, uti patet, affirmatur: hinc etiam ajens dicenda eſt hæc alia: non lapis eſt homo; ſiquidem quum negatio haud cadit in verbum eſt; quod vinculum li-

ligamenque enunciationis eſt, qua ajens dicitur ac ſit; nullo pacto negans eſſe valet. Juvat hoc in loco regulas quaſdam ad enunciationem ajentem, & negantem ſpectantes proferre. I. In ajente enunciatione attributum de ſubjecto enunciatur ſecundum ea omnia, quæ in ipſius attributi notione continentur, ita dum inquam: Antonius eſt homo; de Antonio affirmo quicquid hominis notio complectitur. II. In enunciatione negante non negantur de ſubjecto omnes attributi partes diviſim ſumtæ, ſed eorum tota collectio, quæ in attributi ipſius notione continentur; ut in iſthac enunciatione: aurum non eſt ſubſtantia cogitans. non negatur de auro ratio ſubſtantiæ; quippe quod ſubſtantia ſit, ſed ratio ſubſtantiæ cogitantis. III. Attributi extenſio in propoſitione ajente tanta eſt, quanta eſt ſubiecti, quocum copulatur, extenſio. IIII. Si prædicati abſolute ſumti extenſio fuerit maior extenſione ſubiecti, prædicatum haud accipitur in propoſitione ſecundum integram ſuam extenſionem, ſed ſecundum partem dumtaxat extenſioni ſubiecti parem. V. Attributum in propoſitione negante ab eo omni removetur, quod ſubjecti extenſione includitur; ſic in hac propoſitione: nullus homo eſt lapis; lapidis ratio de quolibet homine negatur. VI. In negante propoſitione ſemper attributum uſurpatur ſecundum ſuam integram extenſionem, ſcilicet univerſaliter; ratio enim cogitantis negari de auro nequit, quin ea omnia pariter ab auro ſejungantur, quæ ſub cogitantis idea veniunt; ſecus aurum cogitans ſimul, & non cogitans foret, ut per ſe patet.

V. *Enunciationum diſtributio ratione quantitatis.* Præterea ratione quantitatis, quæ nihil eſt aliud, quam enunciationis extenſio, cujus menſura a ſubjecto petitur, diſtribuitur propoſitio in univerſalem, particularem, ſingularem, & indefinitam. Enunciatio univerſalis eſt ea, cujus ſubiecto adhærent termini ſyncategorematici univerſales, omnis, nullus; uti omnis homo eſt vivens. Particularis illa nuncupatur, cuius ſubjecto adnectuntur termini ſyncategorematici parti-

ticulares, quidam, aliquis; ut aliquis homo eſt ſanctus. Singularis, cuius ſubjectum eſt terminus ſingularis; ut Petrus eſt Apoſtolorum princeps; hic homo eſt doctus. Indefinita demum ea appellatur, cuius ſubjectum eſt terminus communis nullo affectus ſyncategoremate, ut homo vivit. Obſervationes quaſdam Auctoris Artis cogitandi haſce enunciationis ſpecies ſpectantes nunc perſtringere volupe eſt. Ac primum enunciationis univerſalitas duplex eſt, metaphyſica, & moralis: illa eſt, quum enunciationis ſubjectum ita univerſale eſt, ut nullum excludat; ut omnis homo eſt rationis compos: hæc eſt, quum enunciationis ſubjectum in ſpeciem, nullam, ſed revera aliquam exceptionem admittit; quia in moralibus ſufficit, ſi res ut plurimum ita ſe habeat, eiuſmodi eſt pronunciatum quod recitat, probatque S. Paullus „ Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri „. itemque illud eiuſdem Apoſtoli „ omnes quærunt, quæ ſua ſunt „ atque itidem hæ propoſitiones, mulieres ſunt garrulæ; adoleſcentes ſunt inconſtantes ac varii; ſenes ſunt laudatores temporis acti. Quum enim hæ propoſitiones non ſint undique generales, poterunt conſecutiones ex iis elicitæ eſſe falſæ. Quare attento examine præmiſſo debent particulares concluſiones ex eis deduci. quis enim ferret ajentem quemvis in individuo Cretenſem eſſe mendacem, malam beſtiam, ventrem pigrum? Non debent ergo ejuſmodi enunciationes ſtricte ad litteram ſumi, nimiſque urgeri. Secundo, quædam enunciationes metaphyſice univerſalibus ſunt accenſendæ, etſi exceptiones quaſdam habere valeant; ut ſi dixerim: omnes homines habent duo brachia: hujuſmodi propoſitio, vera ab omnibus cenſeri debet, etſi moroſus quiſpiam monſtroſos quoſdam homines eſſe, quibus brachia quatuor ſunt, objicere poſſet; nam in hiſce enunciationibus non de monſtris ſermo eſt, ſed de iis, qui humana ſpecie cenſentur, quibus ex naturæ lege ſingulis bina contingere brachia debent. Tertio, ſunt & aliæ propoſitiones, quæ univerſales cenſentur; quia, ut philoſophi loqui amant,

de

de generibus ſingulorum, non autem de ſingulis generum enunciantur, hoc eſt de ſingulis generum ſpeciebus, non vero de omnibus ſpecierum individuis. hnc illud s. Paulli ſpectat: „ ſicut & ego omnibus per omnia placeo „ id eſt omni hominum generi, Judæis, Paganis, Chriſtianis; etſi pluribus ex Judæis, & Paganis haud placeret: ſic dicitur, omnia animalia fuiſſe in Noemi arca ſervata, ſcilicet omnia animantium genera. Quarto, aliæ propoſitiones univerſales tantum, quia ſubjectum per prædicati partem reſtringitur: per partem dico, quia ridiculum foret per integrum prædicatum reſtringi; ut ſi quis hanc propoſitionem, omnes homines ſunt juſti, veram affirmaret, quia non aliam explicationem daret, quam quod, omnes juſti eſſent juſti; hoc enim foret admodum ridiculum. Sed quando prædicatum complexum eſt, duaſque partes habet, ut in hac propoſitione:, omnes homines ſunt juſti per gratiam Jeſu Chriſti; non abs re erit dicere vocabulum, juſti, ſubjecto inhærere atque includi, licet non exprimatur; quia ſatis patet, illam enunciationem huic æquivalere: omnes homines juſtos per gratiam Jeſu Chriſti fuiſſe juſtificatos. unde ea propoſitio, quæ in ſpeciem falſa eſt: omnes homines ſunt juſti per gratiam Jeſu Chriſti, quum tot improbi ſint; penitius expenſa vera eſt: omnes homines qui juſti ſunt, per gratiam Jeſu Chriſti ſunt juſtificati. In ſacris litteris innumeræ id generis enunciationes occurrunt; ut illa b. Paulli „ Sicut omnes per Adam moriuntur, ita omnes per Jeſum Chriſtum vivificabuntur „ quæ in hunc modum exponi debet: qui moriuntur per Adam mori, & qui vivificantur, per Chriſtum vivificari. loquitur Apoſtolus de vita gloriæ. Moraliter univerſales ſunt hæ quoque propoſitiones: Galli ſunt in militia ſtrenui; Batavi experti nautæ; Flandri boni pictores; Itali optimi comœdi. nempe qui hiſce muneribus funguntur inter Gallos, Batavos, Flandros, Italos ut plurimum præclari ſunt. Quinto, haud tenendum eſt, eas dumtaxat voces, quidam, aliquis, quiſpiam cet. propoſitionis particularis no-

tas

tas eſſe ; nam nonnunquam plurium verborum circuitu particularis enunciatio conficitur ; cujuſmodi eſt Horatii illa :

Sunt, quibus in Satyra videar nimis acer, & ultra
Legem tendere opus.

Quæ quidem verba id ſonant : nonnulli exiſtimant me in Satyra eſſe nimis acrem. In ſacris Bibliis plures ejuſdem generis enunciationes offenduntur, ut „ eſt qui nequiter ſe humiliat „ . Si negatio vocem, omnis, præit apud latinos, enunciatio particularis evadit ; ut illud Servatoris : „ Non omnis, qui mihi dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum „. Sexto , quæ huc uſque diximus non parum utilitatis habent, ac multum lucis afferunt ad enunciationes univerſales, & particulares dignoſcendas. Sed quæſtio eſt inter philoſophos, an propoſitio indefinita ; ut homo eſt juſtus, ſit ſuapte natura univerſalis , an particularis cenſenda . Philoſophorum pars maxima indefinitam propoſitionem in materia neceſſaria pro univerſali , in contingenti vero pro particulari habendam eſſe pronuntiarunt. Verum ſecus res ſe habet ; eſt enim univerſalis in quacunque materia fiat , quum aliquid de termino communi affirmatur ; ac proinde in materia contingenti, non debet dici propoſitio particularis, ſed propoſitio univerſalis falſa . Nec aliud de iis judicium natura duce homines ferunt ; illas enim ut falſas rejiciunt, quando univerſaliter veræ , ſaltem univerſalitate morali , non ſunt . Quis ferret pronuntiantem, urſos eſſe albos, homines nigros ; Pariſienſes nobiles ; Polonos Socinianos ; Anglos Tremulos Enthuſiaſtas ? Et tamen ſecundum hoſce philoſophos, veriſſimæ ſunt ejuſmodi propoſitiones, quia in materia contingenti particulares erunt . Non inficior quoſdam urſos eſſe albos in Nova Zembla , quoſdam homines eſſe nigros, ut Ethiopes, quoſdas Polonos eſſe Socinianos, quoſdam Pariſienſes nobiles , quoſdam denique Anglos Tremulos ; ſed illæ propoſitiones falſæ ſunt , quia prima fronte univerſalem ſenſum portendunt, nempe urſos omnes eſſe albos cet. Contra veræ ſunt

P iſtæ ,

iſtæ, quæ ut moraliter univerſales habentur „ Galli ſunt fortes, Itali ſuſpicaces, Germani proceri, Orientales luxurioſi. Poſſet etiam iſthæc diſtinctio adhiberi, nempe propoſitiones indefinitas in materia doctrinæ eſſe univerſales, in materia facti eſſe particulares; ut ſi quis diceret; Angeli ſunt incorporei; omnes Angelos indicaret: in rebus autem facti non ita; ut quando in Evangelio dicitur: „ Milites plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt capiti ejus „. perſpicuum eſt aliquos milites non autem omnes id rei egiſſe. ratio iſthæc videtur eſſe; nam res geſtæ ſingulares, præſertim ſi cuidam certo tempori aſſignentur, per terminum communem, ut plurimum non exprimuntur, niſi addito aliquo ſigno, ex quo dignoſci nullo negotio poterit, utrum omnibus ſint attribuendæ. Septimo, verba iſthæc congregatio, collegium, populus, turba, plebs, ſi collective pro tota nimirum congregatione cet. uſurpantur, ſingularem efficiunt propoſitionem; ut Romani Carthaginienſes devicere; judices illius curiæ reum damnarunt: hujuſmodi enunciationes nec ſunt univerſales, quia plus exprimunt quam ſi dicerem, aliquos Romanos profligaſſe Carthaginienſes; ſed ſingulares ſunt; quia in iis omnibus populus prout unus moraliter homo conſideratur per plura ſæcula vivens, ſive tandiu inter vivos agens, quandiu ipſa reſpublica aut populus perdurat. Hinc bene dici poteſt, Romanos a Gallis (qui Romam occuparunt) ſuperatos deviciſſe Cæſaris tempore Gallos ipſos; iſthac una eademque voce, Romanos intelligendo & eos, qui olim victi, & eos quoque, qui alias victores fuere: etſi ex victis nemo inter eos, qui poſtea vicerunt, reapſe extiterit. Heic adnotare per tranſennam liceat eos inaniter gloriari ob res præclare a popularibus ſuis geſtas, qui nullam ad eas perpetrandas operam ſuam contulerunt.

VI. *Enunciationis partitio ratione qualitatis*. Supereſt ut enunciationem per qualitatem ejus diſſecemus. Enunciationis qualitas eſt veritas, & falſitas; quare in veram, & falſam diſtribuitur. Vera dicitur illa, cujus objectum ita ſe habet, quemadmodum in propoſi-

poſitione enunciatur. Falſa vero, ſi ſecus ac ipſa enunciatione exprimitur ſe objectum habeat. „ Verum eſt, inquit Epicurus apud Empyr. adv. Log c. 11. ſeg. 9. quod ita ſe habet, ut ſe habere dicitur; falſum, quod non ita ſe habet, ut dicitur ſe habere „. Hinc vera dicenda eſt enunciatio iſthæc: Judæi poſt captivitatem Babylonicam antiquis litteris, quæ Samaritanæ hodie audiunt, uti deſiere; ſi ita reapſe evenit: falſa, ſi non ita ſe res eſt, vel habet. Huc ſpectat celebre illud axioma: „ ex eo quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa „. (a)

(a) *Verax porro homo dicitur, ſi externa enunciatio illius, interiori ejuſdem judicio adamuſſim reſpondeat. Mendax, ſi ſecus ac corde ſentiat, loquatur. Siquidem „ mendacium, ſecundum s. Auguſtinum lib. de mendacio n.* IIII. *ſive c.* IIII. *eſt enunciatio cum voluntate falſum enunciandi „ ſive ut idem lib. contr. mendac. n.* XXVII. *falſa enunciatio cum voluntate fallendi „. Nemo ſane, inquit s. Doctor in Enchir. n.* VI. *mentiens judicandus eſt, qui dicit falſum, quod putat verum, quoniam quantum in ipſo eſt, non fallit, ſed fallitur. Ideo itaque non mendacii, ſed aliquando temeritatis arguendus eſt, qui falſa incautius credita pro veris habet. Potius e contrario, quantum in ipſo eſt, ille mentitur, qui dicit verum, quod putat falſum. Quantum enim ad animum ejus attinet, quia non quod ſentit, hoc dicit, non verum dicit, quamvis verum inveniatur eſſe, quod dicit; nec ullo modo liber eſt a mendacio, qui ore neſcius, verum loquitur, ſciens autem voluntate mentitur „. Hinc conſequitur etiam joca non eſſe putanda mendacia „ habent enim, ait idem Doctor de mendac. c.* II. *evidentiſſimam ex pronunciatione, atque ipſo jocantis affectu ſignificationem animi nequaquam fallentis, etſi non vera enunciantis „. Malitia mendacio inſita eam habet originem & cauſſam, quod animus mentientis vult verum depravare, dicere falſum, & alterum hominem fallere. In jocis animus hic perverſus abeſſe poteſt, ac plerumque abeſt; nam qui jocatur ſæpe ac ſæpius alterius decipiendi voluntate caret,*

VII. *Propoſitionis diviſio ratione modi*. Denique ut nihil intactum relinquam, propoſitionem tribuunt ratione modi prædicandi in abſolutam, & modalem; Abſoluta ea nuncupatur, in qua modus haud exprimitur, quo attributum ſubjecto convenit; ut Michael eſt pulcher. Modalis e contrario, ſi modus in ea exponitur; ut Michael fortuito, ſive ut ſcholæ ajunt, contingenter eſt pulcher. Modi ſunt neceſſarium, fortuitum, poſſibile, & impoſſibile. In qualibet ergo modali enunciatione, & dictum, & modus ſunt diſcernenda. Dictum eſt ipſamet abſoluta enunciatio: modus vero determinatio habitudinis attributi ad ſubjectum. Hinc in propoſitionibus modalibus affirmatio & negatio, veritas & falſitas ſunt in modo, non autem in dicto quærenda. Affirmans ergo eſt modalis enunciatio ſi modus cum dicto copuletur: negans vero ſi modus a dicto divellatur. Vera item, ſi attributum eo modo reipſa ſe habeat ad ſubjectum, quo ſe habere ad illud in enunciatione exprimitur: contra vero falſa ſi reipſa ad illud ſecus ſe habeat. Quare affirmans & vera eſt enunciatio iſthæc: neceſſe eſt animam rationalem non eſſe ſubſtantiam corpoream: negans vero & falſa hæc: non eſt contingens Michaelem eſſe pulcrum: licet in illa dictum ſit propoſitio negans, in hac vero affirmans.

VIII.

ret, idque pronunciat falſum, quod probe ſcit ab audientibus ſive legentibus eſſe detegendum, & accipiendum tanquam falſum, non tanquam verum. Quare neque veritatem jocator hujuſmodi lædit, neque proximum fallit; ideoque e mendaciorum numero joca ita compoſita excluduntur, & culpæ notam effugiunt. Quod ſi reponas jocos etiam dari, quibus falſiloquium ſubeſt, atque intentio alterius fallendi: ego iſthæc peccati crimine accuſabo, quia tum reipſa mendacia erunt, & veritati inimica. De jocis inſontibus paullo poſt loquens S. Auguſtinus loc. laud. „ quo genere (jocorum) utrum ſit utendum perfectis animis, alia quæſtio eſt, quam modo enodandam non ſuſcipimus „. Muratorium adiſis lib. III. de moder. ingen. cap. XIII.

VIII. *Propoſitionis proprietates exponuntur*. Huc loci de proprietatibus enunciationis, oppoſitione nimirum, æquipollentia, & converſione agere ſolent Logices ſcholaſticæ magiſtri, quare me operæ pretium factum arbitror, ſi quæ ipſi fuſo calamo verſant, ego breviter perſtringam. Oppoſitio igitur nihil eſt aliud, quam duarum pugna enunciationum eodem ſubjecto eodemque attributo conſtantium. Quadruplex eſt, etenim vel enunciationes quantitate pugnant; ut hæ: omnis homo eſt juſtus, aliquis homo eſt juſtus; & ſubalternæ audiunt. Vel pugnant forma; cujus generis aliæ univerſales ſunt; ut hæ: omnis homo eſt juſtus; nullus homo eſt juſtus: aliæ particulares; ut aliquis homo eſt juſtus; aliquis homo non eſt juſtus; & ſubcontrariæ appellantur. vel quantitate ſimul & forma pugnant; ut hæ: omnis homo eſt juſtus; aliquis homo non eſt juſtus; & contradictoriæ vocitantur (*a*). Hæ omnes enunciationes variis litteris notari a Logicis ſolent: nimirum A univerſalis ajens, E univerſalis negans, I particularis ajens, O particularis negans, deſignatur. quæ duobus verſiculis memoriæ gratia comprehenduntur:

Aſſerit A, negat E, verum generaliter ambo.
Aſſerit I, negat O, ſed particulariter ambo.

Porro contradictoriarum propoſitionum ſemper una eſt vera, altera falſa. Contrariæ ſimul falſæ, non tamen ſimul veræ eſſe queunt. Subcontrariæ ſimul veræ, non tamen ſimul falſæ eſſe poſſunt. Subalternæ poſſunt eſſe ſimul veræ, & ſimul falſæ. Æquipollentia, Græcis ἰσοδυναμία, latine pariatio dici poteſt, eſt quum enunciationes oppoſitæ inter ſe conciliantur, atque ope particulæ non ad eandem ſignificantiam reducuntur. Particula igitur hæc contradictorias conciliat, ſi alterius ſubjecto præfigatur: con-

 tra-

(a) *Apulejus de hab. doctr. Plat. contrarias nuncupat incongruas; ſubcontrarias appellat ſuppares; contradictorias vocat alterutras, quod alterutra ſolum vera ſit. Alii vero latini ſcriptores contradictorias dicunt repugnantes; ſubalternas nominant conſequentes: ſubcontrarias vocant contrarias particulares.*

trarias conciliat ſi poſtponatur, conciliat ſubalternas ſi præponatur, & poſtponatur. quæ omnia artificialis iſte verſiculus complectitur:

Præ contradic. Poſt contra. Præ poſtque ſubalter.
Exemplis res illuſtretur oportet. Omnis homo eſt juſtus, hac ratione cum ſua contradictoria conciliatur: non omnis homo eſt juſtus. Cum ſua contraria hunc in modum: omnis homo eſt non juſtus. Cum ſubalterna vero hoc pacto: non omnis homo eſt non juſtus. Poſtremo enunciationis converſio eſt ſubjecti mutatio in attributum, & attributi in ſubjectum, incolumi enunciationis forma, ſed quantitate nonnunquam mutata. Triplex eſt, ſimplex, per accidens, per contrapoſitionem. Simplex eſt, in qua prædicati ſimplex converſio fit in ſubjectum; quod in univerſali enunciatione negante, & particulari ajente contingit. Per accidens eſt, in qua facta converſione, quantitas mutatur; quod in univerſali ajente, & interdum etiam in negante evenit. Per contrapoſitionem eſt, in qua poſt converſionem extremorum utrique termino præponitur particula non; quod fit in enunciatione particulari negante, & interdum etiam in univerſali ajente. Quæ quidem omnia hocce diſticho continentur:

E, I, ſimpliciter convertitur. E, A per accid.
A, O, per contrap. Sic fit converſio tota.

Exempla ſubjicio, ac primum converſionis ſimplicis: nulla materia eſt ſpiritalis: nullum ſpiritale eſt materia; deinde per accidens: omnis homo eſt animal: aliquod animal eſt homo; denique per contrapoſitionem: omnis homo eſt vivens: non omne vivens eſt non homo. Cui bono, inquies, hæc omnia erunt? nulli ſane hac tempeſtate, in qua graviora atque utiliora poſtulantur: ſed olim ad ingenium exercendum fuerunt adhibita. Oppoſitionem dumtaxat quod ſpectat, duplex ejuſdem uſus a Genuenſi recenſetur. Primus, ut enunciationum extenſionem cognoſcamus; quod in legibus, canonibus, auctorumque dictis rite interpretandis & exponendis efficere oportet. Alter uſus eſt, quum oppoſitorum unum tantum poſſit eſſe verum, ſi quis contumax enunciationem veram ne-

neget, ei oppoſitam facimus, quam ſi iterum neget, idem ſimul negat & affirmat. Quo fit ſe merum ſophiſtam, rationis minime capacem eſſe.

CAPUT III.

De veritate univerſim accepta, & de metaphyſica, morali, ac logica: de ſcientia, ac multiplici ejus genere: de triplici evidentiæ, & certitudinis ſpecie: de certitudinis gradibus: de fide: quid ſibi velint hæ formulæ: ſecundum, contra, & ſupra rationem: quid ſit probabilitas, opinio, dubitatio, ſuſpicio: num poſſit opinio cum ſcientia, & fide conſiſtere.

I. *Quid, & quotuplex ſit veritas.* ANtequam ad ea explicanda gradum faciam, quæ menti, ne in ferendo de rebus judicio in errorem prolabatur, facem præbent: non abs re fore duxi de iis, quæ hoc capite continentur, ſermonem habere, quum iſthæc & ea quæ nuper verſavimus, & ea de quibus capite ſequenti ſumus acturi ex æquo reſpiciant; atque quum dictis, tum dicturis lucem haud parvam affundant. Ac primum veritas generatim accepta finiri poteſt: convenientia rei vel modi cum ſua regula aut menſura. Multiplex eſt: Metaphyſica ſive realis, moralis, & logica. Metaphyſica veritas eſt, quum res id eſt, quod in natura eſſe debet, eaſque habet in natura proprietates, affectiones, aut relationes, quas habere debet: vel eſt convenientia rei factæ cum idea archetypa mentis æternæ; ſic Chriſtus eſt verus Deus, & verus homo, quia in illo ea omnia inſunt, quæ Deum hominemque verum conſtituunt. Moralis eſt convenientia verborum, ſignorumque externorum cum animi cogitationibus. hinc qui, ut ſentiunt, eloquuntur, veridici nuncupantur, qui vero ſecus ac corde ſentiant, loquuntur, mendaces appellantur. Conſule, quæ paullo ſuperius diximus in nota (*a*). Veritas denique logica, qua de heic agere animus eſt, in formalem, & objectivam

P 4 par-

pariri ſolet. Illa eſt idearum convenientia cum ſemetipſa veluti cum archetypis: hæc vero idearum, aut judiciorum convenientia cum ipſis naturalibus, realibuſque veritatibus; quum nempe ideæ noſtræ, rebus, quas referunt, conformes ſunt; & quod affirmamus, vel negamus, re ipſa ejuſmodi eſt. Contra falſitas logica objectiva nimirum, quum formalis, modo præcipitantia vitetur, dari vix poteſt, eſt diſconvenientia idearum, judiciorumque noſtrorum a veritatibus naturalibus, ac realibus. Hujuſmodi veritatis ſpecies alia nomenclatura ab aliis donantur. Prima nuncupatur veritas tranſcendentalis; altera veritas ſigni; tertia veritas cognitionis. Cognitio porro noſtra vel in idea ſola conſiſtit, vel in judicio, vel in ratiocinatione. Veritas ideæ in conſenſione cum re percepta ſita eſt; judicii veritas habetur, quum quæ conjungenda ſunt, conjungantur, ac disjungantur, quæ ſunt disjungenda, ut jam diximus. Ratiocinationis denique veritas in recto formæ, materiæque uſu poſita eſt.

II. *Scientiæ definitio*. A veritate ad ſcientiam venio. Hæc vulgo definiri ſolet, cognitio vera, certa, & evidens rei cujuslibet neceſſariæ, & immutabilis per veras propriaſque cauſſas, propter quas ita eſt, vel certe propter quas ita eſſe conſtanter affirmatur, aut negatur. Explicemus quamque finitionis voculam oportet. Ac primum cognitio appellatur, aut notitia habitualis, ut ſcholæ effantur, non actualis, facilitas videlicet cognoſcendi, non actus cognoſcentis; ſiquidem rei cujuſpiam ſcientia in homine etiam dormiente, neque ea de re cogitante remanet. Atque per id vocabulum ab ignorantia tum privationis, quæ eſt privatio ſive carentia ejus cognitionis, qua quis imbutus eſſe debet, ut eorum, quæ ſunt muneris ſui; tum ab ignorantia pravæ diſpoſitionis, quæ cum errore eſt conjuncta, ſcientia diſcrepat. At vero puræ negationis ignorantiam ſive inſcientiam vel inſcitiam, per quam plura neſcimus, quæ ſciri a nobis neceſſum haud eſt, ſcientia noſtra utpote limitata non excludit; ut nemo noſtrum ſcit num arenarum maris numerus par, imparve ſit. Deinde dicitur

co-

cognitio vera rei neceſſariæ, ſive rei, quæ ſecus ſe habere nequit; ut quum cognoſco lunæ eclipſim ob telluris interpoſitionem ſolem inter, & lunam contingere, id cognoſco quod alio pacto ſe habere non poteſt; ſiquidem fieri nequit, ut intercedente ſolem inter & lunam opaco telluris corpore, luna eclipſim non patiatur. In quo a prudentia (*a*), & arte (*b*), & iis, quæ in rebus plerumque contingentibus verſantur, ſcientia diſtinguitur. Adnectitur præterea cognitio rei per cauſſas ſeu rationes, propter quas ea res eſt; vel certe propter quas ita eſſe affirmatur, vel negatur, nimirum ut ſcientiam non eſſe ſimplicem rei perceptionem cognoſcatur, ſine affirmatione, & negatione; ſed cognitionem longa judiciorum ratiocinationumque catena comparatam; atque ut ab vulgi cognitione ſecernatur; vulgus enim rem cernit, cauſſam vero cur ita ſit ignorat negligitque. Cauſſæ autem heic nomine omnis ratio, argumentumque certum venit, quo ad quidquam aſſerendum, aut pernegandum inducimur. Inſuper cognitio vera nuncupatur, ex veris nimirum principiis eruta, in quo a falſa abludit cognitione, ſive ignorantia, quæ conjuncta eſt cum prava diſpoſitione, per quam homo vel falſo aſſentitur, ſi error ſit actualis; vel aſſentiri paratus eſt, ſi habitualis: qui porro error ſi in materia fidei ac pertinax fuerit, hæreſis nominatur. Tum dicitur certa id eſt firma, ſtabilis, inconcuſſa, immobilibus videlicet innixa argumentis, ut ab opinione diſtinguatur, quæ incerta eſt, in utramque vacillans partem. Poſtremo appellatur cognitio evidens, id eſt manifeſta, & perſpicua, ſive claris evi-

(a) *Quæ vel generalis eſt, & eſt cognitio & ſcientia generalis eorum, quæ ad vitam & mores ſpectant; vel particularis & finitur practica, & efficax cognitio, eorum, quæ in quavis occaſione a viro probo ſunt peragenda.*

(b) *Quam definiunt cognitionem practicam eorum, quæ induſtria effici poſſunt: quæque vel liberalis dicitur, & eſt quæ ingenuum liberumque hominem decet; vel ſervilis, & eſt quæ ſervum plebejumque.*

evidentibuſque ſtabilita principiis, ad fidei diſcrimen, quæ licet vera ſit & certa, obſcura tamen, & non evidens eſt. Sic certum eſt in ss. Trinitate unicam eſſe naturam, ac tres perſonas, ſed obſcurum eſt, & ſola Dei revelatione, non evidenti ratione nobis cognitum. Jam vero ſcientia partitur in ſcientiam ſimplicis intuitionis, & ſcientiam demonſtrationis. Illa ſola notionum collatione, ſine ulla ratiocinatione haberi ſolet; ut eſt axiomatum intelligibilium ſcientia: quæ eidem ſunt æqualia, inter ſe ſunt æqualia. ſi æqualibus æqualia addas, quæ fiunt æqualia ſunt. Ejuſdem generis eſt eorum ſcientia, quæ intima conſcientia, ſentimus, ut nos eſſe, cogitare, affectibus affici, gaudium doloremque ſentire: item eorum ſcientia quæ clara ſenſatione percipimus, licet minus, quam illæ duæ perfecta ac ſecura ſit; ut eſſe motum, lumen, extenſionem, ſoliditatem. Tria igitur intuitivarum cognitionum genera ſtabiliri queunt 1. intellectus, 2. interioris conſcientiæ, 3. ſenſationis exterioris; ex quibus tria item axiomatum genera proficiſcuntur, intelligibilium nempe, conſcientiæ, & experientiæ. Demonſtrationis autem ſcientia ſine ratiocinio acquiri nequit: ac duplex eſt. Altera, quæ vulgo ſcientia a poſteriori, ſeu quia, nuncupatur: altera, quæ a priori, ſeu propter quid, vocatur. Prima ex imperfecta demonſtratione, quæ fit per ſigna & effecta, vel per cauſſas remotas, proficiſcitur, atque improprie ſcientia vocitatur. Secunda vere, & proprie ſcientia eſt; quia per potiſſimam demonſtrationem acquiritur, hoc eſt per cauſſæ proximæ cognitionem. Adhæc ſcientiæ quoque nomine eæ diſciplinæ donantur, quæ conſtant longa ſerie ſcientiarum utriuſque generis, id eſt intuitionis, & demonſtrationis: appellitantur etiam in ſcholis hujuſmodi diſciplinæ habitus ſcientifici, qualis Mechanica, Geometria, Algebra cet.

III. *Multiplex evidentiæ genus exponitur*. Præterea evidentia, quam diximus ſcientiæ proprietatem eſſe, ut Regis lib. cui titulum fecit, Uſage de la Raiſon & de la Foy, opinatur, triplex eſt, 1. intellectus,

2. phy-

2. phyſica ſive ſenſuum, 3. moralis. Illa in axiomatibus, aut demonſtrationibus puræ intellectionis invenitur, geometricis nempe, metaphyſicis cet. Evidentia phyſica eſt ea, quæ ex ſenſibus dimanat, haberurque in demonſtrationibus ſenſibus fultis; ſic lumen, colores clare diſtincteque quum cernimus, ſonos audimus, corpora tangimus; aut quum ex his ſenſationibus neceſſario ratiocinamur, evidentia phyſica dicitur. Intelligibilis evidentiæ teſſera hæc eſt, ut oppoſitum ſit intrinſecus impoſſibile, veluti in hiſce enunciatis: Totum eſt majus ſua parte. Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent æqualia ſunt cet. Phyſicæ vero iſthæc, ut contrarium pugnet cum præſente rerum conſtitutione, ſed non ſit intrinſecus impoſſibile, ut gravia deorſum ſe ferre; homines non niſi homines gignere, cet: quorum oppoſita impoſſibilia phyſica nuncupantur. Evidentia moralis eſt firma perſuaſio alicujus rei, quæ innixa conſuetudine ac more eſt. hinc evidens moraliter eſt illum non eſſe mihi mendacium dicturum, qui nullum nec lucrum ſperat, nec damnum ex mendacio timet.

IIII. *Triplex certitudinis genus explicatur.* Evidentiam quoque moralem certitudo comitatur: quæ quidem triplex eſt, metaphyſica, phyſica, & moralis. Certitudine metaphyſica certam nuncupamus illam enunciationem, quæ ita vera nobis apparet, ut prorſus repugnare videatur in ea admittenda nos falli. hac certitudine certum eſt quidquid Deo revelante cognoſcimus. Phyſice certa illa dicitur enunciatio, quæ ita vera nobis apparet, ut ſalvis naturæ legibus, falſa eſſe non poſſit; ſic certi ſumus ſtupam comburi in ignis vicinia poſitam. Moraliter tandem certa illa appellatur enunciatio, quæ etſi falſa eſſe queat, nunquam tamen niſi rariſſime fallit; hoc pacto certum nobis eſt Romulum ac Remum prima urbis Romæ fundamenta jeciſſe. Duplicem certitudinis ſpeciem veram unam, fallacem alteram diſtinguit Genuenſis lib. III. Art. Log. c. 1. §. 6. poteſtque, contendit, quis certus eſſe, interim errare: certus quidem, quod nec dubitet de judicio ſuo, nec du-

dubitare ſciat; errare vero ſi judicium illud minus ſit veritati naturali conforme. Qua ex parte patet non idem eſſe verum, & certum: hoc ſpectat animi conſtitutionem: illud judiciorum cum rerum natura ſeu archetypis noſtrarum idearum conformitatem. Miraturque ſubinde idem philoſophus potuiſſe nonnullos ejuſmodi fallaces certitudines negare. Verum tanti viri pace, ſi, quod ſentio, expromere licet, turpiter ab eo certitudines confundi cum opinionibus contendo. Si Lactantius v. g. riſit antipodas; Ariſtoteles mundum voluit æternum; Malebranchius in Deo omnia ſe videre affirmavit; Lockius omnia ſenſu & meditatione ſciri arbitratus eſt: nemo ſanæ mentis dixerit horum virorum ſenſa inter certitudines morales eſſe recenſenda, ſed tantum inter opinamenta. Neque obſtant eos in ſua opinione firmos ac certos fuiſſe, (quod etiam perſuadere mihi nequeo; propterea quia ipſi probe norant viros naris emunctæ quam plurimos ſecus ſentire). deduci hinc ſolum poteſt eos nimium ſibi ſuiſque ingeniis tribuiſſe.

V. *Utrum detur certitudo certitudine certior*. Quæri heic poteſt, num reperiri valeat certitudo præ certitudine certior. Huetius in Alnetanis Quæſt. lib. I. c.1.n.111. in eam propendet ſententiam, certitudinem eſſe certitudine majorem. „ Triplex enim eſt, ait, certitudinis genus, & gradus in earum rerum notitia, quæ ab humana mente cognoſci poſſunt. Supremus gradus certitudinis ponendus eſt in notitia, qua beati fruuntur in cœlo; alter in notitia rerum, quæ a Deo mortalibus hominibus revelantur; poſtremus in rerum notitia, quæ cognoſcuntur per rationem. Primum gradum a reliquis ita diſtinguit Paullus: „ videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum „. De ſupremo hoc certitudinis gradu nunc quidem non agimus. At in rebus, quas cognoſcimus per fidem in hac vita mortali, ſumma ineſt certitudo; quam quoniam a Deo proficiſcitur, divinam merito appelles. Humana autem certitudo dicenda eſt, quæ ineſt in rebus

bus per naturam cognitis. Dignitate autem longe præſtat certitudo divina, firmitudine, & conſtantia. Hinc Chryſoſtomus, fide eum carere, ait, qui res ſub aſpectum non cadentes firmius non crediderit, quam quæ oculis uſurpantur. Rurſum plures ſunt certitudinis gradus in rebus per rationem cognitis, quorum ſupremus etſi comparatus cum divina certitudine, infirmus eſt & imperfectus; ſi expendatur tamen ad captum humanæ naturæ, perfectus eſt atque firmus, quum nihil rationi certius indulſerit Deus. Hujuſmodi ſunt principia Geometrica, & reliqua, quæ lumine naturæ nota eſſe dicuntur. Hæc ſive probabilia eſſe dicas ſumma probabilitate, ſive certa ſumma certitudine humana, perinde eſt. Nam quum alia ſit certitudo præſtantior, ſublimior, firmior, puta rerum revelatarum; deeſt aliquid certitudini humanæ, proptereaque merito probabilitatem appelles: quum vero nihil certius habeat humana ratio, ſumma certitudo humana dici poteſt „. Ejuſdem ſunt opinionis aſſeclæ Eſtius in cap. XI. epiſt. ad Hebr. v. VI., & Canus in lib. XII. c. IIII. reſp. ad. I. & Auctor art. cog. part. IIII. cap. XII. Contra vero Malebranchius, poſtque eum Genuenſis Art. Log. lib. III. c. I. & Metaph. p. pr. ſchol. propoſ. 8. tuentur nullos gradus certitudinem habere, atque iis de rebus, quas pro certis habemus, eandem nobis, ac Deo ipſi certitudinem eſſe. Verum mihi Huetiana arridet opinio, eamque veroſimiliorem cenſeo; propterea quod animi certitudo noſtri minor eſt, ſi humana innitatur auctoritate, quam ſi divina falli ac fallere neſcia.

VI. *Nonnulla de fide*. Fides efficit, ut aliquid pro vero habeamus, ſi ab eo nobis narretur, qui ſcientia ac probitate præditus eſt. hinc quale ſit diſcrimen ſcientiam inter, & fidem colligi poteſt. quod ea quæ ſenſuum, intellectus, vel intimæ conſcientiæ ope cognoſcimus, ſcire dicamur: contra credere ea, quæ alterius auctoritas nobis perſuadet. quæ quidem auctoritas majoris ſane apud nos ponderis eſt, ſi major eſt opinio, quam de edocentis probitate ac ſcientia

ha-

habemus: quare ſi Deus eſt qui loquitur, fides divina vocitatur ea, qua Deo docenti quidquam credimus: ſi vero homo, humana. De utraque futuri calamo mox ſcribemus.

VII. *Quid ſibi velint, ſecundum, contra, ac ſupra rationem*. Sæpe quum iſthæc occurrant, ne moram injiciant, explicanda huc poſt Genuenſem duxi. Ac primum, quæ ideis noſtris, quas ope ſenſuum ac meditationis acquirimus, comprehenduntur, aut iis demonſtrantur, ea ſecundum rationem eſſe dicuntur; ut tres angulos trianguli eſſe duobus rectis æquales cet. Deinde quæ ideis noſtris comprehenſa contraria ſunt iis axiomatibus, aut theorematis demonſtratis, quæ item ideis noſtris continentur, ſeu quæ clare intelligimus, contra rationem eſſe dicuntur. Poſtremo quæ ideis noſtris haud continentur, nequeunt cognoſci a nobis utrum vera an falſa ſint per eas, nec principiis rationis naturalis expendi poſſunt, hæc ſupra rationem eſſe dicuntur; ut Deum eſſe unum ac trinum; nos culpa pollutos naſci cet.

VIII. *Probabilitas quid, & quotuplex*. Ariſtoteles ab hominum judiciis vim & rationem probabilis ducit: inquit enim in lib. I. Topic. c. 1. „ Probabile eſt, quod videtur omnibus, vel plurimis, vel ſapientibus; atque his quidem vel omnibus, vel plurimis, vel maxime notis & claris „. Ac primum exigitur ut probetur omnibus; difficile eſt enim omnes homines errare. „ Omnium conſenſus, ait Tullius in Tuſcul. I. c. xv. naturæ vox eſt „. cui accedit Seneca epiſt. cxvii. „ Multum dare ſolemus præſumtioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum eſt, aliquid omnibus videri „. Deinde requiritur ut ſaltem pluribus videatur; facilius eſt enim paucos, quam multos, multos quam plurimos errare, ſi cetera ſint paria. Tum ut videatur ſapientibus. Siquidem ſapientes quum aliquid admittunt, exiſtimandum gravibus moveri rationibus. Poſtremo ut vel omnibus, vel plurimis, vel maxime notis & claris. Jam palam eſt Ariſtotelem de extrinſeca probabili-

tate

tate loquutum eſſe. Extrinſeca etiam probabilitas vocatur quæ ex hominum auctoritate ſumitur in iis rebus, in quibus ea auctoritas propria principia ſuppeditare nequit, veluti in phyſica, matheſi, ceteriſque rebus, in quibus non agitur de facto. Probabilitas intrinſeca ea nuncupatur, quæ ex propriis principiis naſcitur. Quocirca ſciendum eſt ſingulas diſciplinas ſuos habere fontes, unde principia hauriuntur, quibus & illæ promoventur, & innituntur. Fontes omnium artium & ſcientiarum ſunt ſenſus, conſcientia, ratiocinatio, auctoritas. ex his fontibus principia hauriuntur. Non omnes autem ſunt cujuſque ſcientiæ proprii. In naturalibus enim diſcliplinis Phyſica, Aſtronomonia, Medicina, Metaphyſica, Matheſi ſenſus, conſcientia, & ratiocinatio ſunt fontes proprii. In Ethica, Politica, Juriſprudentia, Theologia morum ſunt conſcientia, ratiocinatio, auctoritas canonum, aut legum. In Theologia Dogmatica, ratio, & auctoritas divina. In hiſtoria auctoritas teſtium. Quare argumentari ex principiis cujuſque facultatis propriis debemus: argumentaque ex propriis principiis ducta certa atque intrinſeca ſunt, ſi evidenter e principiis manent: contra vero ſi non liquido ex principiis proficiſcantur, & neque certa neque evidentia ſunt, probabilia erunt; atque hinc probabilitas orietur, intrinſeca quidem, ſi ex propriis; extrinſeca vero, ſi ex alienis principiis arguatur. Ex hucuſque dictis ſequentes canones deducuntur. I. Opinio A eſt probabilior quam B, ſi pluribus eſt innixa argumentis intrinſecis, quam B, modo cetera ſint paria. II. Ea ſententia eſt probabilior, quæ pari numero rationum cum altera nititur, ſed aut omnibus, aut nonnullis gravioribus. III. Argumenta quæ minoribus exceptionibus ſunt obnoxia probabiliora ſunt iis, quæ pluribus. IIII. Quum agitur de probabilitate intrinſeca, qui poteſt rationes expendere atque examinare, habere fidem aſſerenti ſuam opinionem eſſe probabiliorem, nequit, ſed ejus momenta expendere & cum ſuis conferre debet.

VIIII. *Quid opinio, & dubitatio.* Opinio eſt imbe-

beċilla aſſenſio cum timore partis adverſæ copulata. A ſcientia abludit, quum ratione materiæ, quia ſcientia in rebus univerſalibus ac neceſſariis; opinio vero in ſingularibus & mutabilibus verſatur: ratione modi, & cauſſæ; quia ſcientia ex demonſtratione oritur, opinio ex communi probatione; quapropter firma illa, hæc infirma eſt. Differt a fide nimirum humana, quia hæc non ratione, ſed auctoritate innititur; & nonnunquam tanti eſt apud nos, ut omnem excludat metum. Eſt tandem a ſuſpicione diſtincta; quia ſuſpicio eſt quædam levis credulitas ex conjectura nata (a). Dubitatio demum eſt quædam fluctuans cogitatio, qua mens in re aliqua hæret, nec, quo ſit inclinandum, videt; tandiuque ſe revocat & aſſenſum ſuſtinet, donec inſtaurato ſæpius examine, veritas appareat. Quum veritas minime illuceſcat, magna ingenii vi prudentiaque nobis opus eſt ad rite dubitandum, intraque dubitationis limites conſiſtendum.

CAPUT IIII.

De Criticæ nomine, & finibus: de ſenſuum uſu in corporum cognitione: de experimentis, & obſervationibus rite conficiendis cum regulis ad id negotii ſpectantibus.

I. *Critica nomen.* AC primum ſi Criticæ vocabulum ſpectetur, nihil aliud latine ſonat, quam judicium; quippe quod a græco verbo κρίνω, judico, ortum ducit. Grammatici antiquitus Critici vocabantur. Apollodorus Cumanus, vel ut alii volunt Eratoſthenes Cyrenæus primus fuit, qui hujuſmodi ho-

(a) *Quæritur num poſſit opinio cum ſcientia, & fide conſiſtere? Reſp. Non poteſt ſane in eodem opinio, & ſcientia de eadem re reperiri: ſiquidem certa ſimul & incerta, firma & infirma mens noſtra eſſe minime valet. Contra poteſt cum fide humana coaleſcere, modo ab ea naſcatur auctoritate, quæ non omnem excludat metum, cujuſmodi eſt divina.*

honorificum nomen ſibi ſumſerit „ Apollodorus Cumanus, inquit Clemens Alex. Strom. I., primus Critici nomen ſuſcepit; & appellatus eſt grammaticus. Nonnulli autem dicunt Eratoſthenem Cyrænenm: quoniam autem duos edidit libros, quos inſcripſit grammaticos, nominatus eſt grammaticus „. Latiores certe erant tunc temporis grammaticorum fines; hi enim cenſoriam virgam in cujuslibet generis ſcriptiones, ſed præcipue poeticas exercebant. Hinc Horatius lib. II. epiſt. II. v. 109.

At qui legitimum cupiet feciſſe poema,
Cum tabulis animum cenſoris ſumet honeſti.

Magna acribia veſtigabant, num ſinguli verſus, integrive libri ejus eſſent auctoris, cui vulgo adjudicabantur: hinc ἀκριβέστεροι γραμματικοὶ, id eſt accuratiores grammatici vocitabantur. Ciceronis ætate maxime ars iſthæc floruit. Inter ejus cultores potiſſimum enituit Ariſtarchus ille grammaticus, qui Alexandriæ domicilium habebat; is Pindari, Arati, Homeri, aliorumque græcorum poetarum elucubrationes ad examen revocavit; atque tantum ſibi in Homeri poematis permiſit, ut aut verſus emendaret, aut veluti ſpurios partus ab ejus libris abraderet. Hinc qui Ariſtarchi veſtigia premebant, vel in ſcriptionibus, vel in dictis aliorum ſugillandis; aut Ariſtarchi, aut Ariſtarchei audiebant. Quocirca ſic in epiſt. II. lib. III. ad Appium Pulcrum Tullius jocatur: „ Sed ſi, ut ſcribis, hæ litteræ non fuerunt diſertæ, ſcito meas non fuiſſe. Ut enim Ariſtarchus Homeri verſum negat, quem non probat, ſic tu (lubet enim mihi jocari) quod diſertum non erit, ne puteris meum „.

II. *Quinam adhæc ejus fines*. Jam quibus terminis contineatur Critica haud liquet. Nam Voſſius de art. gramm. lib. I. cap. VI., & Scioppius de ſchol. ration. in re grammatica & poetica eam verſari volunt. Baco de Verulamio de augm. ſcient. lib. VI. cap. IIII. ad criticam artem ſpectare arbitratur: I. auctorum probatorum limatam correctionem, atque emendatam editionem; 2. auctorum interpretationem & explicationem, commentarios, ſcholia, notas,

ſpicilegia, & id generis alia; 3. de auctoribus, qui eduntur, breve aliquod judicium ferre. Nimis arctos cancellos ei ſtatuit Couſinius Journal. 4. maj. 1699. inquiens Criticæ eſſe inquirere verum ne, an falſum ſit quod auctores tradunt. Couſinium ob id male mulcavit des Maizeaux Novelle Repubi. letterarie 1701. art. 2. qui volebat ad criticam artem attinere inveſtigare num revera id ſcriptores dixerint, quod dixiſſe fertur. Joannes Clericus de art. critic. opinatur Criticam eſſe artem intelligendi veterum ſcriptorum poetarum, & oratorum lucubrationes; atque decernendi, quænam genuinæ, & quænam earum ſpuriæ ſint. Treſque partes compleĉtitur. 1. tradit monita & conſilia ad ordinem ſpectantia, quo veteres auctores legendi ſint, ut linguæ præcipue latina, græca, & hebraica addiſci commode valeant; 2. canones ſpectantes interpretationem verborum, & locutionum exhibet; 3. præceptiones præbet de judicio, quod de libris antiquorum ſcriptorum, nec non de locis, tum ſpuriis, quum genuinis ferendum eſt. Honoratus a s. Maria tom. I. Animadv. in reg. crit. diſs. 1. art. 1. Clericanam definitionem nequaquam probat, atque hanc dat: „ Critica eſt ars judicii ferendi de factis hiſtoriam conſtituentibus, de operibus ingenio partis, de eorum variis lectionibus obviis, de ſenſu, ſtilo, & auctoribus „. Verum ut ceteras ab aliis datas Criticæ definitiones omittam, eam poſt Muratorium, Genuenſem, alioſque ſic finire libet: Critica eſt ars judicandi diligenter, accurate, prudenter, & acute quavis de re.

III. *Senſuum miniſterio corporum eſſentiæ cognoſci nequeunt*. Jam ut regulas tradamus pro quacunque re accurate dijudicanda „ ordiamur a ſenſibus, verba ſunt Tullij lib. IIII. Acad. c. VII. quorum ita clara judicia & certa ſunt, ut ſi optio naturæ noſtræ detur, aut ab ea deus aliquis requirat, contentane ſit ſuis integriſque ſenſibus, an poſtulet melius aliquid, non videam, quid quærat amplius „. Senſuum porro miniſterio externas corporeaſque res novimus, in quibus quatuor conſiderari queunt, eſſentia, exſi-
ſten-

ſtentia, qualitates, & relationes. Eſſentia corporis alicujus in congerie omnium attributorum eſſentialium ejus ſita eſt; quorum quidem ſi unum nos præterit, totam eſſentiam præterire nos fatendum eſt. Senſus vero nec omnia corporum eſſentialia attributa exhibent, nec exhibere valent; ſiquidem internas corporum partes introſpicere nequeunt; & ea quæ eorum aciem fugiunt, & in corporibus quidem inſunt: ac proinde nec eſſentias corporum percipere queunt. Hinc binæ regulæ proficiſcuntur. I. De corporum eſſentia intimaque natura, & conſtitutione ſolo ſenſuum miniſterio judicium ferre nequimus: ſemperque cenſendum eſt in quovis corpore quidquam ineſſe, quod nos nec cernimus, nec cernere valemus. II. Credendum eſt ex corporibus ea poſſe effecta prodire, quorum nullas in eis cauſſas videmus; propterea quod plura in iis ſunt, quæ nos fugiunt: Quærendæ ſunt potius cauſſæ in corporum natura abditæ. Adhæc magi ac dæmoniaci non ſunt ſtatim cenſendi ii, qui in corporibus mira & inſueta peragunt; ſiquidem horum omnium cauſſæ in natura eſſe poſſunt.

IIII. *Corporum exſiſtentia ſenſibus percipi poteſt.* Ad exſiſtentiam vero corporum dignoſcendam ſenſus ſunt idonei & apti. „ Senſuum enim organa, ita ratiocinatur Genuenſis Art. Log. cr. lib. IIII. c. 1. §. 2. ſunt corporea & neceſſaria: nimirum non moventur niſi extrinſecus & tactu: tangi autem corpora non poſſunt niſi a corporeis: ergo ex tactu tuto de corporum exſiſtentia judicamus. Quocirca ea corpora, a quibus nullo modo tangi nec lumine, nec ſono, nec ulla alia via poſſumus, conjicere quidem licet exſiſtere, ſi eorum ulli effectus in iis appareant corporibus, quæ ſenſui patent; at ſentiri, id eſt ſenſibus percipi nequeunt. non igitur eos probo, qui ex ideis corporum eorum exſiſtentiam demonſtrare conantur: ideæ enim res aut poſſibiles, aut exſiſtentes, non neceſſario exſiſtentes deferunt: Quamobrem, ſi poſſibilia eſſe poſſunt idearum objecta, non ſtatim concludi poteſt exſiſtere. Porro quum ſenſus, nec nimium pa-

teant, & paullo ſint craſſiores, efficitur ut plurima eſſe poſſint corpora, corporumque qualitates, quæ aut præ diſtantia, aut præ exiguitate lateant. Id quod vires electricæ, plantarum aliquarum mirabilium, animantium &c. ſatis aperte docent. Ne igitur putato ea tantum exſiſtere corpora, quæ ſentis„. Quo autem pacto corporum qualitates, ac relationes ſenſuum miniſterio percipiantur, jam in primo libro, ubi plura protulimus, quæ ad ſenſus ſpectant, explicatum eſt.

V. *Canones ſenſuum uſum ſpectantes*. Hiſce delibatis, ad regulas ſenſuum uſum ſpectantes venio. I. Quicquid ſenſuum ope recte diſpoſitorum, beneque valentium clare diſtincte & uniformiter percipitur phyſice certum eſſe nobis debet. Dixi ſenſuum recte diſpoſitorum, beneque valentium ope clare diſtincte ac uniformiter percipitur. Nam, ut cum Tullio loquar lib. IIII. Acad. c. VII. non is ego ſum qui, quicquid videtur, tale dicam eſſe, quale videtur. Epicurus hoc viderit, & multa alia. Meo autem judicio ita eſt maxima in ſenſibus veritas, ſi ſani ſint & valentes, & omnia removeantur, quæ obſtant & impediunt. Itaque & lumen mutari ſæpe volumus, & ſitus earum rerum, quas intuemur, & intervalla aut contrahimus, aut diducimus, multaque facimus uſque eo, dum aſpectus ipſe fidem faciat ſui judicii, quod idem fit in vocibus, in odore, in ſapore, ut nemo ſit noſtrum, qui non in ſenſibus ſui cujuſque generis judicium requirat acrius„. II. Non debent falſa cenſeri ea, quæ ſenſibus minime apparent, niſi prius conſtiterit, vera eſſe non poſſe ſi ſub ſenſus non cadant. Hinc abnegare haud poſſumus ex. gr. internas mihi corporis ſubtiliores particulas jugi motu torqueri, eaſque ex illius porulis continenter erumpere; quamvis nec inteſtinum illum motum, nec aſſiduam evaporationem nudis oculis perſpiciamus. III. Dubitare jure nequimus, quin verum ſit, cui evidens experientia ſuffragatur; experientia enim rerum magiſtra eſt. IIII. Falſum indubitanter cenſendum eſt, quod experientiæ aperte adverſatur.

VI. ***Quid experimentum, quid obſervatio cet.*** Expe-

perientia, de qua memini, in eo ab obſervatione abludit; quod haberi nequaquam poteſt, niſi operam noſtram adhibeamus: contra obſervatio ſine noſtro labore fit: hinc phænomena, ut meteora, eclypſes planetarum obſervari; experimenta vero, ut Boyleanæ machinæ, electriciſmi cet. fieri dicuntur. Quocirca ſtudendum eſt, ut recte peragantur, riteque conſequentia ex iis deducantur. Atque ut accurate perficiantur, opus eſt, ut homines docti ac periti inſtrumenta affabre facta adhibeant: utrumque enim neceſſarium eſt; nam ſi homines imperiti ac rudes id peragerent, plura fortaſſe omitterent, quæ forent maxime advertenda: plurimum etiam refert inſtrumenta optime conflata adhibere, ut ſuppetias ferre valeant ſenſuum noſtrorum imbecillitati, eaque in corporibus detegere, quæ ſenſibus perſpicere minime poſſemus. Plures adhæc ſunt viri docti, qui in ejuſmodi periculis faciendis, obſervationibuſque ætatem contrivere; ejuſmodi eſt Leevvenoeckius, Boyleus, Hoockius, Muſſchenbroeckius, inter noſtrates P. de Turre, Princeps s. Severi, aliique innumeri, quorum eruditæ lucubrationes perlegi poſſunt apud Acta Academiarum Florentinæ, Bononienſis, Pariſienſis, Londinenſis, Leopoldinæ, Berolinenſis, Petropolitanæ, Edimburgenſis. Alterum quod advertere maximopere oportet eſt, ut rectæ conſecutiones ex captis experimentis, factiſque obſervationibus deducantur. Quod ut habeatur, neceſſe eſt experimenta & obſervationes haud efficere animo ſyſtematis comprobandi; ſiquidem nihil eſt facilius, quam ſuas opiniones, ſuaque ſyſtemata in quibuſvis experimentis & obſervationibus videre. Nec minus difficile eſt ex experimentis, & obſervationibus effectis rite ac recte arguere: vel enim ex uno alterove experimento, aut obſervatione conſecutiones univerſales deducunt; vel illam reddunt rationem ſui experimenti, ſuæque obſervationis, quæ primum illis in mentem venit; vel conſtituto aliquo generali ſyſtemate ut plurimum arbitrario, ad id in omnibus nodis ac difficultatibus ſe conferunt. Harum rerum exempla frequentiſſime oc-

currunt in phyſicis lucubrationibus tum recentium, quum ſcholaſticorum philoſophorum; apud quos continenter atque ad ſtomachum uſque audire eſt „ ex attractione id dimanat: attractio eſt hujuſce phænomeni cauſſa; eſt qualitas occulta; ex horrore vacui naſcitur, & cet.

VII. *Canones nonnulli ad iſthac pertinentes*. Iis ſane præjudiciis, canonibus hiſce ſequentibus obviam itur. I. Cujuſque phænomeni cauſſas omnes poſſibiles ſcrutator, & cum phænomeno diligentiſſime conferto. Duplex hinc bonum dimanat; alterum quod naturæ arcana detegantur, ac plura inveniantur ea ratione, quæ alias occulta atque ignota permanerent: alterum, quod vera phænomeni cauſſa hoc pacto facilius deprehendatur. II. Ab judicio ferendo abſtineto effectum ex aliqua cauſſa produci, ſi tibi haud conſtet ejuſmodi effectum ex alia cauſſa manare non poſſe. Pluribus ab hinc annis experimento deprehenſum eſt aquam antlia tolli. ejus phænomeni cauſſam eſſe vacui horrorem autumarunt perſpicaciores ſcholæ philoſophi: at a vero aberrarunt; quia recentes phyſici qui accuratius hujuſce phænomeni cauſſam inveſtigarunt, deprehenderunt aeris externi pondere aquam ſurſum ferri. III. Si omnes poſſibiles ejus phænomeni cauſſas excuſſeris, & non dum tibi clare innoteſcat ex quanam earum proficiſcatur, non affirmate ſed perplexe unam ceteris præferto. Peccant ea in re ſæpe homines, quum ſint laboris impatientes; hinc quæ prima occurrerit, adhibito mediocri rei examine, arripiunt cauſſam; atque ii præſertim ejuſmodi peccatum admittunt, qui alicui ſyſtemati adhæreſcunt; hi enim nec omnes phænomeni cauſſas inquirunt, nec eam aſſignant, quæ ſibi probabilior videtur, ſed quæ ſuo ſyſtemati congruentior.

CA-

CAPUT V.

De duplici auctoritatis genere divinæ nimirum, & humanæ: de Scripturarum, Traditionum, Conciliorum, Patrum auctoritate præceptiones nonnullæ: regulæ XIII. *proponuntur auctoritatem eorum ſpectantes, qui dogmata enunciant: præcepta varia in medium afferuntur quum ad eventus omnes univerſim ſumtos, tum ad præteritos maxime atque futuros pertinentia.*

I. *Quotuplex ſit auctoritas.* Beatus Auguſtinus lib. II. de ordine cap. I. „ Duplex eſt via, ait, quam ſequimur, quum rerum obſcuritas nos movet, aut rationem, aut certe auctoritatem„. Rationem ſequimur, quum ipſi res vel ſenſuum miniſterio, vel intima conſcientia, vel recta ratiocinatione, attentaque meditatione cognoſcimus: auctoritate contra innitimur, quum aliorum dictis acquieſcimus in ferendo de rebus ſententiam. Auctoritas porro iſthæc vel divina, vel humana eſt: de divina pauca heic attingam, copioſius enim in de locis theologicis agitur: de humana vero huc loci ſermo nobis erit; licet regulæ, quas tradituri ſumus, utramque ex æquo ſpectent humanam nempe, & divinam. Jam auctoritas humana vel in narrationibus, vel in dogmatibus adhibetur. Narrat auctor, quum res geſtas alicujus exponit; dogmata proponit, quum ſuas, aliorumque ſententias docet, rationibuſque evincere conatur. In dogmatibus, tunc auctoritate innitimur, quum de rebus agitur ad religionem ſpectantibus, quæ quidem non ratione, ſed teſtimonio fulciuntur: in ceteris vero rebus, quæ ſunt a ratione hauriendæ, indecorum putamus hominum auctoritates aucupari. Hiſce prajactis, ad regulas venio dogmata, narrationeſque ſpectantes.

II. *Regulæ VII. Scripturæ, Traditionis, Conciliorum, Patrumque auctoritatem reſpicientes.* I. Nemini fides adhibenda eſt, niſi prius, illum idoneum teſtem eſſe con-

conſtiterit. „ Qui cito credit, Sapiens inquit, levis eſt corde „. II. Quæ divina ſunt fulta auctoritate, firmiſſimo aſſenſu credenda ſunt. Etenim quum Deus intimam rerum omnium naturam & conſtitutionem clariſſime cognoſcat. „ omnia quippe, ut ait s. Paullus ep. ad Hebr. c. IIII. v. XIII. nuda & aperta ſunt oculis ejus „ nec falli, nec fallere poteſt. Præterea quum ſit bonitas, veritas, ac perfectio ſumma, nec alios in errorem inducere valet. III. Quæ fide divina nobis credenda proponit eccleſia, animo haud vacillanti admittenda ſunt. Siquidem eccleſia ſecundum Apoſtolum eſt columna & firmamentum veritatis. IIII. Firmiter tenendum nobis eſt, quod ubique, ſemper, atque ab omnibus creditum eſt; quia Apoſtolis oretenus Chriſtus Dominus tradidiſſe putatur, atque per illos conſtanti traditione ad nos profluxiſſe. „ Quod univerſa tenet, ad rem ſcribit Auguſtinus lib. IIII. de baptiſm. contr. Donatiſt. n. XXXI. al. c. XXIIII. eccleſia, nec conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate apoſtolica traditum rectiſſime creditur „. Hanc regulam egregie illuſtratam habes apud Vincentium Lirinenſem in libello contra Hæreſes. V. Aliqua ſententia haud eſt idcirco tuta cenſenda, quia nondum eccleſia diris eam devoverit. „ Eccleſia catholica, ſcribit s. Auguſtinus lib. de ver. relig. n. X. alias c. VI. per totum orbem valide lateque diffuſa, omnibus errantibus utitur ad profectus ſuos, & ad eorum correctionem, quum evigilare voluerint ... Carnales autem ſuos, id eſt viventes, aut ſentientes carnaliter, tanquam paleas tolerat, quibus in area frumenta tutiora ſunt, donec talibus tegminibus exuantur. Sed quia in hac area pro voluntate quiſque vel palea, vel frumentum eſt, tandiu ſuſtinetur peccatum aut error cujuslibet, donec aut accuſationem inveniat, aut pravam opinionem pertinaci animoſitate defendat „. Eccleſia igitur eos errores ſtatim ac in lucem prodeunt, confodit, qui ſtrepitum faciunt: quod vel ex eo liquido apparet, quod Innocentius XII. in proſcriptione libelli, cui titulus erat: Explication des Maximes des

Saints

Saints ſur la vie interieure ec., & Clemens XI. in damnatione libri inſcripti : Le noveau Teſtament en francois avec des riflexions morales ſur chaque verſet ec. ajunt : ille „ Non intendimus tamen, inquit, per expreſſam hujuſmodi reprobationem alia in eodem libro contenta ullatenus approbare „ : hic vero ſimilia recinit. VI. Quod Patres omnes ad unum in religionis negotio docent, verum certumque cenſendum eſt. Fieri enim haud potuit, ut ii, quos doctrinæ luce cœleſtis accenſos in Eccleſiæ ſuæ firmamento collocavit Deus, & orbem Chriſtianum, depulſis erroris & inſcitiæ tenebris, illuminare juſſit, a veritate omnes turpiter aberrarint. Omnes dixi; quia non fuit illorum quiſque falli & fallere neſcius, quo dono divini ſcriptores præditi fuere. „ Quidquid autem eſt ejuſmodi, ait Petavius Theol. Dogm. prolegom. c. II. de quo omnes inter ſe congruunt; id vel catholici decreti firmitatem obtinet, vel eo certe quam proxime pertingit: quod illorum tanta conſenſio argumentum continet priſcæ, & ex alto repertitæ traditionis; quam unam ex fidei regulis catholica pietas agnoſcit „. VII. In naturalibus diſciplinis, humaniſque artibus ss. Patrum auctoritas majoris ſane ponderis haud eſt, quam eorum philoſophorum ſit, quarum ipſi Patres veſtigia preſſerunt: quare tanti eorum dicta valent, quanti rationes, queis illa innituntur. Hinc apposite cl. Melchior Canus de loc. theol. lib. VII. c. III. „ Sanctorum auctoritas, inquit, ſive paucorum, ſive plurium, quum ad eas facultates affertur, quæ naturali lumine continentur, certa argumenta non ſuppeditat: ſed tantum pollet, quantum ratio naturæ conſentanea perſuaſerit. Primum quidem, quoniam ſancti auctores non erant adeo ſolliciti in philoſophiæ dogmatis perſcrutandis: quin philoſophorum libros, ut totos ſeſe divinæ ſapientiæ dederent, aut valere ſinebant, aut etiam interdum a limine ſalutabant. Gregorius quippe Nazianzenus, & Baſilius tredecim annos, omnibus ſæcularium remotis, ſolis divinæ Scripturæ voluminibus operam dediſſe referuntur a Ruffino, libro eccleſiaſticæ hiſtor.
ſuæ

ſuæ ſecundo, cap. VIIII. Et Hieronymus in procemio commentariorum III. libro ſuper epiſtolam ad Galatas (vel genuinus illorum commentariorum auctor; nam ſi fides Xiſto Senenſi, aliiſque emunctæ naris hominibus adhibenda eſt, s. Hieronymo opus illud abjudicare oportet) Pluſquam quindecim anni ſunt, inquit, ex quo in manus meas nuſquam gentilium litterarum quilibet auctor aſcendit: & ſi quid forte inde, dum loquimur, obrepit, quaſi antiqui per nebulam ſomni recordamur. Et de ſtudiis noſtrorum paullo poſt, Quotuſquiſque ait, nunc Ariſtotelem legit? quanti Platonis vel libros novere, vel nomen? vix in angulis otioſi eos ſenes recolunt. Ruſticanos vero & piſcatores noſtros totus orbis loquitur, univerſus mundus ſunt. Hactenus ille. Plura exempla non quæro, quum manifeſtius hoc ſit, quam ut pluribus indigeamus. Accedit, quod ex ſanctis antiquis nonnulli Phyſicen, & Metaphyſicen vel non habuere quidem, vel certe leviter attigerunt. Alii vero magna ex parte fuere Platonici, priuſquam converterentur ad fidem. Quamobrem quum in philoſophiæ quæſtiones incidunt, aut vulgi, & Rhetorum opiniones ſequuntur, aut etiam quas a Platonicis acceperant, in Chriſtianorum ſcholam invehunt. Ita viri docti errores forte quosdam (quod ad philoſophiam quidem humanam attinet) in Sanctis antiquis deprehendunt. Atque hujus rei exempla proferre facillimum eſſet, ſed non libet etiam in his parvis majores noſtros deſignare „. In eadem eſt opinione vir doctus L. A. Muratorius in de moder. ingen. lib. I. c. XXIII.

III. *Regulæ XIII. ad auctoritatem eorum, qui dogmata tradunt, pertinentes*. I. Si a doctrina & opinione Doctorum magni nominis, ſummorumque philoſophorum recedendum nobis eſt, fieri debet, ſervato illis honore, petitaque venia. Ejus rei frequentia nobis exhibet exempla b. Auguſtinus, quum adverſus errorem s. Cypriani de hæreticis denuo baptizandis ſcriptitat. Semper de illo honorifice loquitur, nec opinionem ejus, in quam incautus impegerat, ſi-

ne præfatione veniæ confutat. In libro præ ceteris de baptiſmo contra Donatiſt. c. 11. „ Quapropter, inquit, reddens debitam reverentiam, dignumque honorem, quantum valeo, perſolvens pacifico epiſcopo, & glorioſo martyri Cypriano, audeo tamen dicere eum aliter ſenſiſſe de ſchiſmaticis, vel hæreticis baptizandis, quam poſtea veritas prodidit „. Eadem ſe geſſit Plato ratione, qui a ſua republica poetas omnes ablegans, ac præcipue Homerum, hunc ipſum ſine ignominia & cum honore extra civitatem deduci juſſit „ vittis prius albis redimitum, & effuſo in ejus caput unguento pretioſiſſimo „. II. Viri ſummæ pietatis ac doctrinæ non temere ſunt erroris arceſſendi, ſed ſi qua ſunt in eorum lucubrationibus ambigue dicta, quæ ex aliis eorum ſententiis explicari excuſarique poſſunt, hoc potius tenendum eſt, quam illis erroris notam inurere. Hujuſmodi regulam præbet exponitque Facundus Hermianenſis in libris de tribus Capitulis, in quorum nono ita ſcribit. „ Quemadmodum calumniantium hæreticorum eſt ex dubiis & obſcuris, quæ certa & manifeſta ſunt male interpretari: ita ſolitum eſt prudentiæ, ac pietatis catholicæ, ex indubitatis atque evidentibus, & firmare ambigua, & latentia declarare. Ideoque melius facimus, ſi virorum doctiſſimorum in pace Eccleſiæ mortem obeuntium ſcripta melius interpretemur „. III. Anteſerendi ſunt pauci docti quicquam tradentes pluribus imperitis: indocti enim plurimum præjudiciis ſunt imbuti, ac præcipitanter de rebus judicant. IIII. Opinio innixa communi conſtantique omnium gentium conſenſui, quin ullus de ejus veritate unquam ambegerit, pro certa eſt habenda. „ Id, de quo, inquit Cicero lib. I. de natur. deor. c. XVII. omnium natura conſentit, verum eſſe neceſſe eſt „. V. Perito cuique in arte ſua credendum eſt, modo nobis conſtet peritum revera eſſe. VI. Certa moraliter ea cenſenda eſt enunciatio, quam omnes ad unum doctores tanquam veram admittunt. VII. Ea doctrina, quæ pluribus ſapientibus vera videtur, iiſque potiſſimum, qui ceteris clariores ſunt, probabilis judicanda eſt.

Ete-

Etenim viri ſapientes & cordati nihil ſine ſufficienti ratione docere ſolent; quippe ut Tullius lib. I. de natur. deor. c. 1. inquit „ Quid tam temerarium, tamque indignum ſapientis gravitate atque conſtantia, quam aut falſum ſentire, aut quod non ſatis exploràre perceptum ſit & cognitum ſine ulla dubitatione defendere? „ VIII. Scriptoris auctoritas, qui textus mutilat, & documenta aſtu ſupprimit, quæ ejus doctrinæ adverſantur, vel nulla eſt, vel ad minus ſuſpecta. Nam vel fallendi animum habet, & fidem nullam promeretur; vel de ſua doctrina ſubdubitat, putans iis momentis, quæ ſilentio præterit, profligari eam poſſe. VIIII. Quiſquam auctor, ut opinioni quam tutatur, probabilitatem ſua auctoritate conciliet, hiſce dotibus ſit exornatus oportet 1. ut præjudiciis vacet; 2. ut arte critica polleat; 3. ut in re ſit apprime verſatus; 4. ut magna acribia, miroque ingenii acumine ſit præditus; 5. ut opinionem ſuam dilucide exponat; atque rationibus mirifice fulciat; 6. ut objectionibus plene ſatisfaciat. X. In afferendis aliorum teſtimoniis ad noſtræ ſententiæ doctrinæque confirmationem, nec nimii eſſe, nec manci debemus. Primum παιδαγωγίαν vulgo pedanteria redolet; alterum illorum oſtendit ignorantiam, qui perinde ac de rebus geometricis verba facerent, nullum proferunt teſtimonium, licet hiſtorias conſcribant. XI. Hiſtoricus auctores indigitare debet, ex quibus, quæ de antiquis narrat, excerpſit. Quandoquidem rerum vel antiquitus, vel procul a ſe geſtarum teſtis eſſe haud potuit. Theologus itidem, Juriſconſultus, Canoniſta, Scripturæ loca, legeſque citare debent, quibus ſubnixæ ſuæ deciſiones ſunt. XII. Geometram, Metaphyſicum rationem; Phyſicum, Aſtronomum Medicum experimenta & obſervationes; Ethicum, Politicum auctoritatem, rationem, & hiſtoriam citare oportet. Philoſophus porro, quem auctoritatem allegare decet, ille eſt, qui Inſtitutiones in uſum Juventutis conſcribit. Juvat enim auctores innuere, qui rem, quam ipſe breviter, fuſiori calamo verſant, ut juvenes eos adire queant. XIII. In auctoritatibus proferen-

ferendis moderatio, ſelectio, & critica adhibenda ſunt. Quo in negotio peccant primum ii, qui utramque pagellam auctoritatibus implent; quaſi quod ratione non valent, auctoritate perſuadere vellent. Deinde qui non doctiores & celebriores in arte, neque ea loca, quæ optimas rationes apte expoſitas complectuntur, adducunt. Tandem qui non ubi opus eſt, ſed ubique auctoritates crepant; nec indicant uno vel altero verbo auctoris famam, ut ejus auctoritas rem probandam corroboret.

IIII. *Regulæ VI. eventus omnes univerſe ſumtos ſpectantes.* Sed jam tempus eſt, ut ad regulas eventus ſpectantes gradum faciamus. I. Ex una eventus poſſibilitate nullo pacto deduci poteſt, revera accidiſſe. Ejus rei veritas per ſe liquida eſt. II. Omnes circumſtantiæ quum internæ, tum externæ eventus ſunt accurate penſitandæ, antequam de eo ſententia feratur. Internæ circumſtantiæ ille vocitantur, quæ rem ipſam ſpectant: externæ vero quæ narratorem eventus reſpiciunt. Ad illas quod pertinet, advertere oportet, an earum quæquam ratione loci, perſonæ, temporis, ſit moraliter ſaltem impoſſibilis; an ita una alteri adverſetur, ut ſimul ambæ in eodem eventu eſſe nequaquam poſſint. Ad haſce vero quod ſpectat, expendendæ ſunt narratoris dotes, num ſcilicet dignus ſit, cui fides tuto haberi poſſit. III. Narrator doctus ſimul & probus ſit oportet. Doctus ut ſibi imponi non facile patiatur, aptus ſit cunctis acri judicio expendendis, & popularibus rumoribus minime ducatur. Probus, ut mendacia venditare, fraudes, impoſturaſque obtrudere nequeat. Hinc neceſſario conſequitur factum a viro doctrina & probitate præditum narratum, veluti certum habendum eſſe. Siquidem ſuſpicari virum doctum & probum, vel nimis credulum, vel mendacem fuiſſe iniquum eſt. Quare optimo jure Auctor artis cogit. part. IIII. c. XIIII. „ Contendo, inquit, omnem hominem, cui mens ſana, religionis licet expers ſit, teneri ad ea credenda, & pro veris miraculis agnoſcenda, quæ d. Auguſtinus vel in Confeſſionum libris, vel in illis aliis de Civita-

vitate Dei, narrat ſuis ſe oculis vidiſſe, vel quorum notitiam ait ſe habuiſſe ab illis ipſis, quibus ea contigère. Tale illud eſt cæci illuminati attactu Reliquiarum ss. Gervaſii, & Protaſii, inſpectante omni populo Mediolanenſi. Hujus mentionem facit in Confeſſionibus, & de eo lib. XXII. cap. VIII. hæc verba habet: „ Miraculum quod Mediolani factum eſt, quum illic eſſemus, quando illuminatus eſt cæcus, ad multorum potuit notitiam pervenire, quia & grandis civitas eſt, & ibi erat tunc imperator, & immenſo populo teſte res geſta eſt concurrente ad corpora martyrum Gervaſii, & Protaſii „. Tale illud mulieris in Africa ſanatæ floribus, qui Reliquias ſancti Stephani tetigerant, ut eodem loco narrat. Tale miraculum nobilis feminæ a cancro, ut putabatur, incurabili, ſanatæ per ſignum crucis, quod ſibi a recens baptizato imprimi curavit, ſecundum revelationem hac de re habitam. Tale miraculum erat pueri ſine baptiſmatis ſacramento mortui, cujus vitam mater ſuis a d. Stephano precibus quodammodo extorſit, eundem vehementi fide abrepta compellans his verbis „ ſancte Martyr, redde mihi filium; tu te noſti me ejus vitam non aliam ob cauſſam petere, quam ne æternum Deo careat „. Si ſupponatur hæc omnia eo, quo referuntur, modo contigiſſe, nemo ſui rationiſque compos poterit in iis digitum Dei non agnoſcere. ac proinde ad illorum fidem labefactandam quæſtio tantum excitari poteſt de ipſo divi Auguſtini teſtimonio, affirmarique illum veritatem corrupiſſe ad auctoritatem, venerationemque chriſtianæ religioni apud Ethnicos conciliandam. Sed nec hujus verique ſimilitudo eſt. Primo quia veriſimile non eſt virum gravem & prudentem voluiſſe mentiri de rebus adeo notoriis & populo manifeſtis. Poterat enim illico mendacii infinito teſtium numero coargui: quod ad chriſtianæ religionis dedecus & ignominiam non potuit non cedere. Secundo, quia nemo unquam Auguſtino juratior mendacii hoſtis exſtitit, quum integris libris conſtanter doceat, non tantum non licere unquam mentiri, ſed etiam horrendo crimine non carere eos,

qui

qui etiam ut homines ad fidem facilius alliciant, mentiuntur. Et hoc illud eſt, quod nos in ultimam admirationem rapere debet, quum videmus hujus ſæculi hæreticos (apud quos d. Auguſtinus vir eſt illuminatiſſimus, & veraciſſimus) non percepiſſe quando Sanctorum cultum, Reliquiarumque venerationem pro rebus ſuperſtitioſis, & idololatriæ proximis traducunt, ſe machinamenta erigere ad omnem Religionem funditus evertendam. Nam meridiano ſole clarius eſt Religionem carituram fulcimento ſolidiſſimo, ſi miracula ea, qua ad veritatem confirmandam pollent, auctoritate exuantur. Nec minus clarum eſt miracula hac auctoritate exutum iri, ſi dicantur a Deo cudi in gratiam cultus ſuperſtitioſi & idololatrici. Quum tamen hoc ipſum eſt, quod hæretici moliuntur, dum hinc cultum venerationemque Sanctis Sanctorumque Reliquiis exhiberi a catholicis ſolitum ſuperſtitionis inſimulant: illinc nequeunt non agnoſcere Dei amicos quam maxime intimos, qualis, ipſis confitentibus, fuit Auguſtinus, nobis fidem dediſſe, Deum morbos inſanabiles curaviſſe, cæcos illuminaſſe, mortuos reſuſcitaſſe ad eorum remunerandam pietatem, qui Sanctos invocabant, eorumque venerabantur Reliquias. Profecto vel hæc una conſideratio omni homini ſano, Religionis prætenſæ reformatæ falſitatem poterit manifeſtare. In celebri hoc exemplo deducendo, quo decernitur, quomodo de rerum geſtarum veritate judicandum ſit, uberior fui, ut regulæ loco eſſet in ſimilibus caſibus, quia in talibus ſæpiſſime erramus „. Eadem ratione motus huc loci tranſcribendum curavi. IIII. Eventus quidam magis admirabiles, & miracula quædam inſolita, ſi in magno ſunt numero, ut eis fides exhibeatur, graviſſimis rationibus evincantur neceſſe eſt. V. Cuique perſuaſum ſit antiquos homines non fuiſſe ingenio, moribus &c. a noſtris longe diverſis. Hinc conſequitur non eſſe facile Vandalio, & Fontanelio concedendum Paganorum oracula omnia meras fuiſſe impoſturas, quum fidem omnem excedat, Paganos tandiu ſtupidos adeo, atque hebetes exſtitiſſe, ut ſibi a ſacerdotibus imponi permitterent.

rent. VI. Eventus ſimiles perſæpe circumſtantiæ quædam diverſæ comitari ſolent, ex quibus arguendum eſt, cui ſint attribuendi. Quamobrem quum in hiſtoriis, actis martyrum &c. eventus omnino in circumſtantiis omnibus ſimiles occurrunt, ſuſpicandum vehementer eſt, num idem eventus ſit, idem Sanctus, idem homo in plures aut nominis ſimilitudine, aut alia ratione ab hiſtoricis diviſus ſit. Quod quidem non vice ſimplici eveniſſe ab hiſtoriis erudimur. Ex duplici Cypriano, quorum unus primum veneficiis deditus; deinde ab Juſtina invicta virgine, quam ſeducere nitebatur, ad meliorem frugem redactus; poſtremo Diocletiano in Chriſti aſſeclas ſæviente, mortem una cum inexpugnabili virgine, pro Chriſti nomine glorioſiſſime oppetivit; alter ex idolorum cultu, & mundi illecebris, quibus miſere captus erat, in Chriſti Servatoris caſtra translatus, atque ſacris infulis honeſtatus, unum viri alias doctiſſimi ac ſummi turpi errore conflarunt. Ex binis Hilariis cum divo Auguſtino arctiſſimo amoris vinculo conjunctis, uno profanis rebus addicto, altero ſacris altaribus dicato, atque in Arelatenſem epiſcopum creato, unum effinxere. An denique ex eadem nominis *ταυτότητι* obortum ſit, ut pro pelagianæ hæreſeως anteſignano Ruffinus Aquilejenſis, loco cujuſdam presbyteri Palæſtini, ſive Syri, cui nomen idem Ruffini erat, haberetur, magna eſt inter eruditos viros diſceptatio.

V. *Regulæ VIIII. ferendo rectum de hiſtoricis judicium inſervientes*. Jam ad hiſtoricos propius accedo. I. Ex eo quod quidam hiſtoricus decipi potuit, non ſtatim conſequitur jam deceptum fuiſſe. Rejicere ergo hiſtorici auctoritatem; propterea quod fallax errorique obnoxia eſſe valeat, deſipere eſt: ſunt alia argumenta in medium producenda, ut ab ea diſcedere cogamur. II. Facta, quæ oculati hiſtorici, vel omnes, vel plures, nemine abnuente, denarrant, ſunt pro certis habenda: contra ſi unus aut alter pluribus adverſentur, expendendæ ſunt eorum dotes; atque ſecundum eas judicium ferri debet. „ Veracis enim hiſtoriæ, inquit Joſephus lib. I. contr. Apion. indicium

cium eſt, ſi de rebus iiſdem omnes eadem dicant, & ſcribant „. Unde porro Cæſarem virum bello clarum quondam floruiſſe ſcio? ex ipſius nempe commentariis, ex Hirtii, Ciceronis, Bruti, Livii, Vellejі, Lucani aliorumque ſcriptis, qui rerum geſtarum Cæſaris oculati teſtes fuerunt, vel facili negotio, quæ Cæſar geſſit, reſcire potuerunt. Si vero de re aliqua inter hiſtoricos non convenit, examinanda eſt perdiligenter horum teſtium conditio. Siquidem teſtes vel præſentes, vel coævi; vel abſentes, vel recentes; vel plures, vel unus; vel oculati, vel auriti; vel noti vel ignoti; vel neutri parti, vel uni parti addicti; vel prudentes, vel vecordes; vel probi, vel improbi; vel ſuæ cognitionis rationem afferunt, vel non; vel rem poſſibilem, vel impoſſibilem, vel ſaltem mirabilem narrant. Quis non videt fidem magis præſtandam eſſe teſtibus præſentibus, aut coævis præ abſentibus, aut recentioribus? pluribus doctis probis & diligentibus, quam uni? oculatis, quam auritis? hinc Plautus Truc. 26. 8. „ Pluris eſt, inquit, oculatus teſtis unus, quam auriti decem „: notis, quam ignotis? liberis nulliſque affectibus obnoxiis, quam alicui factioni devotis? prudentibus probiſque, quam vecordibus improbiſque? iis qui documenta afferunt, quam iis qui nullum? iis qui poſſibilem, quam illis qui vel impoſſibilem, vel ſaltem mirabilem referunt? Quis enim adeo bardus eſt, ut fidem ſupine adjungat Huetio narranti ritum, quo Hardenbergæ conſul creari ſoleat, ut ab oppidanis accepiſſe teſtatur? Sic in carmine ad Johannem Capellanum canit:

Hinc Hardenbergam ſera ſub nocte venimus.
Ridetur nobis veteri mos ductus ab ævo.
Quippe ubi deligitur revoluto tempore conſul,
Barbati circa menſam ſtatuuntur acernam,
Hiſpidaque imponunt attenti menta Quirites:
Porrigitur ſeries barbarum deſuper ingens:
Beſtia, pes, mordax, ſueta inter creſcere ſordes,
Ponitur in medio. Tum cujus numine Divum
Barbam adiit, feſto huic gratantur murmure Patres,
Atque celebratur ſubjecta per oppida conſul.

R Et

Et revera hujuſmodi morem in illo oppido nec vigere, nec unquam viguiſſe liquido conſtat. III. Inter veras certaſque hiſtorias eam recenſeto, quam reales, diuque ſtabiles effectus ſequuti ſunt. Hinc veram eſſe noſtram Religionem expedite conficitur; ſiquidem per orbem univerſum propagari primum cœpit ope miraculorum Chriſti, ejuſque aſſeclarum; quæ quidem miracula ſi vera fuerunt, a Deo operata fuerunt. At quum Deus falſam Religionem miraculis confirmare nequaquam potuerit: conſequitur veram confirmaſſe. Miracula porro eſſe vera, inde inſtruimur, quod per totum terrarum orbem certi ſtabileſque effectus ſint ea ſequuti, quales ſunt fanorum demolitio, idolorum everſio, fides ubique diffuſa. IIII. Facta, quæ ab uno, alterove oculato hiſtorico docto ac probo narrantur, nemine refragante, certitudini proxima ſunt. Nulla indiget luce regula iſthæc, ut quæ per ſe clara eſt. V. Ex unius, alteriuſve coævi hiſtorici ſilentio non recte conficitur eſſe in dubium revocanda, quæ alii coævi ſcriptores referunt. Nam potuit vel oblivione, vel oſcitantia, vel ad ſummum malitia rem illam omittere. VI. De factis, quæ hiſtorici nec coævi, nec oculati referunt, dubitandum eſt; ſi ab hiſtoricis coævis & oculatis, data opportunitate, haud memorentur. Ut major lux hiſce binis regulis argumentum negans ſpectantibus accedat, animadvertendum eſt, argumentum ex veterum ſcriptorum ſilentio deſumtum nullius ſane ponderis eſſe, ſi hæ duæ conditiones deſint. Prima eſt, ut factum ſcribere potuerint auctores antiqui; potuiſſe vero litteris mandare arguitur, ſi ratione loci, ac temporis factum illud ſcire potuerunt; ſi nullum eis periculum erat illud ſcriptitandi; ſi opportunitatem habuerunt mentionem de eo faciendi. Secunda eſt, ut antiqui ſcriptores id factum litteris conſignare debuerint; debuiſſe vero ex eo conficiendum eſt, ſi ad rem, quæ præ illorum manibus erat, plurimum factum illud conferebat; eratque adeo memorandum, ut ſine injuria omitti haud poſſet. Quocirca ne in hujuſce argu-

gu-

gumenti uſu turpiter a veritate aberremus, oportet, ut cl. P. Mabillonius part. II. de ſtud. monaſt. cap. XIII. monuit „ nedum ſingulos evolviſſe ſcriptores, ex quorum ſilentio tale argumentum eruitur, ſed inſuper nullatenus ambigere, num aliqui nobis deſint „ qui fuerint ipſis contemporanei. Contingere namque poteſt, quod auctor, cujus ſcripta ad nos uſque minime devenerint, rei alicujus mentionem fecerit, quæ tamen a ceteris fuerit prætermiſſa. Præterea manifeſta quadam ratione certi ſimus oportet, quod nihil de iis, quæ evenerunt, in materia, de qua agitur, ſcriptorum illius ævi, qui nobis ſuperſunt, ſollertia præterierit. Hoc itaque argumento nonniſi cum maxima cautela uti debemus „. & quidem potiſſimum, ut idem ipſe advertit vir cl. in materiis, quæ ſunt alicujus ponderis & momenti. Facillimum quippe eſt, inde hallucinari, ex nimia videlicet fiducia, qua cuncta legiſſe, atque notaſſe aliquando præſumitur. Hinc tamen non obſtat quin in ſimilibus caſibus liceat prudenter dubitare, uſque dum novum aliquod lumen menti obveniat, vel ad conceptum dubium promovendum, vel ad ipſum affirmative, aut negative ultimo reſolvendum „.

VII. Non eſt falſa ducenda hiſtoria a poſteris narrata, ſi deſunt coævi & oculati, modo a validis rationibus de ea dubitare non cogamur. Siquidem oculati & coævi teſtes potuerunt factum ejuſmodi prætermittere; vel quia non erant admodum accurati ac diligentes; vel quia iſthæc res e memoria eorum excidit; vel quia ipſis facultas non erat id rei jure litteris conſignare. E contrario potuit ea hiſtoria ope traditionis ad poſterorum aures pervenire, & præcipue ſi factum non privatum, ſed publicum fuit; ſi tempus in quo evenit, non fuit ab ætate ſcriptoris adeo remotum, ut illud reſcire facili negotio non poſſet. Præterea advertendum accurate eſt, an poſterior hiſtoricus ſit ingenii acumine, probitate, prudentiaque præditus, ut poſſet, ſi vellet, perdiligenter in antiquitatem, inque tranſactam ætatem inquirere, atque omnia monumenta, traditionemque

expendere; atque ex eis factum liquido haurire ſcriptiſque committere. VIII. Hiſtoricum factum ſufficientibus rationibus firmatum non eſt ut commentitium rejiciendum, quod poſſibilibus tantum frivoliſque conjecturis concutiatur. „ Quapropter nihil inſulſius, optime inquit, Auctor art. cogit. p. IIII. c. XIII. quorundam hujus ſæculi hæreticorum conatibus ad probandum divum Petrum Romæ nunquam fuiſſe. Negare quippe non poſſunt hanc veritatem ſcriptorum eccleſiaſticorum omnium etiam antiquiſſimorum, ut Papiæ, s. Dionyſii Corinthii, Caji, s. Irenæi, Tertulliani teſtimoniis firmatam; quum tamen nec unus poſſit produci qui id negaverit. Attamen rentur poſſe ſe hanc veritatem ſolis conjecturis labefactare; quum dixerint d. Paulium non meminiſſe s. Petri in epiſtolis Romæ ſcriptis; & quando audiunt illum tunc temporis potuiſſe Roma abfuiſſe (neque enim ita ſedem illic fixiſſe dicitur, quin ſæpiſſime digreſſus aliis in locis Evangelium diſſeminaverit) oggerunt hæc ſine probatione dici. Quod affatim ridiculum eſt, quia quum res geſta, quam nituntur convellere, certiſſimis confirmatiſſimiſque accenſeatur, quæ in hiſtoriis eccleſiaſticis narrantur, illorum erat oſtendere, ejus cum ſacris litteris contrarietatem, quum catholicis ſufficiat umbratiles illas contrarietates eluere: quemadmodum eluuntur illæ, quæ in ſacris litteris reperiuntur, & ad quas tollendas oſtenſum eſt ſufficere ſolam probabilitatem „. VIIII. Quæ poeticis oratoriiſve penicillis depinguntur minorem promerentur fidem præ iis, quæ hiſtorice narrantur. Quandoquidem poetæ, & oratores non ſemper vera, ſed etiam vero ſimilia, & probabilia amant; hiſtorici contra verum cum circumſtantiis neceſſariis non exaggeratis, ſed ſimpliciter recenſitis exponere in deliciis habent; ac proinde major hiſce, minorque illis fides eſt adhibenda.

VI. *Regulæ VIIII. queis humana mens ſuper futuris rerum eventibus gubernatur*. Quæ huc uſque attigimus præteritos rerum eventus pæne omnia reſpi-

ſpiciunt; non ergo abs re erit, & perpauca futuros rerum ſucceſſus ſpectantia hoc in loco afferre. I. in re hac regula eſto: Circumſtantiæ, quæ futurum fortuitumque eventum antecedere ſolent, perſpectæ nobis ſint oportet; ut de eo ſapiens cautumque judicium ferri queat. „ Omnis opinabilis divinatio, ad rem ſcripſit Tullius lib. de divin. c. xIIII. conjectura nititur, ultra quam progredi non poteſt. Ea fallit fortaſſe nonnunquam; ſed tamen ad veritatem ſæpiſſime dirigit. Eſt enim ab omni æternitate repetita, in qua quum pæne innumerabiles res eodem modo evenirent, iiſdem ſignis antegreſſis, ars eſt effecta, eadem ſæpe animadvertendo, atque notando „. Porro ut Auctor art. cogit. advertit part. IIII. c. XVI. „ quemadmodum rem probabiliter factam judicamus, quum tales circumſtantias cernimus, quales ut plurimum rem talem factam comitantur, ita non minus probabiliter pronuntiamus quicquam eventurum, quum eas circumſtantias coram videmus, quas ut plurimum tale quid conſequitur. In hunc modum fauſta infauſtaque medici ominantur; de futura belli alea imperatores judicant, ceterique mortales ceteris de rebus contingenter futuris pronuntiant „. II. Quod in quibusdam circumſtantiis nunquam contigit, in iiſdem æſtimandum eſt impoſſibile moraliter eſſe, ut contingat. III. Contra quod in quibusdam circumſtantiis ſemper accidit, certo eventurum, iiſdem poſitis, cenſendum eſt. Ut ad ignem appoſita ſtupa combuſta ſemper eſt, comburetur ſane ſi iterum appones. IIII. Quod in quibusdam circumſtantiis aliquando accidit, aliquando non accidit contingens in illis omnino eſt, atque adeo non niſi temere, illis poſitis, pronuntiare poſſumus eventum ipſum eſſe certo eventurum. V. Probabile dumtaxat eſt quicquam eſſe eventurum in certis circumſtantiis, ſi illis poſitis, ut plurimum contingat. ex. gr. poſito veſpertino cœli rubore, probabilis eſt matutina ſerenitas: ſiquidem experientia conſtat, ita ut plurimum contingere. VI. Effectus fortuitus eo frequentius accidit, quo proxima ad illum diſpoſitio ſæpius in

cauſſa occurrit. VII. Eo probabilius eſt certis poſitis circumſtantiis futurum eſſe fortuitum eventum, quo cauſſa in effectum ipſum magis ex ſe prona eſt. Ita qui gulæ vitio eſt addictus ſin certe, ſaltem probabiliter toties peccabit, quoties magna exquiſitorum ciborum copia ei præſto erit. VIII. Si cauſſa eſt ſuapte natura ad plures effectus æque diſpoſita, præſumtio pro illorum uno certo & determinato eſt ad veritatem, ut unitas ad numerum omnium effectum poſſibilium. exemplum profert Auctor art. cogit. p. 1111. c. XVI. In ludo, inquit, decem viri denos deponunt aureos, ſinguli ſingulos; quos omnes unus poſtea lucratur, ceteris ſpe fruſtratis. Heic uti videtur, unuſquiſque unius aurei periculo ludit, quum poterit denos acquirere. Si lucrum, & jacturam in ſe ſolum conſideremus, videri poſſunt omnes non ſine fœnoris ſpe ludere. Conſiderandum tamen eſt, quemadmodum unuſquiſque novem aureos lucrifacere poteſt, atque unicum tantum perdere, ita novies probabilius eſſe, unumquemque ſui aurei jacturam facturum, quam quod novenos lucrabitur. Atque ita quemadmodum unuſquiſque ſperat ſe novem poſſe acquirere, quum tantum unicam poſſit perdere, ita probabilitas perdendi decem gradus habet, & illa acquirendi unicum. quod hinc inde lucri & jacturæ ſpes metuſque prorſus æquat. Omnes ludi, in quibus ſortes hoc pacto æquiparantur, quantum communis ludorum natura patitur, æqui ſunt & juſti; qui hanc ſortium æqualitatem non habent, manifeſte iniqui „. VIIII. Haud probabile eſt eventurum eſſe quicquam iis in circumſtantiis, quibus poſitis non niſi rariſſime contingit. Quæ ſane regula magno uſui nobis eſſe poteſt ad continendos intra orbitas ſuas eos affectus, qui nos vel ad ſidera extollunt, vel ad inferna dejiciunt, ſpem ſcilicet, & metum. „ Sunt plurimi, inquit laudatus auctor ibid. qui audito tonitru miſere pallent, trepidantque. Quod ſi hic cœli fragor, Dei mortiſque meditationem inducit, eja! bene eſt; neque ſane in his meditandis nimii eſſe poſſunt. Si vero ſolius mortis à fulmine periculum illud ſit, quod

eos

eos tanta formidine exanimat, difficile non erit oſtendere, quantum illi deſipiant. Nam e viceſies centenis hominum millibus, inſolens eſt, ut vel unus de cœlo tactus intereat: imo affirmare poſſumus inter neces violentas, vix ullam fulminatione infrequentiorem. Quum itaque timor mali creſcere, minuique debeat, tum ſecundum magnitudinem mali, tùm etiam probabilitatem, ut ita dicam, futuritionis; quemadmodum fulmen inter cauſſas mortis rariſſimum, ita ex omnibus quam minime timendum, quum inſuper ille timor nihil conferat ad vitam in illo articulo ſoſpitandam „. Eadem ratione curandi ſunt, qui nimii ſunt in valetudine ſervanda; atque illi omnes ad unum qui præter modum malum valde remotum timent.

CAPUT VI.

Errorum cauſſæ in vetuſtis codicibus occurrentium aſſignantur: regulæ codicum pretium, uſumque ſpectantes: ſuppoſitio, corruptioque librorum apud veteres juxta ac recentes auctores; & regulæ quarum ope deprehendi queant.

I. *Errorum cauſſæ in veterum codicibus occurrentium.* VErum in uſu auctorum antiquorum in errores facili negotio prolabi poſſumus, ob incredibilem mendarum illuviem, quæ in omnes pæne eorum lucubrationes irrepſerunt. Nos primum fontes mendarum indigitabimus; deinde regulas trademus, quarum lumine in tenebricoſo hujuſmodi itinere tuti incedere valeamus. Celeberrimus Trotzius in Hug. pag. 601. ad tredecim capita hujuſmodi mendas retulit. Primum, ait, ſcribas idiotas ſæpe peccaſſe, quam mediocriter doctos, qui codices deſcribendo ſiniſtre & infeliciter pro lubitu omnia corrigentes, ea quæ non intellexerunt, magis depravarunt, quam emendarunt. Secundo reputandum erit, pleraſque mendas inde fuiſſe ortas, quod ſcriba ea quæ non audiret, quæque cogitaret, ſcriberet; vel perperam

audita pro captu ſuo ſcriberet : vide exempla apud Clericum part. III. Artis Criticæ ſect. I. cap. VIII. Apparet inde nec dictantes culpa vacaſſe, male pronuntiantes, vel citius quam par erat, ut ſcriptor verba facile confunderet ; vel ſi gloſſemata in margine adnotata ipſi textui insereret dictans, vel verba gemina ſeu repetita ſemel recitaret, affines figuras litteraſque confunderet, vel non aſſequeretur, quod iterum exemplis pulcre probavit Clericus d. l. cap. III. ſeqq. cui nova ex Juriſprudentia noſtra jungere ſat multa poſſem, ſi hujus loci eſſe putarem. Tertio σφάλματα ſcribentis pleraque ex inſcitia orthographiæ & antiquiorum litterarum ductu orta ſunt. Quarto ex omiſſione diſtinctionum, de quibus in capite de Notis egimus. Quinto ex compendiaria ſcriptura plurima ſcribarum vitia cum eodem Clerico d. l. cap. VIIII. & ſeqq. repetenda ſunt. Addamus Clerico prætermiſſa quædam. Sexto, mendarum origo a diverſis ſcribis, quibus penſa deſcribenda diſtribuebantur, haurienda. Brenckmannus lib. I. cap. III. Hiſt. Pand. pag. 2. Et hoc in aliis grandioribus voluminibus vulgo obtinuiſſe patet ex codice bibliothecæ Laurentiano-Mediceæ „ in quo nomina exprimuntur Abbatis, & Monachorum, qui diſtributis penſis deſcriptioni operam dederunt : immo ſingulorum quaternionum primæ paginæ ſubjectum eſt nomen Monachi deſcribentis „ ſcribit idem Brenckmannus lib. II. cap. V. pag. 145. Septimo, nævorum cauſſa eſt, quod homines peregrinos, linguæ latinæ rudes, olim apud Romanos, plerumque Græcos, ad ſcribarum officia admoverint veteres. Sic juris civilis libros per Græcos ſcribas, & per Longobardos poſtea, quum Gothi jam inde a Theodoſianis temporibus Latinis Græciſque conjuncti fuerint, deſcriptos fuiſſe, queritur Antonius Auguſtinus lib. IIII. Emend. c. II. & XVI. & in præfat. ante libros Emendat. Exempla dedit hujus imperitiæ Brenckmannus d. l. pag. 149. ex. gr. explicit libro tertius „ pro liber tertius. Sic in caſibus & temporibus formandis, in geminis nominibus exprimendis, confuſione vocum ſimilium, & quibus aſſueti erant, rudes

des & impolitos fuiſſe cernimus. Octavo in titulorum & legum inſcriptionibus plures ſimul ex intervallo rubricas, aut ſingula nomina Juriſconſultorum videntur adſcripſiſſe, ſumto eodem minio, ne toties atramentum cum minio permutare neceſſe eſſet; hinc varia interdum ſupplere obliti fuerunt, quum ſpatia illa quæ, vacua relicta erant, vel nimis laxa, vel anguſta eſſent, Brenckmann. d. l. pag. 152. adde cl. Schultingium ad Paulli Sentent. v. tit. x. pag. 500. a. Notas meas ſupra pag. 414. Nono nimia ſcribarum diligentia in conſervando ſcripturæ nitore effecit, ut abhorrerent a ſupplementis ſeu marginalibus, ſeu interlinearibus, ne codicis aſpectum deformarent, pretiumque ſcripturæ redderent vilius. Verbis præclari critici Mureti heic utar lib. xv. Var. lect. cap. viiii. „ Solebant, inquit, homines imperiti, qui avorum, aut proavorum noſtrorum temporibus victum ſibi deſcribendis libris quæritabant, quæ perperam ſcripſerant, non delere; ne libros ſuos multis lituris deformatos, minus vendibiles redderent, iterumque totas paginas deſcribere cogerentur; ſed iis, ut erant, omiſſis, cetera perſequi. Atqui ea res innumerabilium errorum copiam in omne genus ſcriptorum, invexit „. Huic accedat, quod ſumtui parcebant, nec emendatoribus ſeu correctoribus tradebant, ut olim moris erat, deſcripta exemplaria, iterum metuentes, per horum lituras codicem viliorem futurum eſſe. Decima errorum cauſſa eſt, quod errantes ſcribæ ſæpe unius ſyllabæ corrigendæ gratia integrum verſiculum repeterent, quæ repetitiones ſæpe poſteris impoſuerunt cruces; immo ſi complura prætermiſerant, omnia bis repetere, & alieno prorſus loco inſerere, quam ſuperſcriptione interlineari deformare codicem malebant. Exempla iterum ſuppeditabit Brenckmannus d. l. pag. 154. 155. Undecima mendarum cauſſa eſt ineptia ſcribarum, ſcripturam intra poſitos terminos continendi; unde alibi vacantis areæ cauſſa giganteæ magnitudinis litteram in fine verſuum ſcripſerunt, ait Brenckmannus p. 156. vel quaſdam extra ordinem dilatarunt, alibi

mo-

monoſyllaba, & diphthongos incongrue ſecuere, nonnunquam hiatum vel lacunam ineptis quibuſdam, litteris, vel repetitis, nihilque ad rem facientibus, impleverunt. Taceo ineptias eorum in figuris picturiſque litterarum, de quibus mox. Addamus his duodecimam mendarum cauſſam ab Ant. Mureto lib. xv. Var. lect. cap. xvi. adnotatam, librarios ſcilicet, in deſcribendo ſæpe diverſis codicibus fuiſſe uſos, & ſi diverſa & contraria in illis invenirent, utrumque poſuiſſe, judicio lectoris ruminandum, quod variis exemplis d. l. probat Muretus. Accedat his decimatertia nævorum cauſſa, nimirum ſcribarum avaritia, qui ſæpius antiquis membranis pumicatis, & quantum fieri poterat abraſis inſcripſerunt, Steph. Baluzius lib. IIII. cap. XXIII. & ampl. Z. C. ab Uffenbach. in Bibliotheca Manuſcriptorum tom. II. pag. 33. Hinc factum eſt, ut integræ voces parum cautæ eraſæ cum nova ſcriptura confunderentur a poſteris, & corruptiſſimum ſenſum ſæpe producerent „. Adjiciamus hiſce decimam quartam ex Petro Franciſco Chiffletio qui in capite II. partis primæ Paullini Illuſtrati „ Alia ſunt, inquit, antiquorum codicum vitia a compactoribus, qui librorum folia aut quaterniones præpoſtere conſuerunt ita, ut quæ poſteriora eſſe deberent, priorem locum obtinerent, vel poſteriorem, quæ priora. Genus hoc perturbationis non uno in codice veteri obſervavimus: natumque videtur eſſe ex eo, quod priſco ævo nunquam, aut perraro, aut paginæ numeris, aut quaterniones litterarum notis (uti nunc) diſtinguerentur. Quare, ſi noſtro quoque tempore libros interdum videmus (quæ bibliopegorum ignavia eſt) præpoſtere concinnatos, multo ſane id antiquis illis proclivius fuit. Hinc factum ut Paullini conſolatoria ad Pammachium ſuper obitu Paullinæ conjugis, duas in partes diſcerperetur; quarum prior abrupta exſtat in his verbis: *Iſta autem, ut Apoſtolus ait, &c.* poſterior autem juncta eſt epiſtolæ ad Alethium, & incipiens ab illis verbis, *Mortem operatur &c.* in his deſinit: *Eſt enim conjux fidei &c.* Qui plura ea ſuper re aveat, Clericum cum Eccleſiæ venia legat.
II.

II. *Canones quidam ad codices vetuſtos attinentes*. In aperto errorum, queis antiqui codices ſcatent, poſitis jam cauſſis, operæ pretium fore duxi, huc loci adſcribere canones nonnullos, quorum ſubſidio, quinam ſint ceteris anteferendi, quomodo iis uti debeamus, percipiatur. Atque I. Vetuſtiores codices ut plurimum meliores ſunt; ac maxime ſi ab optimis librariis ſunt exarati. Nam quo fonti propinquiores, eo ſunt iis puriores, qui per plurium ſcriptorum manus ad nos pervenerunt. II. Antiquitas codicis mss. quum a characteris forma, tum ab ipſo etiam codice mss. dignoſci poteſt. Etenim non omnes vetuſti codices mss. quadratæ ſunt figuræ, quum conſulares quædam tabulæ longæ ſint. Verum tamen eſt, quadratos codices mss. ut plurimum antiquos eſſe. III. Codices litteris conſcripti ad vetuſtos lapidum characteres accedentibus ſunt πιθανῶς quinto Eccleſiæ ſæculo antiquiores. „ Si qua vero, ait cl. Montfauconius in Palæograph. lib. III. cap. I. remotioris ævi indicia in hujuſmodi codicibus occurrunt, ea maxime petuntur ex ſimilitudine litterarum cum characteribus inſcriptionum, quæ ſub Imperio Romano ad quartum uſque Chriſti ſæculum poſitæ ſunt: quæ cauſſa eſt, ut codicem Colbertinum, de quo mox agetur, paullo antiquiorem Cæſareo Julianæ Auguſtæ opinemur; quia magis accedit ad inſcriptionum veterum characteres„. IIII. Codices græcos, quorum litteris accentus, & ſpiritus adjecta ſunt ante ſeptimum Eccleſiæ ſæculum exaratos eſſe cenſendum eſt. V. Codices græci, in quibus litterarum nexus occurrunt, poſt octavum Chriſti ſæculum, elucubrati prudenter dicuntur. Nam „ Scimus quidem, inquit laudatus æternæ memoriæ homo eod. loc. ſeptimo circiter ſæculo accentus & ſpiritus adſcribi cœpiſſe: deinde paullatim priſcam litterarum formam nonnihil mutatam fuiſſe, ita ut tamen litteræ diſtinctæ & ſeparatæ manerent, donec ſæculo circiter octavo, vel nono litteras in libris colligandi, multaſque uno calami ductu exarandi conſuetudo inveheretur. VI. Antiquitas una alicujus mss. codicis haud ſemper ſatis

eſt

eſt ad dirimendam litem ſuper dubio aliquo auctoris textu. Occurrunt enim mss. codices antiqui vitioſi; atque tunc præferendi illis ſunt mss. codices recentiores ab optimo ſcriba exarati. VII. Etſi auctoritas unius codicis ſatis eſſe queat ad auctoris textum corrigendum; tutius tamen eſt plures conſulere, neque eos etiam prætereundo, qui non admodum correcti ſunt. Etenim ſicut nullus eſt codex etiam bonus, qui aliquo non laboret defectu: ita nullus codex eſt etiam vitioſus, ex quo aliquid boni hauriri nequeat. VIII. Codices alicujus auctoris, qui in pluribus ejuſdem provinciæ conventibus ſervati ſunt, ut plurimum conveniunt; fortaſſe propterea quod conſcripti eadem tempeſtate fuerunt ſub eodem lectore, qui pluribus ſimul dictabat; aut propthereaquod idem exemplar omnibus fuit; ac proinde unus dumtaxat codex ii omnes æſtimantur. VIIII. Conjectationes nulli codici innixæ non ſunt cæcis oculis ſuſcipiendæ; atque dum illis utamur magna nobis cautione opus eſt; ad minus uſquedum res extra omnem dubitationis aleam non ponatur; ac de ea litem amplius movere non liceat. Atqui ut ingenue verum fatear ſatius eſſe duco de iis adhuc dubitare, quæ clariores plauſibilioreſque videntur, quum facili negotio in errorem a phantaſia noſtra abripi queamus. Poſſet porro conjectura ad marginem appingi, atque lectori ut mera e noſtro penu ducta conjectio venditari. Nec una permoti conjectura ſententiam pronunciare audeamus; ſecus auctores certæ corruptioni ſubjiciemus. X. Qui codices mss. cum editis conferre volunt, in primis addiſcere debent variam antiquorum orthographiam, litterarum permutationes, ſyllabarum contractiones, verba compendifaciendi cauſſa effectas, ne „ per loco pro, & qui pro quam aut quoniam „ accipiatur &c. quo in negotio ſæpe inexperti peccant. Ad orthographiam autem, quod ſpectat, adiri poſſunt præter Caſſiodorum, Dauſquius, Voſſius, Scioppius, Sirmundus in obſervationibus in tractatum de columna roſtrata. XI. Conferentes codices mss. cum voluminibus jam typis excuſis, at-
que

que mendas deprehendentes debent accurate pagellam, lineam &c. adnotare, ut, quo pertineat emendatio, cognoſci nullo labore poſſit. XII. Variationes omnes ſunt perdiligenter notandæ, ut poſſit deinde, accurato præmiſſo examine, de iis judicium ferri. Qui plura ea ſuper re cupit, legat Mabillonium de Re Diplomatica, Montfauconium de Palæographia, & Juſtum Fontaninium de Vindiciis antiquorum diplomatum adverſus Bartholomæi Germonii diſceptationem, De veteribus regum Francorum diplomatibus, & arte ſecernendi antiqua diplomata vera a falſis &c.

III. *Suppoſitionis corruptioniſque librorum fraus antiqua eſt, neque adhucdum exoleta*. Paullo ante cauſſas errorum in codicibus occurrentium patefeci; ſatis porro ut mihi videtur, proviſum eſt recto codicum antiquorum uſui.; reliquum eſt tandem ut regulas exhibeam, quarum ope integri a corruptis, nothi a genuinis auctorum fœtus diſcerni queant. Quod antequam præſtem, dari revera hujuſmodi depravationes, ſuppoſitiones, fraudeſque paucis commonſtrem neceſſe eſt. Atque ut ab antiquis exordiar Galenus comm. I. in Hippocr. de natur. homin. ad text. 42. „ Antequam reges, ſcribit, qui erant Alexandriæ & Pergami de poſſeſſione veterum librorum ſtudioſe contenderent, nondum ullum falſo inſcribebatur opus. Sed poſtquam præmium accipere cœpiſſent, qui antiqui alicujus hominis ſcripta iis afferebant, ſic demum multa falſa inſcribentes adportabant „. Atque idem in præf. comm. II. teſtatur. Johannes Wovverius in polymathia cap. XVI. longa exemplorum ſerie id fraudis frequentiſſime admiſſum apud antiquos evincit. Clericus in tom. II. part. III. ſect. II. cap. I. factitatum idem demonſtrat. Id etiam extra omnem dubitationis aleam ponit Walchius in diatriba de arte critica veterum Romanorum edita ann. 1748. congeſtis undique teſtibus: ubi criticorum quoque munera apud Romanos explanat. Idem Walchius aliam diatribam de ortu & progreſſu artis criticæ apud vet. Roman. ediderat anno 1747. in qua ori-

ginem

ginem, incrementum, & præcipuos Criticæ cultores penes Romanos enucleaverat. Apud Chriſtianos primæ ætatis frequens de eodem crimine Patrum conqueſtio occurrit. Amphilochius Iconii epiſcopus de libris hujuſmodi ſuppoſitis commentarium edidit, qui nunc deſideratur. s. Hieronymus in de ſcrip. eccl. varia apocrypha volumina recenſet. Porro autem Sixtus Senenſis de librariis ſuæ ætatis in præf. ad Biblioth. Sanct. „ Typographi primum, ſcribit, & bibliopolæ quidam, nihil præter quæſtum arte ſua quærentes, novos quotidie librorum fœtus emittunt adulterinos, ſuppoſititios, pſeudepigraphos, & nothos, præpoſitis abſque ullo judicio & pudore in frontiſpiciis operum, quo ipſa & carius & citius vendant, falſis illuſtrium auctorum inſcriptionibus. Hoc ſane artificio ſuppoſuerunt nobis, inter multos ſpurios partus, Quæſtiones in Geneſim Philonis Judæi, Quæſtiones Juſtini philoſophi & martyris ad gentes, Quæſtiones d. Athanaſii ad Antiochum, Origenis paraphraſin in Job, ejuſdemque in eundem librum commentarios, item Arnobii rhetoris in Pſalmos commentaria; Euſebii Emeſeni homilias in Evangelia, Ambroſii in Apocalypſin explanationes, Hieronymi in Proverbia libros tres, & in Lamentationes Jeremiæ libros tres, Eucherii in Geneſeos, & Regum hiſtorias libros octo, & cum his alia plurima, ſub nomine præſertim veterum Patrum aſcititia opera; quorum dogmata, ſtilus, ac tempora magis ab ipſorum titulis & inſcriptionibus diſtant, quam cœlum a terra „. Quid plura? Viget (*a*) adhuc mos iſte.

(a) *Quocirca ſcitu perjucundum eſt quod Dan. Georgius Morhofius in Polyhiſtore litterario lib.* IIII. *c.* VIIII. §. 4. *denarrat. Lexicon Martinii viri in enucleandis nominum originibus admodum verſati typis litterarum excuſum jam vendere incohoabat quidam librarius, quum Vaſſii Etymologicon feſtinantibus prelis in lucem edi ab Elzevirio intellexit. Incœpto deſiſtere Elzevirium edicit ille. Renuit iſte. Lis ad judicem dirimenda defertur, plagiique Voſſius arceſſitur, ut qui ma-*

iſte infamis, vigebitque in poſterum.

IIII. *Regulæ, queis recenſitas fraudes corruptioneſque deteguntur*. Quid reſtat, detecta jam patefactaque fraude, niſi porro ut regulas proferam, quarum ſubſidio genuini auctorum libri ſecerni a ſpuriis poſſint? Clericus ea ſuper re decem tradit regulas, quæ criticis proſunt, modo & ipſi hiſtorias, & vetuſtam ſcribendi rationem calleant. I. Suppoſiti libri indicium eſt, ſi in vetuſtis codicibus alii tribuatur auctori, quum nulla ratio ſit, cur ejus non habeatur, cujus nomen apud antiquos codices præfert; interpolati vero libri argumentum eſt, ſi in veteribus codicibus aliquid deſit, quod reperitur in novis: mutilati tandem libri indicium eſt, ſi aliquid in vetuſtis codicibus ſit, quod deeſt in novis. Nullius eget rationis, ut ei fides adhibeatur; ſua quippe luce nitide nitet. II. Si quæ a veteribus ex libro aliquo olim prolata ſunt, ea nunc in libro eadem inſcriptione inſignito, deſiderantur, aut alius eſt, aut mutilus: ſi vero aliter legantur, ſuſpectus ſit oportet: ſi omnia inveniantur eadem, genuinus eſt liber & integer, niſi aliæ ſubſint dubitandi rationes. Hinc b. Juſtino martyri acriores critici non injuria Orationem ad Gentes abjudicant; in ea enim deſiderantur hodie nonnulla, quæ ex veterum teſtimoniis inibi laudantur. Juſtinum de dæmonum natura in eadem diſputaſſe diſertis verbis tradit s. Hieronimus, verum ea de re in præſenti nulla mentio fit. Præterea Leontius lib. II. contra Neſtorium & Eutychetem s. Juſtini Orationis contra Gentes fragmentum profert, quod adhuc evanuit. Adiſis Operum s. Ju-

ſti-

magiſtri ſui Martinii etymologias expilarat, ſuoque operi adſuerat. Elzevirius contra contendit non eſſe plagii notam Voſſio inurendam, quod ex ſuo penu depromta plura Martinii lexico addiderat. Sed momentum iſtud nullius ponderis exputatum eſt. hinc Theodorus Janſonius in ſyllab. Plagiariorum pag. 43. catalogum pertexens virorum, qui hocce crimine tenentur, Voſſium quoque iis accenſuit.

ſtini editionem a Roberto Stephano confectam, & Pariſienſem, nec non Caſimirum Oudinium de Scrip. Eccleſ. t. II. ſæc. II. III. Scripta, quorum nulla mentio in veteribus catalogis, quæque memorata non ſunt ab ullo ſcriptore proxime ſequentium ſæculorum, ut plurimum aut ficta ſunt judicanda, aut ſuſpecta habenda, niſi alia ſit ratio in contrarium. Et ſane Cæſaris commentarios genuinos eſſe ejus fœtus non aliunde mihi conſtat, quam ex perpetuo firmoque teſtimonio ſcriptorum proxime conſequentium ætatum, aliorumque iis ſuccedentium. Siquidem pro genuinis Cæſaris lucubrationibus habent Cicero, & Hirtius, ac deinde Strabo, tum Suetonius, & Plutarchus, & Grammatici poſtmodum veteres, ac reliqui ſubinde ad hæc uſque tempora ſcriptores. Eadem ratione utitur b. Auguſtinus adverſus Fauſtum Manichæum adulteratos eſſe Novi Teſtamenti libros contendentem., Quæ unquam litteræ, ſcribens lib. XXXIII. c. VI. ullum habebunt pondus auctoritatis, ſi Evangelicæ, ſi Apoſtolicæ non habebunt? De quo libro certum erit, cujus ſit, ſi litteræ, quas Apoſtolorum dicit & tenet Eccleſia, ab ipſis Apoſtolis propagata, & per omnes gentes tanta eminentia declarata, utrum Apoſtolorum ſint, incertum eſt? Et hoc erit certum, ſcripſiſſe Apoſtolos, quod huic Eccleſiæ contrarii hæretici proferunt, auctorum ſuorum nominibus appellati longe poſt Apoſtolos exſiſtentium? Quaſi vero & in litteris ſæcularibus non fuerunt certiſſimi auctores, ſub quorum nominibus poſtea multa prolata ſunt, & ideo repudiata, quia vel his, quæ ipſorum eſſe conſtaret, minime congruerent, vel eo tempore, quo illi ſcripſerint, nequaquam innoteſcere, & per ipſos vel familiariſſimos eorum in poſteros prodi, commendarique meruerunt. Nonne, ut alios omittam, ſub Hippocratis medici nobiliſſimi nomine quidam libri prolati, in auctoritatem a medicis non recepti ſunt? Nec eos adjuvit nonnulla ſimilitudo rerum, atque verborum, quando comparati eis, quos vere Hippocratis eſſe conſtaret, impares judicati ſunt, & quod

ab

ab eo tempore, quo & cetera ſcripta ejus, non innotuerunt, quod verę ejus eſſent. Nos autem libros, quibus illi, qui de tranſverſo proferuntur, comparati reſpuuntur, unde conſtat eſſe Hippocratis? unde ſi quis hoc neget, nec ſaltem refellitur, ſed ridetur? niſi quia ſic eos ab ipſo Hippocratis tempore uſque ad hoc tempus, & deinceps ſucceſſionis ſeries commendavit, ut hinc dubitare dementis ſit? Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque hujuſmodi auctorum libros, unde noverunt homines, quod ipſorum ſint, niſi eadem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continua? Multi multa de litteris Eccleſiaſticis conſcripſerunt, non quidem auctoritate canonica, ſed aliquo adjuvandi ſtudio, ſive dicendi. Unde conſtat, quid cujus ſit, niſi quia his, quibus ea quiſque ſcripſit, quibus potuit, inſinuavit atque edidit, & inde in alios atque in alios continuata notitia, latiuſque firmata ad poſteros, etiam uſque ad noſtra tempora pervenerunt, ita ut interrogati, cujus quiſque liber ſit, non hæſitemus quid reſpondere debeamus? Sed quid pergam in longe præterita? Ecce iſtas litteras, quas habemus in manibus, ſi poſt aliquantum tempus vitæ hujus noſtræ, vel illas quiſquam Fauſti eſſe, vel has neget meas, unde convincitur, niſi quia illi, qui nunc iſta noverunt, notitiam ſuam ad longe etiam poſt futuros, continuatis poſterorum ſucceſſionibus trajiciunt? „ Qui egregius Auguſtini locus non ſolum huic, quæ ad manus eſt regulæ, ſed etiam antecedentibus & conſequentibus mirificam lucem adjungit. IIII. Quæ diſerte ſunt rejecta, aut in dubium revocata ab antiquioribus, ea admitti nequeunt ut genuina propter auctoritatem recentiorum, niſi rationes graviſſimæ nos commoveant. Quis quæſo, Proto-evangelium Jacobi, Evangelium Nazaræorum, Evangelium Nicodemi, epiſtolam Paulli ad Laodicenſes, Iſaiæ viſiones, & alia hujuſmodi hæreticorum typis excuſa ſcholiiſque illuſtrata pro ſacris canonicisque voluminibus habuerit, quum omnes ad unum antiquiores Eccleſiæ Patres ad apogrypha & commentitia amandarint?

rint? V. Liber in quo dogmata leguntur iis contraria, quæ ſcriptor cujus nomen præfert conſtanter defendit, præſertim ſi dogmata videantur eſſe alicujus momenti, aut ſpurius eſt, aut interpolatus. Hoc argumento s. Hieronymo abjudicandi ſunt Commentarii in tredecim Paulli epiſtolas, quanquam in fronte Hieronymi præfatiunculam ad Heliodorum ſcribentis præferant. Siquidem non modo ſtili diverſitas, ſed etiam dogmatum diſcrimen ipſius non eſſe liquido indicant. Eorum auctorem, quiſquis ille fuerit, Pelagiana peſte laboraſſe in comperto eſt; Nam ediſſerens illud cap. VII. epiſt. ad Rom. „ Sine lege peccatum erat mortuum „ inſanire eos putat, qui credunt peccatum Adæ ex traduce parentum in nos derivaſſe; affirmans idem peccatum non propagatione, ſed exemplo dumtaxat ad poſteros transfuſum. Ex quo ſatis liquet Hieronymum Pelagiani dogmatis hoſtem acerrimum non fuiſſe hujus operis auctorem. Sunt & alia quædam in his commentariis aſſerta, quæ hæreſeos ſuſpicione non carent. Ne quis porro in hujuſce regulæ uſu a veritate aberret, magnam adhibeat cautionem oportet. Ii ſcriptores qui veritatem maximopere deperiunt in ſuis lucubrationibus, non verecundia impediuntur, ne, ea detecta, vel ſibi ab aliis commonſtrata palinodiam canant, ſi falſa prius docuerant. Illuſtria ejus rei nobis reliquerunt exempla b. Auguſtinus in libris Retractationum; Hippocrates, quem non puduit aliqua errata ſua ingenue fateri; M. Tullius qui opuſcula quædam ſua in juventute confecta veluti ſubruſtica traduxit, aliique innumeri. Sed non raro evenit, ut quiſquam ſcriptor, atque iis contingere ſæpe ſolitum eſt, qui plura in vulgus ediderunt, eorum immemor quæ alibi tradidit, iis contraria doceat, atque ſibimet minime conveniens deprehendatur. VI. Liber in quo memorantur aut perſonæ auctore, cui tribuitur, recentiores; aut nomina recentiora, aut recentiora facta, vel ſpurius eſt, vel interpolatus. Hinc inſigne ſcriptorum agmen, quum ex iis qui extra Romanam communionem ſunt, ut Blondellus, Cavæus, Oudi-

dinius, Baſnagius, Pearſonius, Caſaubonus; tum ex catholicis, ut cardinales Baronius, Bona, Perronius, Gottius, P. de Marca, A. Auguſtinus, J. Sirmondus, D. Petavius, Ph. Labbæus, Chr. Lupus, E. Schelſtratius, N. Alexander, H. Serrius, Jo. Nicolai, Mich. Lequienius H. A. Graveſonius ſpuriis accenſent quinque decretales epiſtolas Clementis I. tres Anacleti, duas Evariſti, tres Alexandri I. duas Xyſti I. unicam Eleutherii, quatuor Victoris, duas Zephyrini, duas Calliſti, unicam Urbani I. duas Pontiani, unicam Anteri, tres Cornelii, unicam Lucii, duas Stephani I. duas Xyſti II. duas Dyoniſii, tres Felicis I. unicam Caji, duas Marcellini, duas Marcelli I. tres Euſebii, unam Melchiadis, unam Silveſtri, unam Marci, duas Felicis II. ſeptem Damaſi. In ſuppoſititias igitur referunt ejuſmodi litteras eruditi, tum multis nominibus nimirum, quod ſtili ſimilitudo in omnibus pæne epiſtolis unum eundemque auctorem prodit, anachroniſmi vitium, quod ſcriptoris imperitiam portendit, &c. tum eo vel maxime quod Patrum teſtimoniis ſunt contextæ, quos poſt laudatos pontifices floruiſſe palam eſt; Vulgataque editione in producendis Sacrarum Litterarum locis utatur, quæ nonniſi poſt ætatem longe poſteriorem pluribus ex recenſitis ſummis pontificibus adhiberi cœpit. Adjeci præterea, quod non omnino ſuppoſitus, ſed tantum interpolatus poſſit nonnunquam eſſe aliquis veterum liber; quia, non vice ſimplici eveniſſe jam probe norunt, qui in codices antiquos illuſtrandos incumbunt, ut ex margine cui erant appictæ adnotationes in auctoris textum commigrarint. VII. Liber indoctus aut imperitia refertus non poteſt ulla ex parte, aut ſaltem totus viro non inepto affigi, quamvis in vetuſtis codicibus ejus nomen præferat. Hac de cauſſa univerſæ Scripturæ ſanctæ Synopſis, id eſt Contuitus Dorotheo Tyri presbitero (non epiſcopo, ut aliis placuit) jam adjudicatus a nonnullis, nunc ab recentioribus Criticis univerſim anonymo cuidam longe poſterioris ætatis tribuitur; fabellis enim & nugis innumeris ſca-

tet. Eodem plane nomine liber de vita & interitu omnium Prophetarum eſt a s. Epiphanio Salaminæ Cypri epiſcopo, cui adſcribitur, abradendus. Collectio eſt infinitis fabulis & commentis conſarcinata, quæ illi viro docto, atque erudito attribui nequit, quin pro fanatico ac bardo habeatur. VIII. Liber in quo tractantur, vel reſpiciuntur controverſiæ natæ poſt tempora ſcriptoris, cui tribuitur, aut in quo deprehenditur ſcriptoris recentioris imitatio, aut ſpurius eſt, aut interpolatus: Ex vi hujuſce regulæ elucubrationes Dyoniſio Areopagitæ vulgo adſcriptas emunctioris Critici naris ei abjudicarunt; Symbolum Athanaſianum illius celeberrimi præſulis fœtum eſſe genuinum abnegarunt; propterea quod hæreſes Neſtorianam & Eutychianam poſt s. Athanaſii ætatem ſubortas reſpiciat. VIIII. Si ſtilus ſit diverſus a noto aut ſcriptoris, cui tribuitur, aut ſæculi, in quo ille vixit, ſpurius eſt. Si vero idem ſit ſtilus cum ſtilo alterius ſcriptoris, ejus potius cenſeri debet, ſi nihil aliud obſtet. Stilus ergo non modo pro ſcriptorum, ſed etiam pro ætatum diverſitate varius eſt; atque adeo pro materiei, in qua verſatur ſcriptor, natura diverſus eſſe ſolet. Atque argumentum ex ſtili diverſitate ductum eſt omnium fortaſſe evidentius certiuſque ad dignoſcendos ac ſecernendos genuinos a ſpuriis auctorum libris. Nam, ut ſcite obſervat Xyſtus Senenſis Bibliot. Sanct. lib. IIII. in fin. etſi cuivis impoſtori facile ſit auctorum patriam, genus, temporaque mentiri, ac dogmata ſequi: nihil tamen difficilius eſt, quam alterius imitari ſtilum. Stilum autem appello non illam exteriorem ſermonis ſuperficiem, ſed orationis characterem, dictionis contextum, texturæ continuitatem, elocutionis formam, figuras loquendi, diſpoſitionis artificium, tractationis methodum, & cetera quæ cuique diſerto auctori propria ſunt: ſicut enim ſuus cuique homini corporis habitus eſt, ſuus cuique vultus, ſuus cuique nativus color, ſua cuique vox, aliæque ſingulares notæ, quibus a ceteris hominibus diſtinguatur: ita ſingulis Eccleſiæ ſcriptoribus peculiares quædam

dam proprietates inſunt, quæ aut nunquam, aut raro alteri conveniant; veluti ſunt plauſibilis Antiochi pompa, Baſilii accurata dictionis diligentia, ſublimis Gregorii Theologi cothurnus, Chryſoſtomi ſponte fluens atticiſmus, puriſſima Cypriani facilitas, Gallica Hilarii grandiloquentia, gravis & arguta brevium ſententiarum in Ambroſio copia, in Hieronymo picturata rerum, verborumque varietas, in Auguſtino cola ſimiliter finientia, & commata ſimiliter cadentia, in Gregorio numeroſus periodorum alternatim reſpondentium inceſſus, & alia his ſimilia; quæ quamtumlibet quis affectet, minime tamen aſſequi poſſit. Nec ſum neſcius eſſe, qui diverſum ſentiant, aſſerentes in deprehendendis titulorum (fœtuum) impoſturis nullum eſſe indicium ſtilo fallacius: quoniam non idem ſemper ſit eidem dicendi modus, ſed pro argumenti ratione, vel ætatis mutatione, vel ſtudii profectu, vel affectuum diverſitate, & ſæpe duorum auctorum character ſit omnino perſimilis: quod nec ipſe prorſus inficior: aliter enim in epiſtolis ſcribit Hieronymus; aliter in decertationibus adverſus Rufinum, & Vigilantium loquitur; & aliter in commentariis Prophetarum: alio modo dicebat, quum eſſet admodum juvenis, & adhuc rhetorum exercitatione calens; atque alio modo ſenex, quum graviora ac ſolidiora ſectaretur: ſed ita tamen ſemper ſcribit, ac loquitur, ut ubique eum agnoſcas eſſe Hieronymum: quemadmodum & familiaris tibi amici faciem nunc iratam, nunc mitem, nunc triſtem, nunc alacrem ejuſdem ſemper eſſe hominis cognoſcis. Fateor etiam inter aliquos (etſi id rariſſimum ſit) tantam contingere poſſe ſtili ſimilitudinem, ut eos non facile ſit diſcernere: tamen induſtrius ſtili artifex ſimilitudinem a ſimilitudine diſtinguet non aliter quam adamantes, magnitudine pares, & ſplendore non diſſimiles, internoſcunt gemmarii ſagaces,, Ad ætatem porro quod ſpectat, diverſus ſane ſtilus ſcriptoris eſt, qui in ætate aurea ex. gr. latinæ linguæ floruit, ab eo qui in argentea, vel in ænea ætate ſcriptitavit, ita ut quamvis ſtrictior ſit Calvus,

numeroſior Aſinius, ſplendidior Cæſar, amarior Cælius, gravior Brutus, vehementior, & plenior, & valentior Cicero, omnes tamen eandem ſanitatem eloquentiæ ferunt, ut ſi omnium pariter libros in manum ſumſeris, ſcias, quamvis in diverſis ingeniis, eſſe quandam judicii ac voluntatis ſimilitudinem & cognationem. Hac ratione permoti, nulla etiam veterum atteſtatione, Phædri fabulas ævi Auguſti, aut ejus circiter tempeſtatis eſſe non ambigimus. Poſtremo pro varietate argumenti ac materiæ diverſus eſſe ſtilum adhibendum in comperto eſt. Hinc poetarum facile princeps Virgilius in Bucolicis humiliorem dictionem, ſed puram; in Georgicis floridiorem lætioremque; in Æneide magnificam & ſine affectatione cothurnatam uſurpat. X. Vocabula ſequioris ævi indicant ſcriptorem recentiorem, vel libri interpolationem; in translatione vero ſi nihil ſit, quod ſapiat linguam, qua ſcripſiſſe conſtat auctorem, cui tribuitur, translatio non eſt. Atque iſthac regula innixi credimus opus quoddam inter Origeniana adnumeratum, veluti ex græco in latinum idioma translatum, vel ſuppoſititium vel interpolatum eſſe. Etenim præ ceteris quæ in eo habentur, quæque vel interpolationis, vel ſuppoſitionis indicia ſunt, de b. Luciano m. hæc edicuntur: „ Ita conſummatus eſt beatus atque glorioſus Lucianus, lucidus vita, lucidus & fide, lucidus etiam tolerantiæ conſummatione; ab hoc enim Lucianus cognominatus eſt tanquam lucidus, aut proprio lumine ſibi fulgens, aut aliis lucens „: Quæ quidem agnominatio Luciani, lucidi, lucentis, proprio lumine fulgentis & c. græco in ſermone eſſe nequit, ut ii norunt, qui græcum idioma vel ſummis labiis deguſtarunt (*a*). Haſce regulas plu-

(a) *Cl. Mabillonius in part. II. de ſtud. monaſt. c.* XVII. *indicia diſcernendi genuina a ſuppoſititiis ſcriptorum operibus in quatuor contraxit, nimirum „ ſi aliqua manuſcripta exiſtimatione digna, eaque in primis quæ magis auctori coæva videntur, in fronte vel etiam in calce operis nomen ejuſdem gerant: Si ſtilus fue-*

pluribus ſelectiſque exemplis illuſtrat Clericus in Arte critica, quem, ſi tibi licet, adi. Atque ejuſmodi ſubſidiis adjuti Vincentius Flatius lib. de Anonymis 1600. ſcriptores detexit, qui ſuas lucubrationes ſub aliorum nomine evulgarunt. Jacobus Villanius 160. auctoribus perſonam detraxit in opere inſcripto, Viſiera alzata. Conſulatur etiam Struvius in diſſert. de doctis impoſtoribus.

CAPUT VII.

De apparatu ad rectam ſcriptorum intelligentiam neceſſario; de monitis XIII. *quorum lumine involuta auctorum ſenſa, neque perſpicue litteris conſignata aſſequi poſſumus; de multiplici artis criticæ abuſu; ac de quibuſdam intemperantioris criticæ viris.*

I. *Regulæ IIII. ad rectam ſcriptorum intelligentiam interpretem conformantes.* Tradidimus huc uſque regulas diſcernendi genuinos a ſuppoſititiis auctorum fœtus; quo peracto accedere oportet ad rectam ejuſmodi librorum intelligentiam, pro qua comparanda iter nobis commonſtrabit ars hermeneutica, quæ veroſimilis probabiliſque earum rerum explicatio eſt, quæ vel breviter vel obſcure vel negligenter ab auctore enunciatæ ſunt. Quod quidem ut rite peragatur quædam in anteceſſum cognoſcantur neceſſe eſt, nimirum. 1. Originalem ejus libri, quem interpretari velis, linguam apprime calleas oportet. quia verſiones perfectæ perpaucæ ſunt, imo ſi fides non obæſæ naris hominibus eſt adhibenda, nullæ.

S 4 II. Co-

fuerit ubique conformis alteri ceterorum auctoris operum ſicut & principia ac opiniones. Si ſcriptores ſive ſynchroni, ſive pæne ſynchroni, ejuſmodi opus eidem auctori certo adſcribant. Si denique nihil geſtum in hoc opere legatur quin cum hiſtoria ſui ævi concordet ,,. Scias oportet eo eſſe validius certiuſque argumentum, quo plura congeruntur indicia ad detegendam, oſtendendamque ejuſmodi ſuppoſitionem ac fraudem.

II. Codices librorum, quos intelligere optas emendatiores tibi comparato. corrupti enim nec verba, nec auctoris ſenſa tibi exhibere queunt. III. Scriptoris ætatem, patriam, mores, conſuetudines patrias, opiniones, profeſſionem, religionem, antiquitates noſſe oportet; ex his enim facili negotio ejus ſententiam aſſequemur. Ratio eſt, quia ſcriptores quum loquuntur ut plurimum ad inſtituta, conſuetudines, opiniones ſuæ ætatis ac gentis, ad ſectam cui ſunt addicti, ſententiam latenter referunt. Quamobrem interpres notitiam morum, inſtitutorum, conſuetudinum gentium ſcriptoris comparare ſibi debet. Atque ſi ſcriptor latinus erit, Romanorum inſtituta & conſuetudines &c. ediſcere oportet; qua de re adiri poſſunt Livius, Polybius, Dionyſius Halicarnaſſæus, & Plutarchus. Compendium antiquitatum Romanarum dederunt Cantelius, Nieuportius, Cellarius, Vasletius fuſius præ hiſce eandem materiem verſarunt Panvinius in libro, Urbs romana, Civitas romana, & imperium romanum, & Roſinus cui acceſſere erudiſſimæ Dempſteri notæ, quem lectitare, cui per Eccleſiam facultas eſt, valet. Qui porro otio abundant, atque ejuſmodi res funditus noſſe amant, evolvant ingentia volumina Grævii, & Gronovii, qui diverſorum illuſtrium auctorum tractatus ad græcas romanaſque antiquitates attinentes in unum collegerunt, Lexicon eruditiſſimum Samuelis Pitiſci, Archeologiam Potteri. Religionis Romanorum & Græcorum notitia haurienda eſt ab Ovidii faſtis, & metamorphoſi, ab Heſiodi Theogonia, & libro operum & dierum, ab Apollodori lib. I., a Seldeni opere de Diis Syriis. Veterum philoſophorum opiniones hauriri poſſunt a Diogene Laertio in vitis & dogmatis Philoſophorum editionis Menagianæ; a libris v. Plutarchi de placitis Philoſophorum, quas latine reddidit, recenſuit, annotationibus, variantibus lectionibus, diſſertationibus illuſtravit Eduardus Corſinius Cler. Reg. Scholarum Piarum, ac Florentiæ edidit anno 1750.; a philoſophicis Tullii lucubrationibus, ex quibus Deſiderius Jacotius Vandope-

ranus

ranus Philoſophorum opiniones jam excerpſit, atque in opuſculo Doctrina Philoſophorum nuncupato in unum collectas exhibuit; ab hiſtoria philoſophica Stanleji, Hornii, Buddei, Capaſſi &c; ab Archeologiis philoſophicis Thomæ Burneti aliiſque id generis. Veterum Romanorum mores expoſuit quidam auctor gallus, quam italice reddidit, auxit, notiſque illuſtravit Dominicus Amatus Neapolitanus: Hebræorum & Chriſtianorum Mores explicuit Fleurius: Chriſtianorum autem tum orthodoxorum quum heterodoxorum dogmata, inſtituta, ſectæ, ediſcenda ſunt ex hiſtoria Eccleſiaſtica, ac præcipue ex illorum libris, qui ſectas erroreſque hæreticorum adnumerarunt; cujuſmodi ſunt inter veteres ss. Epiphanius in Panario, Auguſtinus in de hæreſibus, & inter recentes, Berninius, Reſcius, Bellarminus, Boſſuetius, Gottius, ac nuper Cajetanus Travaſa Theatinus, & Alphonſus de Ligorio epiſcopus s. Agathæ Gothorum. De Hæbræorum vero antiquitatibus præter ſacra volumina, atque eorundem interpretes, lectitandi præcipue ſunt Joſephus, & Philo hebræi. Conſulendæ ſunt præterea inſignium aliorum auctorum lucubrationes ea ſuper re; ut Calmeti Dictionarium, & Diſſertationes. Magnum dictionarium Talmudicum Buxtorfii theſaurus eſt judaicæ antiquitatis. Arias Montanus Hebraïcarum antiquitatum tractatum edidit, atque ſuo Biblico Apparatui adjecit. Conſtantinus l' Empereur ubique in ſuis notis ad hebræos auctores, quos latina lingua donavit, de rebus diſſerit hebraicis. Sigonius de republica Hebræorum librum elegantem concinnavit, qui copioſis doctiſque notis Joannis Nicolai adauctus eſt. Cornelius Bertramus quoque de republica Hebræorum ſcripſit, cujus librum Conſt. l' Empereur ſuis adnotationibus auxit. Cunæus eandem materiem verſavit ſicut & Menochius, & Flavius Illyricus in Clavi Scripturæ, & Leuſdenius in ſuo Hebræo. Blaſius Vgolinus pluribus ingentibuſque voluminibus paucis ab hinc annis antiquitates Hebræorum explicandas ſuſcepit. ejuſmodi opus inſcriptum eſt: Theſaurus antiquitatum

tum ſacrarum complectens ſelectiſſima clariſſimorum virorum opuſcula, in quibus veterum Hebræorum mores, leges, inſtituta, ritus ſacri & civiles illuſtrantur. Qui vero eaſdem antiquitates breviter explicant, ſunt præ ceteris Thomas Goduinus in ſuo Moyſe & Aaron, & P. Bernardus Lamius Congr. Orat. preſbyter in Apparatu Biblico. IIII. In Chronologia & Geographia ſis maxime verſatus oportet, ſi in antiquorum lucubrationibus intelligendis turpiter decipi nolis. Siquidem in locutiones, periodos narrationeſque ſæpe incides, quæ nullo pacto intelliges, ſi probe locorum ſitum, & eventus epocham non noveris. Ad Chronologiam quod ſpectat, legi poſſunt Joſephus Scaliger, qui omnium primus ea de re accuratius ſcriptitavit, P. Petavii Rationarium temporum, Memoriale chronologicum Ægyptii, Tabulæ chronologicæ Anglorum Hiſtoricorum, Muſantii, Langleti cet. Ad Geographiam vero ediſcendam utere primum Nicolai Samſonis Introductione ad Geographiam, vel Compendio geographico Philippi Cluverii; deinde integra hujus Geographia cum notis Londinenſibus; poſtremo Notitia orbis antiqui a Chriſtophoro Cellario exhibita. Omnibus numeris abſolutam Græciæ deſcriptionem ex Nicolao Sophiano habes; ad antiquam & recentem Geographiam tibi comparandam mirifice juvant Lexica geographica Caroli Stephani, Jacobi Hofmanni, & Philippi Ferrarii cum additamentis Antonii Baudrandi, quæ, ſi potes, lectita.

II. *Monita* XIII. *non poſthabenda in auctorum interpretatione*. Hiſce notitiis imbutus interpres ad librum intelligendum explicandumque accedat, quo quidem in negotio ne oleum & operam ludat, monita iſthæc præter oculos habeat neceſſarium duco. I. Scriptoris σκοπὸς (finis) eſt attente inſpiciendus, ſi ejus ſententiam, quam verbis luculentis minime expoſuit, facillime aſſequi velis. Qui ſicuti diverſus eſſe poteſt, ita diverſa ſcribendi ratione utitur ſcriptor; ac proprerea non eodem pacto accipienda ſunt ſcriptoris verba & loquendi rationes. Quæ facella præ

ocu-

oculis habenda eſt in evolvendis aliorum libris, ac potiſſimum ſanctorum Eccleſiæ Patrum, quorum teſtimonia obſcuriora & implicatiora hujus luminis auxilio, nullo vel levi negotio enodantur explananturque. II. Si auctoris mentem habere optas animum adverte ad ejus Natum, affectum, opiniones, hypotheſes, ſyſtema. Ac proinde ſi vocabulum iſthoc, ex. gr. anima adhibitum offendas in ſcriptis Pythagoreorum, Platonicorum, Stoicorum, Chriſtianorum, ne putes idem apud omnes ſonare. Verum id me, ubi de vocabulis egi, monuiſſe recordor. III. Auctoris verba obvio, vulgari naturalique ſenſu accipito, modo ad translatum eorum ſignificatum confugere aliquod momentum te non impellat; ut quum verba ſecus nullum ſenſum redderent, vel ſcriptoris fini repugnantem. IIII. Enunciationum ſubjecta & prædicata diligenter expendito. Nam ſæpe ipſum prædicatum ſubjecti notionem patefacit, & viciſſim. Sic cl. Bochartus aliique ex prædicatis, quæ a Jobo Leviathani & Behemothæ attribuuntur, conjecerunt per illum crocodilum, per hunc hippopotamum indigitari. V. Integrum auctoris contextum accurate lectita, ſi ad ſingula pæne verba in ſcriptorum interpretatione cæſpitare turpiter nolis. Siquidem primum plurium verborum loquendique rationum ſenſus ex contextu ſcriptoris eruitur, qui alias nos fugeret. Deinde ſæpe uſuvenit, ut ſcriptores non obvio ſignificatu vocabula quædam uſurpent, quæ intelligi nequeunt, niſi quæ antecedunt, & conſequuntur diligenter examinentur. Tum etiam ex auctoris contextu deprehenditur num auctor ſibi conſtet, an ubique eadem ſentiat, ex animo loquatur, an per ſolatium cet. Poſtremo ex contextu etiam quandoque liquefcit, cujas ſit auctor, quo ævo floruerit, cui ſectæ addictus fuerit. Quibus omnibus probe cognitis facile ejus mens tenetur, etſi enucleate in ſuis lucubrationibus minime ſit expreſſa. VI. Loca obſcura per clariora ejuſdem auctoris alia explicato. En qua ratione doctiſs. Mazochius verſiculo xv. capitis IIII. Gen. „ Poſuitque Dominus Cain ſignum, ut non interficeret eum

omnis

omnis qui inveniſſet eum „ qui crucem interpretibus univerſis fixit, mirificam lucem, quum ex alio Moſis loco, tum ex aliis Scripturæ ſanctæ locis adſperſerit. Judæi & ceteri interpretes pro ſuo ingenio alii aliud ſignum commenti ſunt, ſive fronti impreſſum, ſive brachio litteram in ſignum inuſtam. Sed vir magnus oth heic & alibi non ſignum ὁρατὸν fuiſſe, ſed ἀκυστὸν contendit (hoc eſt non viſu, ſed auditu percipiendum) ſive ut antiqui loquebantur, non monſtrum, ſed omen, quod ſcil. divini effati fidelitatem ac firmitudinem notaret (*a*). Ergo non aliud ſignum illud fuit, quod Dominus Caino poſuit, quam hoc quod ſequitur omen ſive effatum juſſumque divinum „ ut non interficeret eum omnis qui inveniſſet eum. Ejuſmodi ſigno Deus Moſem animi pendentem confirmat Exodi III. XII. „ Hoc habebis ſignum, quod miſerim te. Quum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum „. Eventus enim ipſe pro ſigno rei eventuræ traditur. Nec aliter res expediri poteſt, quam ſi ſignum ὁμηρικῶς pro omine, ſive fauſto effato acceperis. Germanus planeque gemellus eſt locus illuſtris I. Reg. II. XXXIIII. eadem interpunctione donandus: „ Hoc autem erit tibi ſignum, quod venturum eſt duobus filiis tuis Ophni, & Phinees: In die uno morientur ambo. Et heic ſignum malum omen interpretare. Item IIII. Reg. XVIIII. XXVIIII. „ Tibi autem, Ezechia, hoc erit ſignum: Comede hoc anno quæ repereris; in ſecundo autem anno quæ ſponte naſcuntur: porro in tertio anno ſeminate & metite „ &c. Hoc bonum omen. Atque eodem pertinent verſiculus XXVIIII. capitis XXXXIIII. Jerem. & verſiculus

(a) *Quocirca animdvertendum duco ejuſmodi expoſitionem non eſſe omnino novam, ut doctiſſimi Mazochii ingenio ſit adſcribenda, quum eam vel ei valde ſimilem apud Calmetum in Hiſt. antiqui fœderis ubi de Caini ſigno agitur, offenderim; quo quidem in loco ait nonnullos ſigni nomine intelligere Dei promiſſionem Caino enunciatam, quod nullus hominum in eum violentas manus injicere auſus unquam fuiſſet.*

lus XIIII. capitis VII. Iſaiæ vexatiſſimæ interpretationis. VII. Si in comperto ſit auctorem ſententiam priorem repudiaſſe data opera, atque aliam adoptaſſe ſaniori maturiorique adhibito conſilio, huic poſteriori adhære, priorique anteferto. Ejuſmodi regulæ veritas per ſe patet. VIII. Si inconſulto atque ex inadvertentia in contradictionem lapſum eſſe deprehendatur, utraque ſententia ad ſevioris criticæ amuſſim exigatur, & quæ magis rationi veritatique conſentanea videbitur, præferatur. VIIII. Si auctoris ſenſus involutus dubiuſque erit, eum eligito, qui nihil abſurdi complectatur, vel efficiat, ut res aliquem effectum ſortiatur. Non eſt enim vero ſimile hominem ſanæ mentis ſcribendo loquendove nihil animo intendiſſe, vel contra ſenſum communem quicquam facile pronunciaſſe. Si vero temeritas & dolus auctoris manifeſta erunt, verba ejus prout ſonant, accipito. X. Auctorum ſententiam te haud aſſequutum ire exiſtimato, ſi rectam in eorum lectione methodum adhibere neglexeris. Recta plane methodus eſt, ut primum ea addiſcas quæ veluti manu ad eorum intelligentiam ducant; ut jam ſupra docui; deinde in lectionem ſerio incumbas; nec eam niſi neceſſitate quadam coactus abrumpas; iterum atque iterum lectites quæ prima facie te non intelligere deprehendas; interpretum commentaria in auxilium accerſas; in adverſaria referas quæ ſequentibus lumen affundere poſſint; poſtremo ut quæ legeris cum viris doctis conferas. Quæ enim binos non ita facile quaternos oculos fugient. XI. Quum in aliquem auctoris locum incideris, cujus intellectus negotium tibi non leve faceſſat, diſcipulos, amicos, coævos ejus adi; horumque interpretationem illi recentiorum præferto, dummodo verba ſecus te facturum non moneant. Quocirca ſe deridendum nobis propinat Jo. Clericus criticæ artis alioqui inſignis magiſter, quum inducere animum noſtrum conetur, ut credamus I. artem interpretandi ſacras Litteras hauriendam eſſe ex Grammaticæ pœnu, accuratiſque ratiocinandi canonibus; majuſque pondus habere rationes Grammaticæ, quæ a recentioribus af-

fe-

feruntur, quam auctoritas univerſæ antiquitatis; 2. ope Criticæ & Grammaticæ poſſe nos ſatius intelligere ex V. & N. Teſtamento quid ſenſerint Scriptores ſacri, quam Patres græci & latini, qui ſæculo ſecundo floruerunt, quanquam Apoſtolis propiores; 3. ex ſubſidiis criticæ artis & rationalis philoſophiæ multo melius explicari antiquiſſima Religionis chriſtianæ revelata monumenta, certioraque ex iis conſectaria deduci, quam unquam antea ab Apoſtolorum ætate factum fuerat. Hujuſce viri temeritatem repreſſurus fuſiori calamo ero in opuſculo, quod ſuper interpretatione ſacrarum litterarum compingere, ſi me otium dieſque non deficient, animus eſt. Interim conſulatur epiſtola politiſſimi viri Nicolai Schiavarellii ad Joſephum Sparanum Metropolitanæ Eccleſiæ Neapolitanæ Canonicum ſcripta, occaſione arrepta ab illuſtratione vetuſti epigrammatis græci in marmore ſculpti Neapoli in ædibus PP.Congreg. Miſſionis anno 1759. effoſſi. XII. Explicationem viri, qui in auctoris lingua diu multumque verſatus eſt illius interpretationi anteponito, modo cetera ſint paria, quæ verſioni innititur. Proptereaquod verſiones mancæ plerumque atque imperfectæ ſunt, ac nativæ linguæ idiotiſmis & gloſſematibus plurimum ſcatent, ad quæ imperitus ejus idiomatis haud animum advertens, in quamplures errores labatur oportet. ut gr. ex. in Vulgata noſtra, benedicere Dominum pro laudare, celebrare: item exultare eodem fere ſenſu; ut pſ. L. v. XVI. confiteri pro laudare, mortificare pro morti dedere, malignari pro male agere, zelare pro invidere ſive æmulari; redimere pro liberare, emere pro comparare vel ſibi vindicare: ſalutare Dei pro ſalute quæ ab ipſo ſit, cornu pro ſuperbia, & robore: in idipſum pro ſimul, in finem pro admodum, & in perpetuum & ejuſmodi ſexcenta. Qui plura velit, adeat Tirini opus de idiotiſmis linguæ hebraicæ, & Vigierii de idiotiſmis linguæ græcæ. XIII. Quum loca obſcura occurrerint interpretationem ejus, qui ea diſciplina apprime imbutus eſt, de qua auctor ſcripſit, interpretationi illius qui

eam

eam ſummis labiis ſolum deguſtavit, præferto: Obſcura porro ea dicito, quæ hominum doctorum judicio talia cenſentur. cujus quidem obſcuritatis cauſſæ plures eſſe poſſunt, nimirum ſententiæ contradictoriæ, materia ſublimis, ideæ confuſæ, verba obſoleta, nova, peregrina, æquivoca, abrupta, ſuperflua, perplexa; defectus vel vitium interpunctionum, mendæ ſcribarum, vel typographorum, abbreviationes non obviæ, inelegans forma ſcripturæ, quas pæne omnes recenſet atque exemplis illuſtrat Thomaſius in Praxi Logic. cap. III. §. XXXVI. LV. Sæpe etiam, quod valde mireris, ipſimet interpretes tenebras libris explicandis offundunt eiſdem gloſſis & commentariis, quibus eas eliminare nituntur. Hinc maximopere laudatur a nonnullis conſilium Andreæ Pithœi (quod proſtat in vita Petri Pithœi F. Jc. ab Joſia Mercero conſcripta) qui ubi Petrum filium ad addiſcendum Jus Civile Avaricum Biturigum amandavit illud in primum ſedulo monuit ne lectitandis gloſſis & commentariis doctorum animum intenderet, ſed pura ac puta Juriſconſultorum expenderet, Imperatorumque verba: a quibus accurate perpenſis vera lux juri civili, ſicuti ex imperitiſſimorum ſcriptorum dubiis interpretationibus, & vacillantibus reſponſis mera nox accedit. In eadem fuit ſententia Antonius Syphrianus (in epiſt. præfixa Pandectis editis Lugduni anno 1551) is malum hocce ſtrenue exagitavit arguteque perſtrinxit; & novæ Pandectarum editioni ſtudens ab his citationum furias gloſſas aureas, ſolitarias, columnas, verſiculos, numeros & reliqua id genus convellere curavit, recte opinans ab hoc inſigni deliramento omnem in Juriſprudentiam obſcuritatem fluxiſſe. Viderat ſane quam cladem rei litterariæ intulerat præclara illa horum interpretum conſuetudo, ſumma cum audacia & fæditate invecta; ut ſtatim & ſæpius temere unico arrepto verbo ad illud tempeſtate quadam delati tanquam ad ſaxum adhæreſcerent, abſurdiſſima, ineptiſſima, & iniquiſſima colligentes: huic unice intenti, ut omnia opinionibus miſcerent ac remiſcerent; & nedum ruſti-

cam

cam verborum aſperitatem, peregrinamque inſolentiam ſtudioſe ſectari, ſed etiam ex induſtria tanta nugarum portenta amplecti viderentur. Ne multa. Quid igitur mihi, inquies, agendum erit, quum in lectitandis veterum ſcriptis in nodum ejuſmodi difficilem incidero? Ea quæ huc uſque ediſſeruimus, ſatis, ut opinor, tibi luminis affundent.

III. *Nonnulli criticæ artis abuſus recenſentur*. Indigitatis huc uſque præcipuis artis criticæ uſibus; reliquum eſt, ut hoc poſtremo loco quoſdam ejus abuſus, nonnulloſque homines, qui ea, ad omnia perturbanda, atque appetenda etiam ſacratiora Religionis monumenta peſſime ſunt abuſi, oſtendamus. Ac I. eſt: Nullis hanc perutilem artem limitibus contineri atque exlegem eſſe arbitrari; quo fit ut facili negotio ad Pyrrhonis, atque adeo impudentium atheorum caſtra ejuſmodi balatrones gradum perdite faciant. II. Ferre de rebus judicium nullas præ oculis firmas certaſque regulas habendo; quare a nonnullis ipſa veneranda ſacrarum Litterarum, Traditionis, Eccleſiæque auctoritas flocci fit; quippe omnia ſolo infirmo imbecilloque naturali lumine, limatulo & politulo ingenii ſui judicio dimetiri curant. III. Ita eſſe criticæ artis ſtudio addictum, atque carpendis aliorum libris, rebuſque geſtis ut tempus deſit vacandi gravioribus diſciplinis. Sunt plane quidam homines, & quod vehementiſſime doleo etiam ex iis qui ſacris peragendis ſunt devoti, qui nullum ſibi prætereire diem, nullamque opportunitatem ſinant, quin aliis aliquam ignominiæ notam inurant, alios variis acerbiſque contumeliis proſciſſos maleque mulcatos dimittant: eccleſiæ atque adeo generis humani propudia! IIII. Eſſe iniquos erga ſcriptorum lucubrationes, non diſcernentes candidum & nigrum, bonum & malum, ſolidum & futile, pretioſum & vile, ſtercus & aurum, ſed univerſim omnia vituperantes, indiſcriminatim omnia appetentes. Occurrunt plane in quorundam hominum ſcripturis plurima, in quæ ſtilum exercere non injuria valeas, ſed plura quoque in iis offendes, quæ ſine commemoratione & digna lau-

laude tranſilire non debeas. Hac ratione altera manu auctores notans, & æqua cenſura flagellans, atque altera eos commendans, & non ementitis laudibus afficiens, & exaſperatos eorum animos blande demulcens, odium effugeris, malevolentiamque tibi minime pepereris. Exemplo ſint Scholaſtici, qui peſſime excipiuntur a ſcitulis nonnullis propter ſtili, quo uſi ſunt, barbariem: plura tamen detexerunt, excogitarunt, illuſtrarunt. Si quid porro peccarunt (peccarunt plane) temporis vitium fuit, non hominum. Certe ſi s. Thomas præ ceteris ætate hac noſtra in lucem veniſſet, iis quidem nævis obnoxius haud fuiſſet, quos etſi leviuſculos, jamdudum notarunt in ejus immortalibus lucubrationibus viri docti.

V. Ex lucubrationibus magnorum virorum perdoctis minutulas quaſdam reculas, atque eruditionis veluti quiſquilias (quæ paſſim in quovis ſcriptore occurrunt) colligere; atque hinc occaſione arrepta litem iis inferre, inconſtantiæ, imperitiæ, atque etiam impietatis eos arceſſere. Hinc ſine ſtomacho legi nequeunt miſerandæ ſcitulorum quorundam opellæ; qui magna doctorum virorum nomina ore volutant impuro, atque innumeris contumeliis eos afficiunt; quippe qui quoſdam nullius famæ auctores non conſuluerint; aut eorum ſententias non probe noverint, infideliterque retulerint; aut in auctorum locis laudandis pagellam non indicarint; aut ob alia ejuſdem ponderis leviuſcula crimina. Viri ſane prudentes & graves minimos hoſce nævos in libris offendunt, & tranſiliendos ducunt; ne de re levicula bellum viris eruditis movere videantur. Non ſine cachinno legere licuit apud auctorem inſignis eruditionis notatum quendam elegantiſſimum ſcriptorem, qui poſt particulam Ut indicativum ſubnexuerat; quod certe typographi incuriæ, vel ad ſummum auctoris oſcitantiæ aliud mente reputantis excidit; aliumque multis verbis traductum, quod loco Serarium, Serararium ſcriptitarit, & Calmerium, loco Clametium; & alium acerbe ſuggillatum, quod edfectus pro effectus poſuerit. Verum tricones hujuſmodi nugivendi nihili ſunt pen-

dendi. VI. Pugnam cum egregio hoſte ſuſcipere, atque in ejus opera petulanter invadere, ut fidem auctoritatemque infirmes, bonum nomen exiſtimationemque ſibi aſcitam eleves atque imminuas; vel ut aliena virtute, quod propria nequeas, in opinionem vulgi quocunque modo irrumpas, teque in populi admirationem intrudas. Præclarum ejuſmodi facinoris exemplum ſuppeditat ipſemet celeberrimus criticæ artis præceptor Clericus, qui, nomine Jo. Phereponi perſonatus, ut ingenue faſſus eſt Angelo M. Quirinio id rei anxie percontanti, eo animadverſiones & notas ad beati Auguſtini opera appinxit, ut tanti doctoris auctoritatem imminueret, qua innixi qui magiſtratus munus Hollandiæ obibant ad faſces renuenti animo atque obtorto collo ſynodi Dordrectanæ ſcitis ſubmittendas eum inducere conabantur. VII. Parti pro virili ſtudere, ac proinde ſuimet ingenii, amicorumque fœtus ingentibus laudibus cumulare; & e contrario in aliorum, & maxime inimicorum lucubrationes odio vatiniano rabieque canina invehi. Frequentiſſima ejus rei exempla nanciſceris apud ſcriptores Ephemeridum litterariarum, in quibus non ſine ſtomacho legere licet, hinc ut nimis jejunum acerbe traductum, illum, ut qui plus cutis quam carnis habeat illiberaliter deriſum, alium ut verbis ambullantem & floſculis, male mulcatum, alium ut humi repentem ruſtice exceptum; ac ne te morer, nullum reperies a ſcriptore hujuſmodi Hiſtoriæ alienum livoris dentibus non appetitum & confictum: contra miſellas amicorum opellas, ut eruditionis ſelectæ, rari acuminis, ingenii præclari ſpecina venditari. Proh Deus bone! ita ne munere ſuo funguntur, qui animum cenſoris honeſti ſumſiſſe oſtentant? VIII. Violentas manus in auctorum ſcripta injicere, atque pro ingenioli ſui arbitrio ac libidine plurima eorum loca torquere, mutilare, immutare, in transverſum agere, atque interpretari. Quod quidem vitium quam vehementer tempeſtate ſua invaluerit pluribus commonſtrat Xyſtus Senenſ. in præf. Bibl. Sanct. Sunt etiam adhæc non pauci ejuſ-

ejuſmodi vitio obnoxii. Jacobus Martorellius vir non inficetæ eruditionis, ſed novandi pruritu maximopere laborans ſemel atque iterum ac ſæpius in hunc ſcopulum impingit, ut rebus novis, quarum ſtudio maxime flagrat, fidem auctoritatemque conciliet. Intolerandam ejus viri licentiam in Sebethi Vindiciis paſſim nec injuria ſuggillat Antonius Vetranus collega meus, naris emunctæ juvenis, amœniſſimi acerrimique ingenii. VIIII. Tenui eruditionis ac doctrinæ ſupellectili comparata, procaci faſtu incredibilique audacia doctorum ſubſellia invadere, quavis de re judicium ſuum veluti oraculum pronuntiare. Is ſciolorum nativus mos eſt: quorum quidem confidentiam temeritatemque non tam rationibus pro re nata coercendam curato, quam ſibilis ac ſannis deridendam propinato. Poſtremo ne in hiſce criticæ artis abuſibus carptim recenſendis prolixior ſim, verbo dicam, tot eſſe poſſe hujuſce præclaræ facis abuſus, quot uſus commonſtravimus, ſi modum exceſſeris, rectique fines petulanter tranſilieris.

IIII. *Virorum intemperantioris criticæ agmen*. Tandem qui porro in ejuſmodi artis uſu ſepta prudenter præſcripta, & æquos fines inſolenter prætergreſſi ſunt, non unus & alter, ſed innumeri pæne recenſentur. Nonnullos ſolum commemorare animus eſt, longam hiſtoriam pertexere ab inſtituto meo alienum duco. Atque eorum agmen ducat Laurentius Valla Romæ natus anno 1415. ac vita functus anno 1465. cujus maxima toto vitæ tempore occupatio fuit ſatyra, litigium, critica. Felle amariori ſcatent ejus libri in Jo. Franciſcum Poggium, & adnotationes contra Antonium Raudenſem cet. Deſiderius Eraſmus Roterodamus ex furtivo concubitu prognatus Baſileæ quarto idus Julii 1536. ætatis circiter 70. e vivis exceſſit. Vir eximia eruditione græca & latina præclarus; ſuo liberius ingenio indulgens, ubi ad rem Theologicam, ſanctorum Patrum cenſuram, Sacrarum Litterarum interpretationem animum appulit, quo plures edidit libros, eo frequentiores cumulavit errores. Julius Cæſar Scaliger in Caſtro Ripa ad La-

cum Benacum prope Veronam in lucem editus ann. 1484. e vita migravit ann. 1558. æt. 74. Profunda fuit doctrina, acri ingenio, ſed acriori lingua præditus. Joſephus Juſtus Scaliger Julii Cæſaris filius Agenni, quo pater tranſmigrarat, in lucem venit ann. 1540. obiit vero ann. 1609. ær. 68. Inſigni eruditione, ac multiplici linguarum peritia claruit, ſed incredibili audacia, intolerandaque temeritate magis innotuit. Effrenatiſſime in viros doctos irrupit. Appellavit, ut hominis indolem noveris, Gilbertum Genebrardum archiepiſcopum Aquenſem, pecus maledicentiſſimum, beſtiam inſolentiſſimam; Benedictum Pererium, puerum in Chronologia, & ejus ſententiam aſininam; Chriſtophorum Clavium, luteum, infantem in Mathematicis tironem, ſarmentitii libelli auctorem; Martinum Delrium, lucum ſtercore maceratum, dæmoniacum, retrimentum inſcitiæ, ſtercus diaboli, ſcarabeum, larvam, Antichriſtum, pecus poſtremum beſtiarum, infame propudium, aſinum. Audiſtin' impotentis animi effrenationem impudentiſſimam? Centuriarum XIII. Magdeburgenſium auctores (quod quidem opus Baſileæ ann. 1559. prodire in lucem cœpit, ſed ibidem integræ recuſum ann. 1624.) Mathias Flaccius Illyricus, ita dictus, quod in Illyrici finibus, id eſt Albonæ in Iſtria natus eſſet, quique a catholica fide transfuga aliquando Magdeburgi ad Albim moras trahens tam infame ac virulentum opus concinnavit, uſus opera Martini Copi, Joannis Wigandi, Matthæi Judicis, Baſilii Fabri, Marci Pancratii Veldpock, Andreæ Corvini, & Thomæ Holthuteri, quibus in excerpendis ſcriptorum locis adjumento fuere Ambroſius Hidfeld, David Cicelerus, Caſpar Leunculus, Willelmus Radenſis, Nicolaus Beumullerus, Bernardus Niger, & Petrus Schraeder. His adnectitur Conradus Agrius amanuenſis munere functus. Quos quidem omnes egregie confutavit immortalis memoriæ Baronius. In Baronium ſtilum præ ceteris exercuit Iſaacus Caſaubonus. Ejus Exercitationes, quæ annum Domini 34. non excedunt, non modo catholicis viris doctis, ſed

ipſis

ipſis etiam hæreticis bilem ac ſtomachum moverunt. Quamobrem poſt editas exercitationes gravi dolore confectus, quod ill.s minus probari videret, vel ut aliis placet ex morbo in renibus exorto, contractaque febre aſſidua debilitatus anno 1614. cal. Julii Londini, quo ex Gallia veluti transfuga trajecerat, diem extremum obivit. Caſpar Scioppius Neagoræ oppido Palatinatus ſuperioris natus ann. 1567. atque emortuus 1649. peſſime criticum præſertim in libro inſcripto: Infamia Famiani &c. egit. F. Paullus Sarpius Venetus, qui vita deceſſit ann. 1623. æt. 71., quam fuerit amarulentus, & mendax ex ejus operibus ſatis liquet. Joannes Launojus ortus in pago quodam Normanniæ prope Conſtantiam ann. 1601. atque e vivis ſublatus Pariſiis ann. 1678. æt. ſuæ 77. Criticus fuit audax, temerarius, acerbus, ac moroſus. Ludovicus Ellies Dupinius primum Pariſiis lucem vidit ann. 1657. atque ibidem e vivis exceſſit ann. 1719. annos natus 62. Vir quidem fuit profundæ litteraturæ, acuti ingenii, ſed intemperantioris criticæ. His, qui in criticæ uſu modum exceſſerint, accenſendi ſunt Theophilus Raynaudus, Jacobus Hyacinthus Serrius, Richardus Simonius, aliique plures. Tu vero ſi nulla vis intemperantiæ nota inuri, traditas regulas præ oculis habeto; atque eas rite recteque adhibitas obſerva in lucubrationibus Xyſti Senenſis, J. Benigni Boſſuetii, L. Ant. Muratorii, Joſephi Aurelii de Januario, aliorumque ejuſdem ſubſellii. Sed artis criticæ ſatis. Si plura cupis, conſule hujuſce artis magiſtros Jo. Clericum, Honoratum a s. Maria, & Euſebium Amort.

ELEMENTORUM
ARTIS RECTE RATIOCINANDI.

LIBER IIII.

De Ratiocinatione.

JAM ad eam hujuſce operis partem ventum eſt, quæ indicem & nomen ei peperit. Quæ hactenus ſcripta ſunt eo tendunt, ut recte ratiocinemur. Sed propius ad rem accedere in hoc libro oportet, atque non modo ratiocinationis naturam enucleatius exponere: verum etiam varias ratiocinandi formas, & earum principem ſyllogiſmum in medium proferre, exemplis illuſtrare, regulaſque tradere, quibus eſt conformandus, ut rite procedat, recteque concludat. Et ne in errores adducant nos fallaces ſophiſticæve ratiocinationes, poſtremo loco multiplex fallaciæ genus affertur, expenditurque, ut argutationum fraudes deprehendi detegique nullo negotio queant.

CAPUT I.

De ratiocinationis indole, definitione, præſtantia, nomenclatione, & partibus: de variis ejus formis, ideſt ſyllogiſmo, inductione, exemplo, enthymemate, epichiremate, dilemmate, & proſyllogiſmo.

I. ***Ratiocinationis natura, finitio, præſtantia, nomenclatio, partes.***

QUum adeo imbecilla curtaque acie

acie mens noſtra prædita ſit, ut de veritate aut falſitate alicujus enunciationis, perpenſis etiam atque ſedulo reputatis ſubjecto & attributo eandem conſtantibus, judicium erroris periculo ferre nequeat: iccirco in auxilium advocanda ſine tertia notio eſt, quacum binæ illæ notiones judicium componentes attente ſunt conferendæ, ut in rei cognitionem devenire valeat. Quum id mens noſtra peragit ratiocinari dicitur. Quare aptiſſime poſſet in hunc modum ratiocinatio definiri: eſt ea mentis noſtræ operatio, qua res ignotæ per notas pateſiunt, unum judicium ex alio colligendo; ſive cum Tullio Acad. III. c. VIII. „ Ratio, quæ ex rebus perceptis ad id quod non percipiebatur, adducit „. Quæ quidem quanti ſit facienda innuit Menander in Imbriis apud Stobæum Flor. tit. III.

Nihil eſt in humana natura
Melius ratiocinatione. Ordinando res
Et recte ratiocinando unuſquiſque eſt
Princeps, dux exercitus, ductor populi, præterea
Conſiliarius. Qui ratiocinatione præſtat, cuncta
obtinet.

Vocitatur plerumque barbare diſcurſus, atque etiam argumentatio, proptèrea quod tertia illa notio, ſive medius terminus, ſive abſolute medium, quod extrema tanquam arbiter conciliet, argumentum dictitatur. exemplo res planior fiat oportat. quodcunque illuſtratum variis modis umbram ſemper rotundam in aliud corpus demittit, rotundum eſt: atqui tellus a ſole vario modo illuſtrata umbram ſemper rotundam in lunam demittit: ergo tellus eſt rotunda. Me plane latebat, an tellus eſſet rotunda: quæ propoſitio, theſis, quæſtio dicitur: argumentum, ſive medium terminum ſuſcepi ab ejus umbra rotunda, quam in lunam projicit; atque ope hujuſce medii illos binos terminos, tellus, rotunda, affirmate copulavi. Qui porro duo termini proprio donantur nomine a ſcholaſticis; atque ſubjectum, minus extremum, minor terminus nuncupatur, quia minus patet, quam prædicatum, quod majus extremum, ma-

jor terminus, quia latius patet appellitatur. Tria adhæc recte a Logicis in quavis ratiocinatione diſtinguuntur, nimirum antecedens, conſequens, & conſequentia. Antecedens ea judicia dicuntur, ex quibus aliquid infertur. Conſequens eſt judicium, quod ex illis infertur. Conſequentia ſive illatio eſt conſecutio ipſa conſequentis ex antecedente. Antecedens in comparatione duarum notionum cum tertia verſatur. Conſequens vero in comparatione earundem inter ſe: quod in iſthac ratiocinatione obſervare licet: Omnis ſubſtantia ſpiritalis eſt immortalis: anima autem rationalis eſt ſubſtantia ſpiritalis: ergo anima rationalis eſt immortalis. Antecedens ſunt illa duo judicia: omnis ſubſtantia ſpiritalis eſt immortalis, & anima rationalis eſt ſubſtantia ſpiritalis. Conſequens eſt judicium ex illis illatum: anima rationalis eſt immortalis. Conſequentia vera eſt ipſa deductio per τό ergo expreſſa. Hinc optima eſt ratiocinatio ſi ex antecedenti ita conſequens dimanet, ut illud veluti hujus cauſſa ſit.

II. *Ratiocinandi formæ recenſentur, atque earum princeps ſyllogismus explicatur.* In eo igitur ratiocinandi natura ſita eſt, ut ex notis ad ignota oſtendenda gradus fiat. At quum iſthæc progreſſio varia ſit, variæ hinc exoriuntur argumentationis formæ, Syllogiſmus videlicet, Inductio, Exemplum, Enthymema, Epichirema, Sorites, Dilemma, Proſyllogiſmus. Syllogismus a græca voce συλλογίζεσθαι id eſt ratiocinari, profectus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis aliud quidpiam ab iis diſtinctum, quæ poſita ſunt, neceſſario conſequitur ex eo quod illa poſita ſint: ſive luculentius eſt oratio, in qua infertur duorum terminorum conjunctio inter ſe ex eo quod copulati cum tertio fuerint: quæ quidem definitio ex iis, quæ nuper diximus, perſpicue intelligitur. Quum itaque, ut aperta connexio, quæ inter utrumque terminum intercedit, percipiatur, collatio cum tertio termino fiat neceſſe eſt, iccirco ſunt veluti ſyllogiſticæ artis fundamenta habenda duo iſthæc axiomata: **Quæ conveniunt cum uno tertio, conveniunt**

etiam

etiam inter ſe: Ea quorum unum convenit cum alio tertio, aliud vero non convenit, inter ſe convenire non poſſunt. Vidimus jam in n. I. quanam ratione hiſce axiomatibus ſyllogiſmus innitatur. exemplum aliud ſubnectam, ut alia vocabula explicem: Qui amat periculum peribit in illo: atqui juvenis diſſolutus diu multumque cum venuſta muliere colloquens amat periculum: ergo peribit in illo. Prima harum enunciationum ab Ariſtotele πρότασις, a Cornificio expoſitio, a Cicerone propoſitio, a Quinctiliano intentio & intentum; a ſcholaſticis vulgo major, quia majus extremum complectitur, nuncupatur: altera ab Ariſtotele λῆμμα, a latinis aſſumtio, a ſcholaſticis minor, quia minus extremum continet dictitatur: συμπλοκὴ tertia, a latinis complexio, connexio, a ſcholaſticis concluſio, conſequentia appellatur. Prima & altera enunciatio præmiſſæ, quod præmittantur, etiam dicuntur.

III. *Inductio exemplis illuſtratur*. Inductio argumentatio eſt, qua ex multis ſingularibus enumeratis quidquam univerſale concluditur. ut iſthæc Horatii Satyr. 1.

Qui fit, Mæcenas, ut nemo, quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu ſors objecerit illa
Contentus vivat? laudet diverſa ſequentes?
O fortunati mercatores, gravis annis
Miles ait, multo jam fractus membra labore.
Contra mercator, navim jactantibus auſtris
Militia eſt potior. quid enim? concurritur horæ
Momento cita mors venit, aut victoria læta.
Agricolam laudat juris, legumque peritus
Sub galli cantum conſultor ubi oſtia pulſat
Ille, datis vadibus, qui rure extractus in urbem eſt,
Solos felices viventes clamat in urbe.
Cetera de genere hoc (adeo ſunt multa) loquacem
Delaſſare valent Fabium.

Eſt & aliud inductionis genus quæ Socratica audit, atque ab exemplo parum abludit: fitque quum argumentatio ex multis ſimilibus ad aliquid ſimile concludendum per interrogationes progreditur, ut puer

da-

datur ne inſtituendus negligenti pædagogo, an diligenti? diligenti: grex datur ne cuſtodiendus negligenti paſtori, an diligenti? diligenti: depoſitum datur ne ſervandum negligenti depoſitario, an diligenti? diligenti: ergo etiam ad animarum regimen admittendi ſunt non ſacerdotes negligentes, ſed diligentes. Si interrogandi modum ei adimas a Socratico more abit, & inductio rhetorica evadit. Dialectici enim ac præſertim Socratici interrogationem in diſputando, rhetores vero continuam orationem uſurpabant. Iſthæc argumentationis forma eo fulta eſt fundamento, quod de re eadem idem affirmari debeat. Univerſale porro & ſingularia ſimul ſumta inter ſe non differunt, niſi modo quodam & ratione. Poſtremo ut vim ejuſmodi argumentum habeat, nulla pars, quæ ad rem pertineat, omitti debet; ſecus in ſophiſma evadit.

IIII. *Exemplum, & Enthymema explanantur*. Exemplum eſt quædam imperfecta inductio, qua ab uno ſimili ad aliud argumentamur. ut dum equum aſſidue exerces, facis ad frenum & rhedam paratiorem: ergo ſi animum aſſidua contemplatione exerceas, facies ad contemplandum magis idoneum & expeditum. Hujuſmodi argumentatio nonniſi probabiliter concludit; quare ad Oratores potius quam ad Logicos pertinet. Ad exemplum porro referuntur parabola, & apologus. Parabola dicitur, ſi factum quod aſſumitur, revera non contigerit, ſed poſſibile tantum ſit, & veriſimile; ut parabola filii Prodigi, decem Virginum, divitis Epulonis. Quod ſi falſum aliquid & impoſſibile aſſumatur fabula, apologuſque nuncupatur, ut quum bruta animantia, vel arbores inter ſe colloquentia inducuntur, ut præcepta & exempla inde ad mores probe conformandos hauriantur, ut ex lib. IIII. Reg. c. XIIII. & Phædri & Avieni fabellis liquido apparet. Hinc Quinctilianus exempli materiem deſcribens lib. V. c. XI. eſſe, rei geſtæ, ait; aut ut geſtæ utilis ad perſuadendum id quod intenderis, commemorationem. Enthymema ab ἐνθυμεῖσθαι id eſt mente concipere, Quinctiliano

teſte

teſte lib. v. c. XIIII. „ab aliis oratorius ſyllogiſmus, ab aliis pars dicitur ſyllogiſmi; propterea quod ſyllogiſmus utique concluſionem, & propoſitionem habet, & per omnes partes efficit, quod propoſuit; enthymema tantum intenta intelligi contentum ſit„. Hinc mutilus quidam ac decurtatus ſyllogiſmus dicitur, in quo aut major, aut minor propoſitio, ut jam cognita ac perſpecta, omittitur: atque a ſignis ad res ſignificatas progreditur; ut iſthoc Tullii eſt: Pacem vult Antonius? arma ponat (*a*). Ex antecedenti, & conſequenti conſtat. Poſtremo ut aliud diſcrimen in paginæ ora deſcriptum taceam, in eo ab exemplo ſecundum Ariſtotelem enthymema abludit, quod illud ex re ſingulari ſenſibus ſubjecta aliquid probet: hoc vero ex communi ratione quam animus ſecum cogitat: hinc in problematis ſect. XVIII. qu. VIII. ſcribit, exempla eſſe manifeſta, quod fiant ex ſingularibus; enthymemata minus eſſe nota, quod ex univerſalibus fiant.

V. *Epichirema & Sorites enucleantur*. Epichirema a græco ἐπιχειρεῖν ideſt aggredi, unde aggreſſio latine

(a) *Jacobus Facciolatus in acroaſi* I. *de enthym. agens, negat enthymema eſſe ſyllogiſmum mutilum, ut vulgo Dialectici docent; pernegatque enunciatione una & concluſione conſtare. Nec miratur eſſe homines, qui ita ſentiant, miratur vero hujuſmodi homines venditare ſe tanquam Ariſtotelis alumnos, totiuſque Peripateticæ doctrinæ heredes ex aſſe. Veram Ariſtotelis doctrinam vindicat, horumce errorem refellit: atque evidenter demonſtrat, in medium productis quum Ariſtotelis, tum Ciceronis, & Quinctiliani pluribus locis enthymema non eſſe ſyllogiſmum, cui deſit vel propoſitio, vel aſſumtio, ut vulgares Logici arbitrantur, ſed cui concluſio deſit, quæ conticetur. Quod vel ex eo loco Quinctiliani, quem attuli ſuperne, luculenter apparet; ut omittam alium ejuſdem Auctoris locum ex lib.* v. *c.* XIIII. *depromtum, in quo allato præclaro enthymemate ex Tulliana oratione pro Ligario „quod habet, inquit, propoſitionem, probationemque, non habet concluſionem: ita eſt ille imperfectus ſyllogiſmus „.*

ne dici poſſet, vulgo definitur argumentatio, cujus propoſitioni, vel aſſumtioni ratio adnectitur, ita ut quatuor vel quinque partibus componatur. ex. gr. omnis ſpiritalis ſubſtantia quum partibus careat, in quas diſſolvi queat, immortalis eſt: anima vero rationalis eſt ſubſtantia ſpiritalis; quippe quæ velit & intelligat: ergo anima rationalis eſt immortalis (*a*). Sorites a σωρὸς, acervus, a Cicerone lib. II. de divinat. c. IIII. acervalis ſyllogiſmus nuncupatus, ab aliis gradatio, eſt argumentatio ex pluribus enunciationibus conſtans ea ratione connexis, ut attributum pri-

(a) *Ne a communi probataque opinione diſcederem eam epichirematis definitionem exhibui. Verum ſecus ſe res habet. Nam quod ad materiam epichirematis attinet, apodixi opponitur; quia quod propoſitum eſt, non firma ac neceſſaria ratione demonſtrat, ſed argumentorum contentione in utramque partem probabile facit. „ Apodixis, ad rem ſcripſit Quinctilianus Inſt. lib. V. c.* X. *eſt evidens probatio. Hanc ab epichiremate differre Cæcilius putat ſolo genere concluſionis, & eſſe apodixim imperfectam epichirema „. Quod ad formam vero ſpectat „ Philoſophema, ait Ariſtoteles Topic.* VIII. *c.* XI. *ſyllogiſmus epidicticus eſt, epichirema autem ſyllogiſmus dialecticus „. Hinc liquet, quot partes habere debeat, quum ſit ſyllogiſmus. Non defuere, qui partium numerum augerent, ut eſt apud Quinct. loco indicato c.* XIIII. *„ Epichirematis, & quatuor, & quinque, & ſex etiam facta ſunt partes a quibuſdam „. Sed id epichiremati rhetorico convenit, de quo ita ſcribitur apud Caſſiodorum in Rhet. compend. „ epichirema eſt deſcendens de ratiocinatione latior excurſio rhetorici ſyllogiſmi, latitudine diſtans, & productione ſermonis a dialecticis ſyllogiſmis „. Verum logicum epichirema non eſt argumentationis forma a ſyllogiſmi forma diſtincta, ſed eſt ſyllogiſmus dialecticus ad diſputandum in partem utramque per probabilia comparatus: qua ratione verbum ipſum* ἐπιχειρεῖν *adhibetur a D. Laertio, a Themiſtio, ab Alexandro Aphrodiſienſi, & ab Ariſtotele. Conſule Facciolatum in acroaſi* XI. *de epichirem.*

primæ fiat ſubjectum ſecundæ; attributum ſecundæ fiat ſubjectum tertiæ, atque ita deinceps, donec tandem in complexione, ultimæ attributum cum primæ ſubjecto copuletur; ut qui juſtas fert leges, hominum ſocietati prodeſſe ſtudet; qui hominum ſocietati prodeſſe ſtudet, ſaluti proborum proſpicit; qui ſaluti proborum proſpicit, malos coercet; qui malos coercet, virtutem defendit; ergo qui juſtas fert leges virtutem defendit. Verum quum in ejuſmodi gradationem, præſertim longiorem facile irrepunt vitia, cavere oportet. I. Ne ullum ſit verbum ambiguum, ut in ſorite Gorgiæ Leontini, quo evincere conabatur non eſſe omnino, quod eſt æternum: Quod eſt æternum, ajebat, ut refert Sex. Emp. adv. Log. lib. 1. n. 96. caret principio; quod caret principio eſt infinitum; quod eſt infinitum nuſquam eſt; quod nuſquam eſt, omnino non eſt; ergo quod æternum eſt omnino non eſt. Infinitum porro nuſquam eſſe ex eo evincebat, quia ſi alicubi eſſet, in loco eſſet, eoque contineretur; adeoque loco eſſet anguſtius, atque infinitum eſſe desineret. Ad ambiguam infiniti notionem animum non appulit, vel appellere noluit; quæ vox quum ad ea quæ ſempiterna ſucceſſione conſtat, ut tempus & motus ſunt apud veteres philoſophos, referri poteſt; tum ad magnitudinem nullis terminis circumſeptam. II. Ne enunciatio integra ambigua incerta, vel minus vera ſit. Hac in parte deficiebat ſorites Diophanti filii Themiſtoclis, apud Plut. de puer. inſt. Quod placet mihi, placet matri meæ; quod placet matri meæ, placet Themiſtocli; quod placet Themiſtocli, placet omnibus Athenienſibus; ergo quod placet mihi, placet omnibus Athenienſibus. Quaſi vero & ipſe apud matrem, & mater apud Themiſtoclem, & Themiſtocles apud Athenienſes tantum revera poſſent, quantum vellent. III. Ne inter ajentes enunciationes ulla negans ſit; quia reliquarum nexum abrumpet; atque ita nihil efficiet, qui diſputat; ut virtus eſt habitus; habitus eſt qualitas; qualitas non eſt ſubſtantia (in iſthac vitium ineſt); ſubſtantia per ſe conſtat; ergo virtus per ſe conſtat. Non inficior poſſe enunciationem,

nem, quæ complexionem præit, negantem eſſe, ſed tum complexio ipſa negans erit; in hoc ſorite Ciceronis de offic. l. III. c. VI. Si hominis eſt hominem juvare, omnium utilitas eſt communis; ſi omnium utilitas eſt communis, una continemur omnes lege naturæ; ſi una continemur omnes lege naturæ, alter alterum violare non debet: ergo homo hominem violare non debet. Poteſt etiam ex omnibus negantibus confici, modo a ſummis ad ima genera gradus fiat; ut Quod non eſt ſubſtantia, neque corpus, neque ſpiritus eſt; quod neque corpus, neque ſpiritus eſt vivens non eſt; quod vivens non eſt, animal non eſt; quod animal non eſt, homo eſſe non poteſt. IIII. Oportet ut enunciationes, quæ ſoriten efforment, aptæ ſint, ac per gradus recte congruentes diſpoſitæ. Qua in re peccaſſe Vellejum ita ratiocinantem oſtendit Cotta apud Cic. de nat. deor. c. XXXII. Dii beati ſunt; nemo beatus eſt ſine virtute; virtus eſſe non poteſt ſine ratione; ratio non eſt niſi in hominis figura; ergo dii humana figura conſtant. En qua ratione hujuſce ſoritæ vitium Cotta patefaciat. Beatos eſſe deos ſumſiſti. Concedimus. Beatum autem ſine virtute neminem eſſe poſſe. Id quoque damus, & libenter quidem. Virtutem ſine ratione conſtare non poſſe. Conveniat id quoque neceſſe eſt. Adjungis, nec rationem eſſe, niſi in hominis figura. Quem tibi hoc daturum putas? Si enim ita eſſet, quid opus erat, te gradatim iſthuc pervenire? Sumſiſſes tuo jure. Quid autem eſt iſthuc gradatim? Nam a beatis ad virtutem, a virtute ad rationem video te veniſſe gradibus. A ratione ad humanam figuram quomodo accedis? Præcipitare iſtud quidem eſt, non deſcendere. V. Cavendum ſedulo eſt ne ulla enunciatio ſit particularis, niſi forte prima. Siquidem cujuslibet ſubjectum accipitur ut medium peculiaris ſyllogiſmi, qui erit plane ineptus, ſi medio particulari fuerit innixus. Adjeci, niſi forte prima; quia quum ſorites in ſyllogiſmos reſolvitur, enunciatio ejus prima aſſumtionis loco ponitur; nec repugnat aſ-

aſſumtionem eſſe particularem, modo ajat. Ex quibus plane omnibus facile colligi poteſt, quo vitio laboret ſorites Chryſippeus, ita dictus, vel quod a Chryſippo ſit inventus, vel quod ab eo magna contentione ſit oppugnatus, & quare ſit fallax. Scilicet multa ſunt in eo ambigua, non loco poſita, falſa, incerta, partim vera, partim falſa univerſim accepta; hinc fit ut recte minime concludat: exemplum exhibet Tullius: Videte, judices, inquit lib. III. in Verr. c. 94. quam infinitam ſitis hominibus licentiam pecuniarum recipiendarum daturi. Si ternos denarios qui coegit, erit abſolutus, quaternos, quinos, denos denique, aut vicenos coget alius. Quæ erit reprehenſio? In quo primum injuriæ gradu reſiſtere incipiet ſeveritas judicis? Quotus erit iſte denarius, qui non ſit ferendus (a)?

VI. *Dilemma, & proſyllogiſmus ediſſeruntur*. Dilemma, involutum & cornutum diſſerendi genus a Cicerone Tuſc. V. c. XV. dictum, atque a Diodoro inventum, eſt argumentatio in qua ex ſingulis partibus disjunctivæ enunciationis antecedentis loco aſſumtæ, incommodum infertur. hujuſmodi eſt ratiocinatio qua Phocion apud Plutarch. Philippi Legatis conſulentibus, ut oblata munera ſaltem pro filiis acciperet, ſatisfecit: Si mei ſimiles erunt, idem hic agellus eos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit: ſin diſſimiles mei ſunt futuri, nolo meis impenſis illorum ali, augerique luxuriam. Invertitur quandoque ejuſmodi argumentatio & ἀντιστρέφον græce, latine vero reciprocum appellitatur: ut ſi hoc dilemma: Si uxorem deformem duces, tibi non placebit; ſi pulcram placebit aliis; ergo omnino ducenda non eſt: in hunc modum inverteris cum Bicante apud Gell. lib. V. c. XI. Si uxorem pulcram duces,

(a) *Ad ſoriten revocandus eſt Calvus, quem ſophiſticum argumentandi modum Græci φαλακρὸν appellabant: eſtque acervalis argumentatio, per quam efficitur non eſſe calvum, qui calvus eſt; aut eſſe jam calvum, qui nondum eſt; quod certo definiri nequeat, quot numero pili calvitium conſtituant.*

ces, tibi placebit; ſi deformem, non placebit aliis; ergo ducenda eſt. Poteſt dilemma eſſe etiam complexum, ut illud apud eundem Gell. lib. XIIII. c. I. Genethliaci aut adverſa ventura dicunt, aut proſpera: ſi dicunt proſpera, & fallunt, miſer fies fruſtra exſpectando: ſi adverſa dicunt, & mentiuntur, miſer fies fruſtra timendo. Si vera reſpondent, eaque non ſunt proſpera, jam inde animo miſer fies, antequam fato fias: ſi felicia promittunt, eaque eventura ſunt, tum plane duo erunt incommoda; & exſpectatio te ſpei ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudii fructum ſpes tibi jam defloraverit. Nullo igitur pacto utendum eſt iſtiuſmodi hominibus, res futuras præſagientibus. Ea ſuper re animadvertendum ſummopere eſt, dilemma in ſophiſma evadere, ſi 1. aut membra non ſint perfecte oppoſita, 2. aut conſectaria non neceſſario fluant. Primi generis eſſe recenſitum Biantis dilemma contendit Phavorinus apud Gell. loc. indic. „ Eſt autem, inquit, tertium quoque inter duo iſta, quæ disjunguntur, cujus rationem proſpectumque Bias non habuit. Inter enim pulcherrimam feminam, & deformiſſimam, media quædam forma eſt, quæ a nimiæ pulcritudinis periculo, & a ſummo deformitatis odio vacat. Qualis a Q. Ennio in Menalippa, per quam eleganti vocabulo ſtata dicitur, quia neque κοινὴ futura ſit, neque ποινή: quam formam modicam & modeſtam, Phavorinus non mehercle, inſcite appellabat uxoriam „. Alterius porro generis eſt dilemma illius viri apud Ariſtot. l. II. Rhet. filium diſſuadentis ne quando verba ad populum faceret in hunc modum: Si injuſta ſuaſeris, deos habebis iratos; ſin juſta, homines. Verum filius ita retorſit: Immo expedit orationem habere ad populum; quandoquidem ſi juſta dixero, dii me amabunt; ſi injuſta homines (a).

Pro-

(a) *Huc etiam ſpectat Ignava ratio, græce ἀργὸς λόγος, quæ ita conformabatur. Si fatum, uti apud Cic. de Fato c.* XII. *legitur, tibi eſt, ex hoc morbo convaleſcere, ſive medicum adhibueris, ſive non, convaleſces:*

Proſyllogiſmus tandem habetur ſi exſtructo jam ſyllogiſmo, alter ita ſubnectatur, ut complexio prioris, interioris enunciatio, vel aſſumtio evadat: quæ porro enunciatio lemma, minor ſubſumta, ac ſubſumtum vocitatur. ex. gr. Quicquid habet initium non eſt perfectum; quicquid creatum eſt habet initium; ergo quicquid creatum eſt non eſt perfectum; Sed Deus eſt perfectus; ergo quicquid creatum eſt non eſt Deus.

CAPUT II.

De ſingulis ratiocinandi formis ad ſyllogiſmum revocandis: de duplici ſyllogiſmi ſpecie; reguliſque ad eum attinentibus: de ſyllogiſmi materia, forma, figura, & modo: de legibus I. II. III. & IIII. *figuræ; de modo directo, & indirecto; atque de reductione ſyllogiſmi imperfecti ad perfectum.*

I. *Omnes ratiocinandi formæ ad ſyllogiſmum revocantur.*

Quum ſyllogiſmus ſit omnium, quas

V ha-

ſces: Item, ſi fatum tibi eſt, ex hoc morbo non convaleſcere, ſive medicum adhibueris, ſive non, convaleſces: at alterutrum fatum eſt: medicum ergo adhibere nihil attinet. Ejuſdem generis fallacia eſt Dominans ratio, de qua Arrianus de ſerm. Epitect. l. II. *c.* XVIIII. *per hanc conficiebat, fatum in rebus omnibus dominari; unde illi fortaſſe nomen eſt. Ejuſdem ordinis etiam Metens eſt, græce* θερίζων, *unde colligebant, nullam eſſe meſſis curam ſuſcipiendam, quæ fatalibus cauſſis regeretur. Vide Acroaſim* V. *Facciolati de Ignava ratione. Neque ab hiſce abludit Electra, quam ita Lucianus in Sectarum Auctione deſcribit: Electram valde celebrem, Agamemnonis filiam, quæ eadem novit ſimul, & non novit. Adſtante enim illi Oreſte adhuc ignoto, novit quidem Oreſtem eſſe fratrem ſuum, illum autem ipſum eſſe Oreſtem, minime novit.*

hactenus recenſuimus argumentandi formas, princeps & optima; atque ad eam nullo plane negotio reliquæ revocentur (*a*): ratio poſtulat, ut de ea accuratius agatur. Ac principio ut perfecta atque omnibus numeris abſoluta ſit ratiocinatio, debet conſequens in antecedenti contineri, atque ita eſſe inter ſe copulata, ut unum ex altero liquido dimanet: oportet præterea verum eſſe antecedens, ut conſequens item

(a) *Unam eſſe præcipuam ratiocinandi formam, quæ partes habere nequit pauciores tribus, neque plures, ex his quæ huc uſque edifferuimus ſatis liquet; atque harum prima enunciatio, altera aſſumtio, tertia complexio eſt; queis porro ſi rationem adjeceris, confirmationem, exornationem, non partium numerum augebis, ſed eaſdem tres partes novo lumine illuſtrabis, validiuſque roborabis. Inductio ſolum, ſi recte conjicio, præ ceteris, & ſorites aliquam tibi difficultatem parere poſſent, atque animum tuum hærentem efficere. Sed quoniam id in animum inducas volo, audi quanam induſtria iſthæc inductio in ſyllogiſmum evadat. Prudentia eſt habitus bonus, juſtitia eſt habitus bonus, temperantia eſt habitus bonus, fortitudo eſt habitus bonus; ergo virtus eſt habitus bonus. In hunc modum jam eam efferto: Quod eſt prudentia, juſtitia, temperantia, fortitudo eſt habitus bonus: virtus eſt prudentia, juſtitia, temperantia, fortitudo; ergo virtus eſt habitus bonus. Propoſitionem dumtaxat generalem addes, & ſyllogiſmum habebis. Ad ſoritem vero quod attinet, accipe primum ſoritem, ac deinde eundem in tres ſyllogiſmos reſolutum: Omnis homo eſt animal terreſtre; omne animal terreſtre eſt ens corporeum; omne ens corporeum eſt ſubſtantia finita; omnis ſubſtantia finita eſt creata; ergo omnis homo eſt creatus. En primus ſyllogiſmus: Omne animal terreſtre eſt ens corporeum: omnis homo eſt animal terreſtre; ergo omnis homo eſt ens corporeum: En alter: Omne ens corporeum eſt ſubſtantia finita; omnis homo eſt ens corporeum; ergo omnis homo eſt ſubſtantia finita. En tertius: Omnis ſubſtantia finita eſt creata; omnis homo eſt ſubſtantia finita; ergo omnis homo eſt creatus.*

item verum eſſe queat. Ex vero enim verum, atque ex falſo falſum colligitur (a). Quæ quidem omnia ex iis, quæ paullo ante, quum de ratiocinatione ſermo erat, ediſſeruimus, plane intelliguntur.

II. *Quotuplex ſit ſyllogiſmus; & ſimplex illuſtratur.* Jam ſyllogiſmus duplex eſt, ſimplex & complexus: de ſimplici nobis hoc in loco ſermo erit; de complexo vero mox dicemus. Syllogiſmus ſimplex, qui & categoricus dictitatur ille eſt, qui duobus ſimplicibus terminis, ac medio unico conſtat, ex quibus tres conficiuntur ſimplices enunciationes; ut omne, quod Deus prohibuit, eſt fugiendum; Deus homicidium prohibuit; ergo homicidium eſt fugiendum. Qui porro, ut rite perficiatur, ad regularum quarundam amuſſim eſt accurate exigendus: quæ ve-

(a) *Non me fugit opinio Muſſchenbroekii Inſt. Log. c.* III. §. 371. *contendentis ex falſa enunciatione veram elici poſſe, modo efficiatur contradictoria propoſitionis falſæ initio aſſumtæ; quæ quidem contradictoria eſt vera: atque laudatis Euclide lib.* VIII. *prop.* XII. *& Jac. Bernoullio vol.* I. *pag.* 230. *in ſuæ ſententiæ patrocinium ita argumentatur: „ Adverſarius contradictoriam aſſertionis meæ aut falſam putat eſſe, aut veram: ſi concedat eſſe falſam, eo ipſo aſſertionem meam veram eſſe agnoſcere debet. Si contra putat eſſe veram, oportet ut omne id quod exinde legitima infero conſequentia, adeoque (per hypotheſin) ipſam meam aſſertionem quoque veram agnoſcat, & conſequenter ut utrumque contradictorium fateatur eſſe verum, quod quum ſit abſurdum, evidenter ſequitur contradictoriam aſſertionis meæ, ex qua fluit hoc abſurdum, falſam eſſe, adeoque aſſertionem ipſam, quæ illata fuerat, veram. Unde formari poſſet hoc paradoxon. Ex falſo nonnunquam ſequitur verum, & tamen ſemper abſurdum „. Verum nemo eſt qui non videat, ex falſo verum quandoque conſequi poſſe, ſed eſſe itidem abſurdum, adeoque non plane in antecedenti contentum, nec inde recta, & nulla captioſa ratiocinatione dimanans. quod ſolum veri genus valet ſapientis viri animum inducere, ut faſces ei libenter ſubmittat.*

ro quum axiomatis quibuſdam innitantur, hæc antequam illas proferamus, in medium adducamus oportet. I. Enunciationes particulares in generalibus ejuſdem naturæ continentur; contra generales minime in particularibus continentur, nimirum I. in A, & O in E; ſed non A in I, nec E in O. II. Enunciatio particularis, vel univerſalis evadit ex eo quod ſubjectum ſtrictius, vel latius uſurpetur. III. Quoniam attributum non latius patet quam ſubjectum ſemper particulariter ſuſcipitur; quia per accidens eſt, ſi univerſaliter ſumatur. IIII. Attributum enunciationis inficialis ſemper univerſaliter uſurpatur. Quorum quidem axiomatum veritas ex iis conſtat, quæ de natura enunciationum ajentium, & negantium ſuperiori diximus libro. Jam regulas ſubjicio, quibus inſuper habitis, in paralogiſmum, falſam ſcilicet & captioſam ratiocinationem ſyllogiſmus evadat neceſſum eſt. I. Medium terminum bis particulariter accipere non licet, ſed ad minimum ſemel univerſaliter capiendus eſt. Si latiori ſignificatu ſemel uſurpetur, continebit ſane propoſitionem in qua particulariter ſuſcipitur; quia particulare in univerſali continetur. Contra ſi bis particulariter adhiberetur, una enunciatio alteram non complecteretur, ac proinde quatuor termini forent. En ſyllogiſmum vitioſum: Aliquis homo eſt doctus: aliquis homo eſt imperitus; ergo aliquis imperitus eſt doctus. Rectum e contrario ſyllogiſmum accipe, in cujus præmiſſis medius terminus ſemel latiori ſenſu uſurpatur: Quod eſt violentum non eſt diuturnum: omnis tyrannis eſt violenta: ergo omnis tyrannis non eſt diuturna. II. Termini complexionis accipi univerſalius in ipſa complexione nequeunt, quam in præmiſſis. Nam a particulari ad univerſale non recte progreditur argumentatio; ut aliquis homo eſt muſicæ peritus; ergo omnes homines ſunt muſicæ periti. Hinc conſequitur 1. ſemper debere accipi latiori ſignificatu aliquem terminum in præmiſſis, qui ſtrictiori accipiatur in concluſione. 2. Terminum in concluſione lato ſuſceptum intellectu, eodem eſſe ſuſ-

ſuſcipiendum in præmiſſis. 3. Terminum majorem debere neceſſario univerſaliter accipi in majori, ſi complexio inficialis eſt. 4. Majorem ſyllogiſmi, cujus concluſio inficialis eſt, nunquam particularem ajentem eſſe poſſe. 5. Talem eſſe in complexione minorem terminum, qualis in præmiſſis eſt. 6. Quum minor propoſitio eſt univerſalis negans, ſi inde complexio legitima elici poteſt, poſſe illam ſemper univerſalem eſſe. III. Medius terminus neque integer, neque ex parte complexionem ingredi debet. Nam medius terminus cum ſubjecto copulatus aſſumtionem, cum attributo enunciationem conſtituit; nequit igitur complexio ſubjectum, attributum, & medium continere, quin ambas præmiſſas contineret; exemplo ſit: Qui pauperes odit, eſt inviſus Deo, ſed Crœſus odit pauperes; ergo Crœſus, qui odit pauperes, eſt inviſus Deo. Palam eſt medium τὸ qui odit pauperes in concluſione ſupervacaneum eſſe. IIII. Nihil ex duabus enunciationibus inficialibus elici poteſt. Siquidem medius terminus in propoſitione, & aſſumtione, quum a ſubjecto, tum ab attributo ſejungitur; atque hinc plane non ſequitur ſubjectum cum attributo eſſe copulandum, vel ab eo ſeparandum. ex. gr. Galli non ſunt Mahumedani; Mahumedani non ſunt Chriſtiani; ergo Galli non ſunt Chriſtiani. falſa conſecutio. V. Complexio inficialis ope ajentium propoſitionum evici nequit. Nam concluſio ex præmiſſis dimanat, harumque naturam imitatur atque induit. VI. Complexio ſequitur ſemper debiliorem partem, hoc eſt ſi enunciationum altera negans ſit, illam negantem eſſe oportet; ſi particularis particularem. Si enim alterutra enunciatio fuerit inficialis, terminus medius de alterutro quæſtionis termino negatur, ac proinde utrumque copulare nequit; quod ad concluſionem ajentem requiritur. Ita etiam ſi præmiſſarum altera particularis fuerit, complexio quæ præmiſſis continetur, atque ex ipſis dimanat, particularis eſſe debet. Siquidem complexio vel ajens, vel negans foret: ſi ajens & univerſalis, ſubjectum in aſſumtione deberet eſſe univerſale, ac proinde ejus at-
 tri-

tributum particulare, quia quum foret medius terminus, qui in propoſitione fuit univerſe acceptus, nequit iterum in aſſumtione univerſe accipi, ne ambæ præmiſſæ univerſales evadant. ergo ſi alterutra præmiſſarum particularis erit, complexio univerſalis eſſe non poterit. Si porro complexio negans & univerſalis eſſet, quum ſubjectum, tum attributum forent univerſalia; atque adeo etiam præmiſſæ, ac proinde neutra particularis. VII. Ex binis enunciationibus particularibus nihil conſequitur. Nam ſi ambæ ajentes forent, medius terminus bis particulariter adhiberetur: ſi vero ambæ negantes, medius terminus etiam bis particulariter uſurparetur, quod aperte regulæ. I. repugnat. Si porro altera præmiſſarum foret ajens, & altera negans: unus terminus adhiberetur univerſaliter, qui eſt terminus medius; & ambo complexionis termini forent particulares, ac proinde concluſio ajens haberetur, quæ ex negante naſci nequit, ut aliqui nobiles non ſunt docti; aliqui docti ſunt pauperes; ergo aliqui pauperes ſunt nobiles. Quo in ſyllogiſmo quatuor termini inſunt, ut nobiles, non docti, docti, & pauperes. Quæ quidem regulæ ut facilius in animo inhærerent, ſequentibus fuerunt verſibus comprehenſæ:

Terminus eſt triplex, major, mediuſque, minorque.
Latius hunc, quam præmiſſæ, concluſio non vult.
Nequaquam medium capiat concluſio oportet.
Aut ſemel, aut iterum medium generaliter eſto.
Nil ſequitur geminis ex particularibus unquam.
Utraque ſi præmiſſa neget, nihil inde ſequetur.
Sit parti ſimilis concluſio deteriori.
Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem.

III. *Syllogiſmi materia, forma, figura, & modus explanantur*. Jam regulis, quibus ſyllogiſmus confici debeat, explicatis, quot ſyllogiſmorum genera hinc exſiſtere queant, videre oportet. Atque univerſim dici poteſt tot exſiſtere poſſe ſyllogiſmorum genera, quot diverſis modis tres ſyllogiſmi enunciationes, ac tres termini, ex quibus componuntur, compingi ac diſ-

diſponi queant. Materia igitur & forma ſyllogiſmi eſt accurate expendenda. Materia duplex diſtinguitur, id eſt remota, termini nimirum, & medium, & proxima id eſt enunciationes, quæ ex hiſce conſtantur. Forma vera eſt artificioſa materiæ diſpoſitio; atque iterum duplex eſt; vel eſt enim materiæ remotæ, & figura nuncupatur; vel proximæ, & modus dictitatur. Porro figura eſt apta medii cum duobus extremis ad concludendum copulatio. Quum autem medius terminus cum extremis quadrifariam conjungi queat, quadruplex hinc exoritur figura ſyllogiſtica. Prima illa eſt, in qua medium eſt in propoſitione ſubjectum, & in aſſumtione attributum: ſecunda, in qua medius terminus eſt utrobique attributum: tertia, in qua medium in propoſitione, & in aſſumtione ſubjicitur: quarta, in qua medius terminus utrobique prius prædicatur, deinde ſubjicitur. Verum poſtrema hæc vulgo Galenica dicta, quippe quæ fuerit a Galeno inventa, vel frequentius adhibita, ut tradit Averrhoes in l. 1. Pr. Anal. c. VIII; (licet ab aliis, pobabilius Platoni adſcribatur, quum nulla ejus mentio in Galeni operibus fiat) tanquam inutilis & fallax contemnitur; quum nihil ſit aliud quam primæ inverſio. Accipe nunc verſiculos id rei explicantes.

Prima figura prius medium tibi ſubjicit, inde
Prædicat: aſt medium bis prædicat altera; & illud
Tertia bis ſubjicit: primæ contraria quarta eſt:
Prædicat iſta prius medium, tum ſubjicit illud.

Jam vero modus eſt trium enunciationum ſecundum quantitatem, & qualitatem hiſce litteris indicatas A, E, I, O (*a*) certa poſitio, & connexio. Ex qua porro diverſa collocatione LXIIII. ſyllogiſmi proficiſcuntur; ſed non omnes optimæ notæ. Nam XXVIII. vitioſi ſunt, quippe qui regulis IIII. & VII. repugnent;

(a) *Recolite litterarum ejuſmodi vim ex iis, quæ de enunciationibus diſſeruimus, ſcilicet A univerſalem enunciationem ajentem, E univerſalem negantem, I particularem ajentem, O particularem negantem indigitare.*

gnent; ut EEA. EEE. EEI. EEO. EOA. EOE. EOI. EOO. OEA. OEE. OEI. OEO. OOA. OOE. OOI. OOO. & IIA. IIE. III. IIO. IOA. IOE. IOI. IOO. OIA. OIE. OII. OIO. XVIII. regulam VI. impetunt; id eſt AEA. AEI. AIA. AOA. AOE. AOI. EAA. EAI. EIA. EIE. EII. IAA. IEA. IEE. IEI. OAA. OAE. OAI; VI. in regulam V. peccant; ſuntque: AAE. AAO. AIE. AIO. IAE. IAO. II. ſcilicet IEO. & AEO. per conſectaria ex regulis elicita repudiantur. Hiſce itaque omnibus tanquam vitioſis expulſis, decem dumtaxat optimæ notæ ſuperſunt, id eſt, AAA. AII. AAI. IAI. EAE. AEE. EAO. AOO. OAO. EIO.

IIII. *Leges* I. II. III. *&* IIII. *figuræ. Modus indirectus, & directus finitur*. Nec omnes rectos ſyllogiſmi modos quæque figura complectitur, ſed aliquos dumtaxat, ut palam fiet in producendis in medium cujuſque figuræ legibus. Ac principio leges primæ figuræ binæ ſunt, quæque iſthoc verſiculo continentur:

Sit minor affirmans, major vero generalis.

Ratio primæ partis eſt, quia ſi negans eſſet aſſumtio, deberet & complexio negans eſſe per regulam VI., ac proinde medius terminus latius uſurparetur in complexione negante, quam in propoſitione ajente contra regulam II. exemplo pateſit vitium: Omnis homo eſt animal; nullus leo eſt homo; ergo nullus leo eſt animal. Alterius autem partis ratio eſt; quia ſi particularis eſſet, medius terminus qui eſt ejus ſubjectum, particularis foret; atque eodem ſenſu acciperetur etiam in aſſumtione ajente, in qua attributum eſt, ac proinde ambæ præmiſſæ particulares eſſent, ex quibus nihil concludi poſſet per regulam VI., obſerva ſyllogiſmi hujuſmodi falſitatem in ſubjecto exemplo: Aliquis homo eſt albus: aliquis Æthiops eſt homo: ergo aliquis Æthiops eſt albus. Quare ex ſupra memoratis decem modis quatuor ſolum ad hanc figuram ſpectare poſſunt BArbArA id eſt AAA. ut Quiſquis fame finit perire,

quos

quos paſcere tenetur, homicida eſt: ſed divites qui eleemoſynas non erogant, publica fame graſſante, eos perire ſinunt, quos paſcere tenentur: ergo divites illi ſunt homicidæ. CElArEnt, id eſt EAE; ut Nullus ſpiritus eſt extenſione præditus: omnis angelus eſt ſpiritus; ergo nullus angelus eſt extenſione præditus. DArII. hoc eſt AII. Quicquid animæ ſaluti prodeſt, bonum eſt: ſunt autem quædam afflictationes, quæ animæ ſaluti proſunt: ergo quædam afflictationes ſunt bonæ. FErIO id eſt EIO. Nulli homines, qui pauperibus opem ferunt culpandi ſunt: ſunt aliqui pii homines, qui opem ferunt pauperibus: ergo aliqui pii homines culpandi non ſunt. Iſthæc prima figura hocce axiomate innititur: Quicquid univerſim affirmatur, vel negatur de aliquo, affirmari, vel negari de omni, quod illo continetur. Hinc ſi attributum de medio affirmatur, affirmari de ſubjecto etiam debet, quod in ipſo medio continetur: contra ſi de medio negatur, negandum etiam de ſubjecto erit. Binæ ſunt itidem ſecundæ figuræ leges, quæ iſthoc verſiculo continentur.

Una negans eſto, nec major ſit ſpecialis.

Ratio primæ legis; quia quum medius terminus in propoſitione, & aſſumtione ſit attributum, ſi ambæ forent ajentes bis particulariter acciperetur contra reg. 1. Alterius autem ratio eſt; quia ſi propoſitio particularis foret, majus extremum, quod in ea ſubjicitur, particulariter tantum uſurparetur; contra vero univerſaliter in complexione negante, cujus eſt attributum; quod cum regula 11. pugnat. Hinc quatuor tantum eſſe hujuſce figuræ modos conſequitur; id eſt CEsArE, EAE: Nemo ſua ſorte contentus inhiat aliorum bonis: omnis avarus inhiat aliorum bonis: ergo omnis avarus non eſt ſua ſorte contentus. CAmEſtrEs AEE. Omnes qui ſunt Jeſu Chriſti, cruci affigunt carnem ſuam: atqui nemo eorum qui vitam mollem ac voluptariam agunt, cruci affigit carnem ſuam: ergo nemo eorum eſt Jeſu Chriſti. FEſtInO, EIO. Nulla virtus eſt contraria amori veritatis: eſt quidam amor pacis, qui eſt contrarius amori

amori veritatis : ergo eſt quidam amor pacis , qui non eſt virtus. BArOcO, AOO. Omnis virtus vera comitem habet prudentiam : eſt quidam zelus prudentiam comitem non habens : ergo quidam zelus non eſt virtus vera. Unico fere axiomate ſuffulta eſt hæc figura : Duo non ſunt quid idem , quum uni quidquam conveniat, quod alteri repugnet. Duas quoque leges habet tertia figura, quas in ſubjecto verſiculo cernere licet :

Sit minor affirmans, concluſio particularis.

Debet heic etiam aſſumtio ajens eſſe , ut in prima figura eandem ob rationem. Porro complexio debet eſſe particularis; quia quum aſſumtio ſit ajens, minus extremum , quod eſt illius attributum, ſumitur in ipſa particulariter; ac proinde ut ſumatur etiam particulariter in complexione , cujus eſt ſubjectum, debet complexio particularis eſſe. Quare, ſex erunt hujuſce figuræ modi : DArAptI, AAI. Omne myſterium eſt obſcurum : omne myſterium eſt certum : ergo aliquod certum eſt obſcurum. FElAptOn EAO. Nullum violentum eſt durabile : omne violentum eſt præter naturam : ergo aliquid præter naturam non eſt durabile. DIsAmIs. IAI. Aliqui impii divitiis abundant: omnes impii ſunt miſeri :ergo ſunt aliqui miſeri, qui divitiis abundant. DAtIsI, AII : Omnis Dei ſervus eſt rex: ſed aliquis Dei ſervus eſt pauper : ergo aliquis pauper eſt rex. BrOcArdO, OAO. Quidam divites non ſunt avari : omnes autem divites ſunt homines; ergo quidam homines non ſunt avari. FErIsOn EIO: Nulla corpora ex ſe cogitare poſſunt : quædam corpora ſunt pellucida : ergo aliquod pellucidum ex ſe cogitare non poteſt. Duo ſunt principia, queis tertiæ figuræ modi innituntur : primum ad modos ajentes ſpectat : ſi duo attributa eidem ſubjecto conveniunt, inter ſe quoque aliquando convenient ; v. gr. ſi omne myſterium eſt obſcurum, & certum; aliquod certum quandoque poteſt eſſe obſcurum. Alterum ad negantes modos attinet, nimirum : Si ex duobus attributis unum alicui ſubjecto conveniat, cui alterum minime convenit, iſthæc attributa quando-

que

que inter ſe non convenient; v. gr. ſi nulli violento conveniat eſſe durabile; & omni violento conveniat eſſe præter naturam, fieri poteſt, ut aliquid, quod eſt præter naturam, non ſit durabile. Poſtremo tres regulas quarta figura habet hiſce verſibus expreſſas.

Major ubi affirmat, generalem ſume minorem:
Si minor affirmat, concluſio ſit ſpecialis:
Quumque negans modus eſt, tunc major ſit generalis.

Ratio primæ regulæ eſt, quod quum in iſthac figura medium particulariter ſumatur in propoſitione ajente, cujus eſt attributum, ne in aſſumtione quoque, cujus eſt ſubjectum particulariter ſumatur, aſſumtio univerſalis eſſe debet; ſecus in regulam 1. peccaretur. Secundæ, quia quum minus extremum, quod eſt aſſumtionis attributum accipiatur in ea particulariter, accipiendum eſt etiam particulariter in complexione, cujus eſt ſubjectum; ac proinde particularis complexio eſſe debet: alioquin latius in concluſione, quam in præmiſſis acciperetur, quod regulæ ſecundæ repugnaret. Tertiæ denique, quod ſi modus eſt inficialis, id eſt ſi complexio negans ſit, ideoque in ea uſurpetur majus extremum ſive attributum univerſaliter, debet etiam in propoſitione univerſaliter uſurpari, cujus eſt ſubjectum, adeoque illam univerſalem efficere. Hinc colligitur quinque tantum eſſe modos hujuſce figuræ utiles, quorum exempla profero: BArbArI, AAI: Omnes opulenti vehementer timent ne divitiarum jacturam patiantur: omnes autem qui vehementer timent ne divitiarum jacturam patiantur ſunt infelices: ergo quidam ſunt infelices, qui tamen ſunt opulenti: CAlEntEs, AEE: Omnis ſuperbia eſt peccatum: nullum autem peccatum eſt opus Dei: ergo nullum opus Dei eſt ſuperbia. DIbAtIs IAI: Aliquis homo imperitus eſt verax: omnis autem verax eſt audiendus: ergo aliquis homo audiendus eſt imperitus: FEſpAmO EAO: Nulli milites ſtrenui recuſant ſubire vitæ diſcrimen: omne autem vitæ diſcrimen feminis diſplicet: ergo ali-

aliquid feminis diſplicet, quod milites ſtrenui ſubire non recuſant. FrEsIsOm EIO: Nullus ignavus eſt aptus bello: aliquis autem aptus bello eſt nobilis: ergo aliquis nobilis non eſt ignavus. Adhæc advertendum eſt, quod quum Ariſtoteles, atque poſt eum quam plures alii e figurarum numero hanc quartam exturbarint, ac veluti inutilem contemſerint pro quinque recenſitis modis, qui directe in ea concludunt, quinque alios modos indirectos hiſce artificioſis vocabulis expreſſos primæ figuræ ſubſtituerunt: Baralipton, Celantes Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum; queis adjecti quatuor modi directi novem efficiunt hiſce verſiculis contentos:

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.

Ad ſecundam vero, & tertiam figuram ſequentes attinent:

Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Darapti
Felapton, Diſamis, Datiſi, Brocardo, Feriſon.

Accipe denique modos quartæ figuræ hocce verſiculo comprehenſos:

Barbari, Calentes, Dibatis, Feſpamo, Freſiſom.

Modus porro directus, ſive complexio directa ea vocitatur, cujus attributum idem eſt ac attributum enunciationis demonſtrandæ; ut ſi iſthæc enunciatio evincenda ſit: Omnes opulenti ſunt infelices: Atque in hunc modum in prima figura ſyllogiſmum diſponam. Quicunque vehementer timent ne divitiarum jacturam patiantur ſunt infelices: omnes autem opulenti vehementer timent ne jacturam divitiarum patiantur: ergo omnes opulenti ſunt infelices. Contra ſi eandem enunciationem demonſtraturus ea ratione ſyllogiſmum contexam, ut attributum enunciationis oſtendendæ ſubjectum complexionis evadat, modus indirectus, ſive concluſio indirecta appellabitur, ut ne ab allato exemplo diſcedam, eundem ſyllogiſmum in Barbara conformatum, in Baralipton ita convertam. Omnes opulenti vehementer timent ne divitiarum jacturam patiantur: omnes autem qui vehementer timent ne divitiarum jacturam patiantur ſunt infeli-

lices: ergo quidam ſunt infelices, qui tamen ſunt opulenti. Conſimili, prorſus ratione ſyllogismus in ſecunda figura, Ceſare: Nullum infinitum augeri poteſt: omnis numerus augeri poteſt, ergo nullus numerus eſt infinitus: in modum indirectum Ceſare: ergo nullum infinitum eſt numerus. Idem contingit in modis tertiæ figuræ, ut cognoſcere quiſque per ſe potis eſt: quare non video cur n ;leɛtis ceterarum figurarum modis indirectis, quinque tantum primæ figuræ commemorent. Poſtremo jam patet primam eſſe ceteris figuris anteponendam, quippe quæ ſola omnes concludendi modos contineat, ſcilicet complexionem ajentem, & negantem, particularem ajentem, & negantem: deinde medium in ea ſola ſuo collocatur loco, hoc eſt inter utrumque extremum, & geminum præſtat officium attributi & ſubjecti: præterea ſervatur naturæ ordo; nam attributum complexionis, quia latius medio patet, de illo in propoſitione enunciatur, medium vero ipſum quia latius patet ſubjecto; de illo dicitur in aſſumtione: tandem termini complexionis etiam in præmiſſis, retinent naturam ſuam, ſubjectum quidem ſubjecti, & attributum attributi. Poteſt porro quiſque imperfectus ſyllogismus ad perfectum primæ figuræ revocari, quod qua ratione fiat, vide infra (*a*).

CA-

(a) *Jam vero reductio eſt translatio ſyllogiſmi imperfecti ad perfectum evidentiæ obtinendæ cauſſa. Perfectus nuncupatur ſyllogiſmus, qui propter idoneam medii termini cum extremis connexionem clare & luculenter concludit, cujuſmodi ſunt, uti jam diximus, omnes primæ figuræ. E contrario imperfectus dictitatur ille, cujus complexio non perſpicue ex præmiſſis dimanat, ut omnes reliquarum figurarum ſyllogiſmi ſunt. Ad primam itaque figuram ſunt omnes reducendi, ut perfecti fiant. Scholæ ſubtiliſſimas ea de re tradunt regulas, quas neceſſarias fecerunt Sophiſtæ, quæ nunc nullius fere ſunt uſus. Sed noſſe eas oportet; quia ut ait Seneca de benef.* l. VI. c. 1. „ *Quod diſcere ſupervacuum eſt,* pro-

CAPUT III.

De ſyllogiſmo complexo; & regula generali pro quovis ſyllogiſmo expendendo, num rite concludat: de ſyllogiſmo demonſtrativo, topico, & ſophiſtico; ubi & ſophiſmata in medium afferuntur; deque ratione ſophiſmata diluendi.

Syllogiſmi complexi indoles ac natura enucleatur. JAM ſupra duplex ſyllogiſmi genus ſimplicis nimirum, & complexi indigitavimus: de ſimplici in ſuperiori

prodeſt cognoſcere „. & ep. XXXXVIIII. *de hiſce & ſimilibus loquens „ Non nego, ſcribit, proſpicienda iſta, ſed proſpicienda tantum, & a limine ſalutanda in hoc unum, ne verba nobis dentur, & aliquid eſſe in illis magni ac ſecreti boni judicemus „. Sed quum eodem pacto non omnes revocari ad primam figuram queant, Logici duplicem diſtinguunt reductionem, alteram directam ſive oſtenſivam, & alteram indirectam ſive ad impoſſibile nuncupatam. Reductio oſtenſiva eſt revocatio ſyllogiſmi imperfecti ad aliquem perfectum in prima figura: quæ quidem ſola enunciationum converſione perficitur. Sed advertendum eſt primo, barbaras illas voces, queis ſyllogiſmorum modi deſignantur ab una ex his conſonantibus B, C, D, F incipere. Modus ergo imperfectus ad illum perfectum revocari debet, qui ab eadem littera initium capit; ex. gr. ſyllogiſmus in Baroco revocandus eſt ad Barbara, in Cameſtres ad Celarent &c. Advertendum ſecundo, quatuor alias conſonantes S, P, M, C iiſdem vocalibus adhærentes reperiri, quarum prima S denotat enunciationem ſyllogiſmi, quam vocalis indigitat, quæ præit, convertendam eſſe ſimpliciter. Secunda P ſignificat, enunciationem converti debere per accidens. Tertia M indicat enunciationem eſſe loco movendam ita nimirum ut ex propoſitione aſſumtio fiat, & ex aſſumtione propoſitio. Poſtrema C oſtendit modum ſyllogiſmi, in quo reperitur, reduci non poſſe oſtenſive, ſed tantum per impoſſibile.*

Quæ

riori capite actum eſt: de complexo nunc pauca adnectamus oportet. Syllogismus complexus ille eſt, cujus una præ-

Quæ omnia hocce diſticho contenta habeto:

S vult ſimpliciter verti. P vero per accid.

M vult mutari. C per impoſſibile duci.

Explicemus iſthæc exemplo. CA: Omnis homo eſt vivens: mE: Nullus lapis eſt vivens: ſtrEs: ergo nullus lapis eſt homo. Quoniam igitur modus iſte a C exorditur, ad Celarent ſyllogiſmus eſt revocandus. Quum porro poſt vocalem A, quæ propoſitionem deſignat, occurrat littera M. debet propoſitio tranſponi, ſive loco aſſumtionis accipi, & viciſſim aſſumtio debet propoſitionis locum occupare. Denique quum poſt litteram E, cui quum aſſumtio, tum complexio reſpondet, obveniat littera S, tam aſſumtio, quæ in propoſitionem mutanda eſt, quam complexio converti ſimpliciter debent. hinc ſyllogiſmus in Celarent hic erit: Nullum vivens eſt lapis: omnis autem homo eſt vivens: ergo nullus homo eſt lapis. Haud abſimili ratione de aliis ratiocinator. At quum in Brocardo, & Baroco littera C inſit, per impoſſibile hi duo modo reduci ſolummodo queunt. Reductio igitur indirecta ſive ad impoſſibile fit, quum contradictoria negatæ conſecutionis, loco præmiſſæ uſurpatur, atque cum altera præmiſſarum jam conceſſa ita copulatur, ut contradictoria alterius præmiſſæ jam conceſſæ inferatur: & hac ratione binas contradictorias enunciationes dare cogitur perfrictæ frontis adverſarius ad incitas redactus: hinc ad impoſſibile eſt appellata. Impoſſibile eſt autem, idem eſſe, ac non eſſe. Locum hujuſmodi reductio habet in omnibus modis tum ſecundæ, tum tertiæ figuræ &c., quum univerſim verum ſit: ex contradictorio conſequentis ſequi contradictorium antecedentis, ſi illatio fuerit optima; ſed præcipue ad Baroco, & Brocardo, qui reduci per directam utiliter non poſſunt, attinet. Accipe modum quo fit. Si quis datis præmiſſis, complexionem neget, ex ea contradicens enunciatio eruitur. Porro iſthæc enunciatio, ſi modus ſit Baroco, propoſitionis loco collocatur; ſi ſit Brocardo aſſumtionis; atque inde primæ ſyllogiſmus proficiſcitur, cu-

jus

præmiſſarum eſt propoſitio complexa, & quidem ita diſtributa, ut altera illius pars in minori aſſumatur, altera in concluſione, ut Qui conſpicilla invenit ſub-

ſidium

jus complexio alterutri ex præmiſſis jam conceſſis eſt oppoſita. Quam quidem regulam diſticho comprehenderunt memoriæ cauſſa:

Majorem ſervat, mutatque Baroco minorem.

Majorem mutat, retinetque Brocardo minorem.

Exemplis rem explanemus oportet. Sit ſyllogiſmus in Baroco: Omnis homo eſt rationalis: aliquod animal non eſt rationale: ergo aliquod animal non eſt homo. Negetur complexio: quam per impoſſibile oſtenderis veram eſſe, adeoque concedendam: ret.. a majori, enunciationem contradicentem negatæ complexionis loco minoris aſſume, atque in Barbara ſyllogiſmum confla: Omnis homo eſt rationalis: omne animal eſt homo: ergo omne animal eſt rationale. Cujus quidem complexio, uti per ſe patet, contradictorie opponitur minori jam conceſſæ. Ergo dandum eſt aut ſyllogiſmum illum recte concludere, aut duas contradicentes enunciationes eſſe ſimul veras, quod eſt ad impoſſibile reducere, vel ut latine dicam, urgere incommodo adverſarium.

Poteſt etiam alia ratione complexio negata evinci, dummodo præmiſſas conceſſerit adverſarius; ſcilicet ſi ſyllogiſmus ajens fuerit per iſthæc axiomata ajentia probabitur: Quæ conveniunt uni tertio conveniunt inter ſe. Quicquid univerſaliter aſſirmatur de aliquo, aſſirmari debet de omni, quod ſub illo continetur. ex. gr. ſi quis datis præmiſſis: Omne bonum eſt amandum: atqui virtus eſt bona: complexionem ergo virtus eſt amanda inficiaretur: ſic argumentator: Quæ conveniunt uni tertio conveniunt inter ſe, Tu utramque præmiſſam dando, dediſti virtutem & amandum convenire, adeoque virtutem eſſe amandam. Eodem pacto hæc negantia axiomata ſyllogiſmo inficiali applicantur: Quicquid univerſaliter de aliquo negatur, negari etiam debet de omni, quod ſub illo continetur. Ea quorum unum convenit cum uno tertio, & aliud non convenit, non ſunt unum, & idem inter ſe, ſive inter ſe non conveniunt.

Digitized by Google

ſidium oculorum imbecillitati maximum tulit: atqui Salvinus de Armatis Florentinus defunctus ann. 1317. conſpicilla invenit: ergo Salvinus &c. ſubſidium oculorum imbecillitati maximum tulit. Poteſt autem complexio non ſolum in propoſitionibus, ſed etiam in ipſis terminis ineſſe, ac negotium faceſſere. Quare, ut intricatam rem expediat, Auctor art. cogit. regulas, exemplaque in medium profert, atque ſatius per exempla, quam per regulas id rei explanari enuclearique poſſe contendit. Nonnulla delibamus. Divina lex jubet reges honorari: Ferdinandus IIII. eſt rex: ergo lex divina jubet Ferdinandum IIII. honorari. Syllogismus iſte a nonnullis vitii arceſſitur, quod ſit in ſecunda figura, ac præmiſſas ajentes habeat contra ejuſdem figuræ canones. Sed longe opinione ſua falluntur; nam τὸ reges in majori non eſt attributum, ſed ſubjectum alterius enunciationis implicitæ vel incidentis eſt, quaſi diceretur: Lex divina jubet, quod reges ſint honorandi: & complexio itidem ſenſum hunc efficit: Lex divina jubet, quod Ferdinandus IIII. ſit honorandus. Enucleatis itaque in hunc modum enunciationibus: Lex divina jubet, quod reges ſint honorandi: Ferdinandus porro IIII. eſt rex: ergo lex divina jubet, quod Ferdinandus IIII. ſit honorandus. Ac propoſitio illa: Lex divina jubet, quæ præcipua videbatur, incidens tantum eſt; quia planum eſt, hujuſce argumenti vim in hiſce aliis enunciationibus ſitam eſſe. Reges ſunt honorandi: Ferdinandus IIII. eſt rex: ergo Ferdinandus IIII. eſt honorandus. Eadem de cauſſa ſyllogismus iſte ſecundæ figuræ vitio laborat, qui tamen ad ejuſdem figuræ amuſſim exactus in ſpeciem videtur. Debemus credere Scripturæ: Traditio non eſt Scriptura: ergo non debemus credere Traditioni. Revoca eum ad primam figuram, ut vitium detegas, ut Scriptura eſt credenda: ſed Traditio non eſt Scriptura: ergo Traditio non eſt credenda. Ex aſſumtione enim inficiali in prima figura nihil concluditur. Auctor art. cogit. in hunc modum ad pr. fig. revocat. Credendum Scripturæ eſt: Traditio non eſt Scriptura: ergo cre-

dendum Traditioni non eſt. Sed hac ratione, ut palam eſt, nulla fit terminorum immutatio, ac proinde nec vitium deprehendi poteſt. Præterea quidam ſyllogiſmi ſunt in ſecunda figura ajentes in ſpeciem, & tamen recte concludunt; ut Omnis bonus paſtor paratus eſt, animam ponere pro ovibus: Sunt autem hoc ſæculo pauci paſtores, qui parati ſunt animas ponere pro ovibus: ergo ſunt hoc ſæculo pauci boni paſtores. Valet hic ſyllogiſmus, quia in ſpeciem ejus complexio ajens eſt, re autem ipſa negans. Nam quum aſſumtio ſenſu ſit excluſiva, hanc negantem complectitur; Multi paſtores hoc ſæculo non ſunt parati animas ponere pro ovibus: complexio etiam ad hanc negantem redacitur. Multi hoc ſæculo paſtores non ſunt paſtores boni. Præſtat hoc alio exemplo id magis illuſtrare, in quo omnes tres enunciationes inficiales in ſpeciem videntur, quum re ipſa ajentes ſint. Quicquid non habet partes, interire non poteſt per partium ſolutionem: anima autem noſtra partes non habet: ergo anima noſtra interire non poteſt per partium ſolutionem. Hiſce, aliiſque ejuſdem generis adducti quidam contendunt, non eſſe univerſim verum axioma logicum: Ex meris inficialibus nihil concludi. Sed hi non animadvertunt, aſſumtionem eſſe ſpecie quidem negantem, re autem ipſa ajentem, ut in allato ſyllogiſmo, cujus aſſumtionis ſenſus hic eſt: anima noſtra eſt res, quæ non habet partes; quæ enunciatio ajens eſt, habetque dumtaxat attributum inficiale. Conantur alii ſuadere negantia argumenta concludere; ſed irrito conatu, nam quæ proferunt, ut Titius non eſt rationis particeps: ergo non eſt homo: nullum corpus eſt extenſione deſtitutum: ergo nec etiam aer: enthymemata ſunt, in quibus aliqua enunciatio reticetur, ut in primo propoſitio: Omnis homo eſt rationis particeps: in altero aſſumtio: aer eſt corpus. Deberem huc loci complexi ſyllogiſmi ſpecies, nimirum conditionalis, disjunctivi, & copulativi (ex majori, quæ vel conditionem, vel disjunctionem, vel copulam continet ita dicti), proferre & enucleare, ſed quum ab iis, quæ

de

de ejuſmodi propoſitionibus alibi ſcripſi, tum ab iis quæ huc uſque diſceptavi, qua ratione regantur, cognoſci poteſt: iccirco nihil addendum puto. Huic rei mirificam quoque lucem, quæ mox dicam, adſpergent.

§. II. *Amuſſis, ad quam ſyllogiſmus quiſque eſt exigendus.* Pollent ſyllogiſmi complexi ad ſimplices revocari, atque an recte concludant ea ratione deprehendere: ſed nemo inficias ibit, id nimis longum & prolixum fore; quapropter me operæ pretium facturum reor, ſi poſt acutiſſimum artis cogit. Auctorem part. III. c. X. & XI. regulam heic exhibebo adeo univerſalem, ut queamus ſolo ejus lumine detegere, num aliquis ſyllogiſmus, ſive ſimplex, ſive compoſitus ſit, rite concludat, atque in rectæ ratiocinationis regulas peccet. Iſtiuſmodi regula hæc eſt. Una præmiſſarum ſyllogiſmi complexionem contineat, neceſſum eſt, altera vero patefaciat complexionem in illa contineri. Nam quum complexio, uti me alibi dixiſſe memini, ex præmiſſis profluat, uti effectus ex ſua cauſſa, neceſſarium profecto eſt, ut alterutra præmiſſarum complexionem contineat. Quum porro ex verbis ipſis id patere nequeat (ſecus complexio non foret a præmiſſis diverſa) debet præmiſſarum altera id patefacere. Hinc non inficete illarum una continens, exponens vel applicans altera nuncupatur. In ſyllogiſmis aientibus enunciatio, quæ latius patet, pro continente haberi debet; pro exponente vero, quæ minus patet. At in ſyllogiſmis inficialibus, quum complexio ſit enunciatio negans, neque negatio valeat in affirmatione comprehendi, propoſitio continens eſt præmiſſa negans, quemcumque in illis locum occupet; exponens vero præmiſſa aiens. Ambigo num iſte ſyllogiſmus recte concludat: Evangelium ſalutem ſpondet Chriſtianis: quidam impii ſunt Chriſtiani: ergo evangelium ſalutem ſpondet quibuſdam impiis. Expenſis præmiſſis, palam eſt, complexionem in propoſitione minime contineri; etſi ex aſſumtione in illa contineri videatur. Nam evangelium non omnibus indiſcriminatim Chriſtianis ſalu-

tem promittit, ſed iis dumtaxat, qui Chriſti mandatis morem gerunt, quod non efficiunt impii; quare vitio laborat ſyllogismus. Haud diſſimili ratione peccat: Qui dicit te eſſe animal, verum dicit: ſed qui dicit te eſſe anſerem, dicit te eſſe animal: ergo qui dicit te eſſe anſerem, verum dicit. Ita etiam iſte a b. Auguſtino relatus. Non es, quod ego ſum: ego ſum homo: ergo tu non es homo. Satis eſt dicere complexionem non contineri in prima enunciatione. E contrario rite concludunt iſti: Miſeri ſunt qui cupiditatibus ſerviunt: avari cupiditatibus ſerviunt: ergo avari ſunt miſeri. Officium Chriſtiani eſt, eos non laudare, qui peccant: ſed qui aliena bona ſurripiunt, peccant: ergo officium Chriſtiani eſt, eos non laudare, qui aliena bona ſurripiunt. Complexio in propoſitione continetur, ut aſſumtio commoſtrat. Non eſt ergo neceſſum, ut videam ad quam figuram reduci queat aliquis ſyllogismus, atque exigam illum ad ejuſdem figuræ regulas, ita ut ſi illis conformem deprehendero pro recto, ſi vero illis refragantem, pro inepto habere poſſim: ſed dignoſcere ſolum oportet, num complexio in præmiſſis, quod facile factu eſt, contineatur. (*a*)

III. *Multiplex ſyllogiſmi genus proponitur, ac primum demonſtrativus explicatur*. Ad hæc ſolet etiam ſyllogismus quislibet, ſive ſimplex, ſive compoſitus in apodicticum ſive demonſtrativum, topicum ſive probabilem, & ſophiſticum partiri. Syllogismus demonſtrativus aut demonſtratio eſt evidens probatio, ex

(a) *Cl. Breitingerus eadem ſuper re hanc regulam tradit: Quotieſcunque in ſyllogiſmo ſubjectum concluſionis neceſſario nexu cohæret cum medio termino, & hunc in ſe concludit, & terminus medius in ſe complectitur attributum, ſyllogiſmus optimæ notæ erit. Verum nihil novi docet: quippe quia in ea axiomata recidit, quæ fundamenta artis ſyllogiſticæ eſſe n.* 11. *cap.* 1. *hujus libri ediximus: ſcilicet: Quæ conveniunt cum uno tertio conveniunt inter ſe: Ea quorum unum convenit cum alio tertio, aliud vero non convenit, inter ſe convenire non poſſunt.*

ex qua aliquid efficitur neceſſario; ſive ſyllogiſmus eſt perfectiſſimæ figuræ, cujus præmiſſæ ſunt veræ, primæ & medio carentes, notiores, priores, & cauſſæ; ut omne quod eſt rationis particeps eſt ridendi capax: atqui omnis homo eſt rationis particeps: ergo omnis homo eſt ridendi capax. Prædicatum porro enunciationis apodicticæ dici debet de toto ſubjecto ſuo, & quovis tempore dici; deinde dici debet proprie & per ſe; poſtremo dici debet tanquam æquale ipſi, & reciprocum. Id ſi fiat, enunciatio erit neceſſaria, & ad ſcientiam parandam idonea; ut homo eſt animal rationis particeps. Demonſtratio inſuper vel erit a priori, vel propter quid, uti ſcholæ amant loqui, a Grecis dicta διότι, vel a poſteriori, vel ſcholarum more, quia, vel græce ὅτι: demonſtratio a priori ea nuncupatur, quæ quicquam evincit ex eo, quod prius eſt, id eſt ex cauſſis, principiis, partibus, queis componitur; ut ſi dicam: Quod partes non habet corrumpi nequit: anima autem humana partes non habet: ergo corrumpi nequit. Ut ſit perfecta iſthæc demonſtratio, cauſſa debet eſſe propria & proxima. Demonſtratio a poſteriori ea eſt, quæ aliquid oſtendit ex eo, quod eſt poſterius, id eſt ex effectis, ſignis, & adjunctis, quæ rem ipſam conſequuntur, ut Quod illuſtratur per gradus, orbicæ figuræ eſt: luna illuſtratur per gradus: ergo orbicæ figuræ eſt. Effectus prolatæ demonſtrationis proximus eſt, qui cum ſua cauſſa reciprocatur, ac proinde id generis demonſtratio facile in ſuperiorem convertitur, ſi enunciationis attributum ſubjecti loco ponatur, & loco attributi ſubjectum. Sin autem per effecta remota demonſtretur, hujusmodi demonſtratio in alteram converti nequit, ex. gr. riſus eſt remotus animalis effectus, hinc bene dixerim: Ridet, ergo eſt animal, ſecus vero: eſt animal, ergo ridet. Præterea demonſtratio vel eſt per abſurdum, vel oſtenſiva. Atque prima fit, quum vera, vel falſa ex eo evincitur propoſitio, quod contrarium admitti nequeat, quin aliquod abſurdum & impoſſibile inde ſequatur. Sic Lactantius immortales eſſe animos oſtendit; ſiquidem ſi poſt mortem perirent,

rent, injuſtitiæ arceſſi poſſet Deus, qui ſæpe juſtos in hac vita variis afflictationibus affici ſinit, impios contra proſperitatibus, ſecundiſque rebus gaudere. E contrario demonſtratio, quæ poſitiva vel oſtenſiva audit, eſt quæ attributum aliquod ipſi rei ſive ſubjecto convenire oſtendit, ſimulque modum, rationem, cauſſamque commoſtrat, qua illi convenire debeat; ex. gr. materia eſt dividua, quia eſt extenſa, partes extra partes poſitas habet, in quas partiri queat. Poſtremo demonſtratio directa ea vocitatur, in qua liquido, & immediate ex præmiſſis dimanat complexio: indirecta vero ea eſt, cujus complexio mediate ſolum & remote ex præmiſſis fluit.

IIII. *Syllogiſmus probabilis definitur, ubi topica indicantur, & uſus eorum.* Jam ſyllogismus topicus vel probabilis is eſt, qui rationibus innititur, quæ intellectum haud neceſſario cogunt ad faſces ei ſubmittendas: ut Qui ingentes multoſque libros lectitat, in virum doctum evadet; juvenes vero ſtudioſi multos ingenteſque libros lectitant: ergo in viros doctos evadent. De topicis huc loci agere Scholaſtici Ariſtotelem ſecuti fuſo calamo ſolent. Ariſtoteles octo libris ea explicuit. Topica a græca voce τόπος, locus, dicuntur. Locus igitur communis eſt nota quædam, cujus admonitu, quid in quaque re probabile ſit, inveniri poteſt, ad problemata dialectica conſtituenda, & ſolvenda. Problema vero eſt quæſtio dialectica, quæ a veteribus Peripateticis efferebatur interrogando: duabus partibus conſtat vel expreſſis, vel tacitis; ex. gr. virtus eſt ne colenda an non? ſi nominis originem quæris ex græca voce προβάλλειν, projicere, naſcitur; ſiquidem Dialecticus bipartitam quæſtionem quaſi in medium projiciebat, utram partem ſibi adverſarius dediſſet, ſumturus. Hæc eſt princeps vocis ſententia: nunc vero paullo aliter adhiberi ſolet. Plura congeſſerunt viri quidam docti, ac præſertim Auctor art. cog. part. III. c. XVII. ut de argumentorum inventione doctrinam inutilem evincerent. Sed ſi ſapientes fuiſſent, rem nimis non diduxiſſent. Nonne verum eſt, ejuſmodi locos eſſe veluti fontes, unde ea o-

omnia

mnia dimanant, quæ de quavis re dici queant? Nonne verum eſt, eſſe quædam capita, ad quæ referantur omnia quæ afferri, vel cogitari ad quidvis illuſtrandum poſſint? Quis, quæſo, adeo bardus eſt, ut quidquam magni in ipſis ineſſe arbitretur? Ceterum Tullius vir plane magnus eos non contemſit, imo in opere de Oratore lib. II. quod non juvenis, ſed ætate provectus, & judicio jam maturus conſcripſit, plurimi fecit, & ſummopere commendavit: ejus locum huc exſcribendum cenſui, ut id negotii elegantius explanarem, ac mirifice illuſtrarem „ Si ſit, inquit, is, & doctrina mihi liberaliter inſtitutus, & aliquo jam imbutus uſu, & ſatis acri ingenio eſſe videatur, illic eum rapiam, ubi non ſecluſa aliqua aquula teneatur, ſed unde univerſum flumen irrumpat, qui illi ſedes, & tanquam domicilia omnium argumentorum commonſtret, & ea breviter illuſtret, verbiſque definiat. Quid enim eſt, in quo hæreat, qui viderit, omne quod ſumatur in oratione, aut ad probandum, aut ad refellendum, aut ex ſua ſumi vi atque natura, aut aſſumi foris? Ex ſua vi, quum aut res, (a) quæ ſit, tota quæritur, aut pars ejus, aut vocabulum, quod habeat, aut quidpiam rem illam quod attingat. Extrinſecus autem, quum ea quæ ſunt foris, neque inhærent in rei natura, colliguntur. Si res tota quæritur, definitione univerſa vis explicanda eſt, ſic: Si majeſtas eſt amplitudo ac dignitas civitatis, is eam minuit, qui exercitum hoſtibus Pop. Romani tradidit, non qui eum, qui id feciſſet, Pop. Romani poteſtati tradidit. Sin pars, partitione, hoc modo: Aut Senatui parendum de

(a) *Poſſunt huc referri loci, quos Metaphyſica ſuppeditat: ſcilicet ab idea entis* 1. *Quodlibet eſt, vel non eſt.* 2. *Nihil poteſt ſimul eſſe, & non eſſe.* 3. *Quicquid alicui rei evidenter convenit, revera ei convenit.* 4. *Contra quicquid alicui rei evidenter diſconvenit, revera ei diſconvenit. A veritate, & falſitate.* 1. *Verum non poteſt niſi ex vero ſequi; & ex vero, niſi verum ſequi poteſt.* 2. *Falſum oriri non poteſt niſi ex falſo; & ex falſo falſum ſequi poteſt.*

ſalute Reipublicæ fuit, aut aliud conſilium inſtituendum, aut ſua ſponte faciendum. Aliud conſilium ſuperbum; ſuum arrogans: utendum igitur fuit conſilio ſenatus. Sin ex vocabulo; ut Carbo: Si conſul eſt, qui conſulit patriæ, quid aliud fecit Opimius? Sin ab eo, quod rem attingat, plures ſunt argumentorum ſedes ac loci. Nam & conjuncta quærimus, & genera, & partes generibus ſubjectas, & ſimilitudines, & diſſimilitudines, & contraria, & conſequentia, & conſentanea, & quaſi præcurrentia, & repugnantia: & cauſſas rerum veſtigabimus, & ea quæ ex cauſſis orta ſunt, & majora, paria, & minora quæremus. Ex conjunctis ſic argumenta ducuntur: Si pietati ſumma tribuenda laus eſt, debetis moveri, quum Quinctum Metellum tam pie lugere videatis. Ex genere autem: Si magiſtratus in Pop. Romani poteſtate eſſe debent, quid Norbanum accuſas, cujus tribunatus voluntati paruit civitatis? Ex parte autem ea, quæ eſt ſubjecta generi: Si omnes qui reipublicæ conſulunt, cari nobis eſſe debent: certe in primis Imperatores, quorum conſiliis, virtute, periculis retinemus, & noſtram ſalutem, & imperii dignitatem. Ex ſimilitudine autem: Si feræ partus ſuos diligunt, qua nos in liberos noſtros indulgentia eſſe debemus? At ex diſſimilitudine, Si barbarorum eſt in diem vivere, noſtra conſilia ſempiternum tempus ſpectare debent. Atque utroque genere ſimilitudinis, & diſſimilitudinis exempla ſint ex aliorum factis, aut dictis, aut eventis, & fictæ narrationes ſæpe ponendæ. Jam ex contrario: Si Gracchus nefarie; præclare Opimius. Ex conſequentibus: Si & ferro interfectus ille, & tu inimicus ejus cum gladio cruento comprehenſus in illo ipſo loco, & nemo præter te ibi viſus eſt, & cauſſa nemini, & tu ſemper audax: quid eſt quod de facinore dubitare poſſimus? Ex conſentaneis, & præcurrentibus, & repugnantibus, ut olim Craſſus adoleſcens: Non ſi Opimium defendiſti, Carbo, idcirco iſti te bonum civem putabunt: ſimulaſſe te, & aliud quid quæſiiſſe perſpicuum eſt, quod T. Grac-

chi

thi mortem ſæpe in concionibus deploraſti, quod P. Africani necis ſocius fuiſti, quod eam legem in tribunatu tuliſti, quod ſemper a bonis diſſenſiſti. Ex cauſſis (*a*) autem rerum ſic: Avaritiam ſi tollere vultis, mater ejus eſt tollenda luxuries. Ex iis autem quæ ſunt orta de cauſſis: Si ærarii copiis, & ad belli adjumenta, & ad ornamenta pacis utimur, vectigalibus ſerviamus. Majora autem & minora & paria comparabimus ſic: Ex majore: Si bona exiſtimatio divitiis præſtat, & pecunia tantopere expetitur, quanto gloria magis eſt expetenda? Ex minore ſic: Hic parvæ conſuetudinis cauſſa, hujus mortem fert tam familiariter: Quid ſi ipſe amaſſet? quid mihi hic faciet patri? Ex pari ſic: Eſt ejudem, & eripere contra rempublicam, & largiri pecunias. Foris autem aſſumuntur ea, quæ non ſua vi, ſed extranea ſublevantur; ut hæc: Hoc verum eſt: dixit enim Q. Lutatius. Hoc falſum eſt: habita enim quæſtio eſt. Hoc ſequi neceſſe eſt: recita enim tabulas. De quo genere toto paullo ante dixi. Hæc ut breviſſime

(a) *Axiomata nonnulla ſuper cauſſis, & effectis ex quibus argumenta erui poſſint. 1. Operari ſequitur ad eſſe, & ipſi reſpondet, ſive barbare proportionatur. 2. Cauſſa quæ dat eſſe rei, ſive producit effectum, ſemper eſt prior eadem re, ſive ſemper antecedit effectum; effectus vero ſemper eſt poſterior cauſſa. 3. Cauſſa nobilior nobiliorem, ceteris paribus, effectum producit. 4. Nobilior effectus a nobiliori cauſſa produci debet. 5. Cauſſa cauſſæ eſt cauſſa cauſſati vel effectus, qui ab iſta cauſſa producitur. 6. Nihil poteſt ſeipſum producere, ſive dare ſibi eſſe. 7. A nihilo nihil fit; & ſolius naturæ creatæ viribus ex nihilo nihil fieri, vel in nihilum redigi poteſt. 8. Nemo dat quod non habet. 9. Effectus propria cauſſa nobilior eſſe nequit. 10. Effectus in cauſſa, aliqua ratione contineri debet. 11. Propter quod unumquodque eſt tale, & illud eſt magis tale, ſi tamen ejuſdem qualitatis, aut perfectionis capax eſt; ut nihil calidius calore ipſo eſt; quo cetera caleſiunt: non poteſt autem intelligi de cauſſa efficienti, ſed tantum de materiali. 12. Poſito effectu, poni vel aſſignari & cauſſa debet.*

me dici potuerunt, ita a me dicta ſunt. Ut enim ſi aurum cui, quod eſſet multifariam defoſſum, commonſtrare vellem, ſatis eſſe debet, ſi ſigna & notas oſtenderem locorum, quibus cognitis, ille ſibi ipſe foderet, & id quod vellet, parvo labore, nullo errore inveniret: ſic has ego argumentorum novi notas, quæ illa mihi quærenti demonſtrant, ubi ſint: reliqua cura & cogitatione eruuntur „. Supereſt, ut paucis horumce locorum uſum tironibus commonſtrem, quibus ſæpe hæret aqua in medio termino excogitando, atque accurate apteque verſando. Ac principio expendenda diligenter ſunt ſeorſim ſubjectum enunciationis demonſtrandæ, atque ad ſubjecti genus, ſpeciem, finitionem, cauſſas, effectus, oppoſita, proprietates &c. animus eſt appellendus; excutiendum porro eſt quæſtionis attributum; num ſint proprietates, effectus &c. ex eo dimanantes. Quo peracto, advertendum eſt, an enunciatio probanda ſit ajens, vel negans. Si ajens erit, medium ita quæſtionis terminis intexere oportet, ut inde ſyllogiſmus primæ, vel tertiæ figuræ proficiſcatur. Si vero negans erit in qualibet ex tribus prioribus figuris conflari ſyllogiſmus poterit. En exemplum: Sit quæſtio: Nix inſpecta lædit oculos, eſtque ajens. Expenſo ſubjecto, Nix inſpecta, deprehendo, quod Nix inſpecta vehementer replicet lucem, quod ſit albiſſimi coloris, quod fulgeat. Hinc haſce enunciationes conficere poſſum: Quicquid vehementer replicat lucem, lædit oculos, vel Quicquid eſt albiſſimi coloris, lædit oculos, vel Quicquid fulget, lædit oculos: atqui nix inſpecta replicat lucem &c. ergo nix inſpecta lædit oculos. Si porro quæſtio fuerit enunciatio negans, ut Nix non perſtat æſtate, accepto medio termino ex ſubjecti definitione, quæ erit iſthæc: Nix eſt pluvia frigore & gelu in glaciem conſtricta, ita in prima figura ſyllogiſmus compingi poterit: Pluvia frigore & gelu in glaciem conſtricta non perſtat æſtate: ſed nix eſt pluvia, quæ frigore & gelu conſtricta eſt in glaciem: ergo nix non perſtat æſtate. Conſule Muſchenbroekii caput v. Inſt. Log.

V. *Syl-*

V. *Syllogiſmus ſophiſticus quid, ubi variæ vocum, & rerum fallaciæ exponuntur*. Poſtremo ſyllogiſmus ſophiſticus is eſt, qui ex iis quæ probabilia videntur, ſed non ſunt, conſlatur; vel ex iis, quæ probabilia ſunt, ſed præter regulas ſyllogiſticas compinguntur: is proprie paralogiſmus dici debet. A ſophiſtis, qui eum adhibebant, ſophiſticus eſt appellatus. Sophiſtæ vero, ſi Ciceroni fidem habemus Acad. IIII. c. XXIII. ii dicebantur qui oſtentationis, aut quæſtus cauſſa (a) philoſophabantur. Haud me fugit primitus fuiſſe ſophiſtas nuncupatos omnes, qui ſapientiam profiterentur. Verum poſtea ex Socratis ævo ob inſignem ſophiſtarum ſtultitiam id nominis evileſcere cœpit, darique ſolis pſeudophiloſophis. Eorum characteres expreſſerunt Plato in ſophiſta, Themiſtius orat. IIII. quibus jungendus eſt Heineccius in opuſc. inſcripto: Programma inaugurale de veræ falſæque ſapientiæ characteribus. Secundo eccleſiæ ſæculo & ſequentibus antiquus honor fuit ſophiſtarum nomini reſtitutus. Illi enim hocce nomine donabantur, qui cum philoſophia eloquentiæ ſtudium conjunxiſſent. Argumento ſint Philoſtrati, & Eunapii Vitæ ſophiſtarum. Verum ut eo redeat, unde diſceſſit oratio, Protagoras Abderites, teſtibus Suida, & Diogene Laertio in ejus vita omnium primus fuit, qui ſophiſticis elenchis ad fallendum in diſputatione uſus eſt. Duplicis porro generis ſunt hujuſmodi ſophiſmata, alia vocis, & alia rei. Sophiſmata ſive fallaciæ vocis vel ad unam vocem, ut accentus, figura dictionis, & homonymia; vel ad plures ſimul compoſitas voces, ut amphibolia, compoſitio, & diviſio, pertinet. Accentus fallacia admittitur quum aliqua vox adhibetur, quæ

(a) *Hic remotus ſophiſtarum finis erat: at proximus, ut eos, quibuſcum diſputabant, compellerent ad concedenda pugnantia, falſa, paradoxa, ad admittendum ſolœciſmum, & battologiam, ut ſibi ſcientiæ, & elegantiæ famam conciliarent. Paradoxum, ut hoc vocabulum novum tibi non creet, eſt id, quod repugnat communi opinioni, ſicuti falſum repugnat veritati. Quare poteſt eſſe verum, quamvis non appareat.*

quæ præ diverſa ſyllabæ quantitate plura ſignificat, ut populus, cujus voculæ ſi prima ſyllaba corripitur multitudinem unius civitatis denotat, ſi vero producitur arborem deſignat. Iſthæc autem fallacia frequentius locum apud Græcos, quam Latinos habet, quorum quidem verborum accentu, aut ſpiritu mutato res longe diverſæ deſignantur. Fallacia figuræ dictionis habetur, quum quiſquam ſimili poſitione deceptus, eaſdem affectiones verbis diverſis attribuit; huc ſpectat illud Diogenis Cynici, qui Euclydis dialectici σχολὴν, ſcholam nuncupabat χολὴν, bilem; quippe quia nimis contentioſos auditores ſuos faceret. Homonymiæ fallacia eſt ambiguitas vel ex inſcitia, vel ex neceſſitate, vel ex fraude ejus profecta, qui eodem vocabulo plura deſignat: exemplum exhibet Tullius de fato cap. III. „ Quid enim, inquit, ſi Daphitæ fatum fuit, ex equo cadere, atque ita, perire? Ex hocne equo, qui quumequus non eſſet, nomen habebat alienum„. Daphita fuit e rupe, quæ equus appellabatur, præcipitatus, ut ei per hanc ambiguam vocem Apollo Delphicus prædixerat. Amphibolia eſt fallacia, quæ profluit ex pluribus vocabulis conjunctim acceptis, licet per ſe ſeorſim conſiderata ſint perſpicua; cujuſmodi erant pæne omnia deorum falſorum oracula, quæ in utramque partem accipi poterant; ut illud de Crœſo: Crœſus Halym ſuperans magnam pervertet opum vim. Ambiguum ſane erat, an trajecto Haly flumine, hoſtium an ſuas potius copias perverteret. Compoſitionis fallacia dicitur, quum vocabula nequeunt recte intelligi, niſi divellantur; ut illud Lucæ c. VII. Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt; id eſt cæci vident, quum cæci eſſe deſinunt &c. Fallacia diviſionis admittitur, quum ea disjunguntur, quæ disjungenda non ſunt; hac fallacia peccabat illud Zenonis apud Ariſtotelem Phyſ. l. VII. c. V. quo contendebat ſingula grana milii in terram projecta ſtrepitum edere, quod milii modius uno impetu effuſus ederet: Iſthæc fallacia in ſcholis dicitur, ſenſus diviſi, ſuperior, ſenſus compoſiti. Utraque ludebat filius, qui ruſtico patri ſuadere

conabatur in patinà non tria ova, ſed quinque ineſſe hoc ſyllogiſmo: Ubi ſunt tria ova, ibi & duo ſunt; tria & duo ſunt quinque; ergo hæc tria ova ſunt quinque. Jam ad rerum fallacias gradum facere oportet Ac primum fallacia plurium interrogationum eſt, quum plura ac diverſa quæruntur, quibus ſatisfieri unico reſponſo nequit; v. g. Ariſtoteles eſt ne philoſophus, & philoſophorum princeps? Id genus ſophiſmatis ad Socraticum diſputandi morem, qui interrogationibus variis conficiebatur, præſertim attinebat. Legeſis A. Gell. c. 11. l. XVI. in quo hunc morem diſputandi perbelle deſcribit, atque præ ceteris. Si ita ego, inquit, iſtorum aliquem rogem: Quicquid non perdidiſti habeas ne, an non habeas? poſtulo aut ajas, aut neges. Utcumque breviter reſponderit, capietur. Nam ſi non habere ſe negaverit, quod non perdidit, colligetur oculos eum non habere, quos non perdidit. Sin vero habere ſe dixerit, colligetur eum habere cornua, quæ non perdidit. Rectius igitur cautiuſque ita reſpondebitur: Quicquid habui id habeo, ſi id non perdidi ". Ignorationis elenchi fallacia fit, quum oppugnatur diſputando id quod non eſt in controverſia, ſed aliud quidpiam. In ejuſmodi ſcopulum non modo parum docti, ſed etiam doctiſſimi viri non raro impingunt; Ariſtoteles vir ſane ingenio ſingulari Platonem male mulcat, quod incorporeas rerum ideas a ſubſtantiis omnibus ſegregatas eſſe tradiderit, quum ille alias, quam in divina mente exſiſtentes, non agnoverit. Petitionis principii fallacia admittitur, quum id pro certo aſſumitur, quod in diſquiſitione eſt poſitum; Ariſtoteles hoc vitio laborat, quum in medio Univerſi tellurem ſitam eſſe oſtendit, quod omnia gravia ad Univerſi centrum ferantur, ferantur autem ſimul ad telluris centrum, ideoque telluris & Univerſi centrum unum idemque ſit, ac proinde tellus in Univerſi medio poſita ſit. Nec aliunde commonſtrare Ariſtoteles poteſt, quod gravia ad Univerſi centrum ſe conferant, niſi quod ad telluris centrum ſuo pondere nativo ferantur. Circuli fallacia, quæ parum a principii petitione abludit,

ludit, eſt oſtendere idem per idem; Ita Ariſtoteles ſidera fixa ſcintillare voluit, propterea quod omnium maxime a nobis diſtent; ac viciſſim a tellure maxime diſtare contendit, quod ſcintillent. (*a*) Circulum nos committere abganniunt recentes hæretici, quod eccleſiæ veritatem Sacrarum Litterarum teſtimonio, ac ſacrarum Litterarum divinitatem, teſtimonio eccleſiæ oſtendamus. Verum ab hac labe nos vindicat eruditiſſ. Facciolatus in Acroaſ. VI. de piſtilli verſatione, quae nihil aliud eſt, quam argumentatio ab eodem in idem progrediens, nihilque efficiens; quare circulus ab Ariſtotele dicitur. Conſequentis ſophiſma fit, quum ea conſequi ex antecedente contendimus, quæ nullo pacto conſequuntur; ut vitium eſt, ergo ebrietas eſt. Porro idem vitium admittitur ſi ea conſequi obſtinate pernegamus, quæ re vera conſequuntur; ut ſi quis abneget aliquem exſiſtere, quem cogitantem eſſe jam dedit. Fallacia a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter eſt, quum ab ea re, quæ certo reſpectu vera eſt, argumentum ducitur ad eam, quæ abſolute vera eſt; ut homo morti eſt obnoxius; anima autem ad hominem attinet, ergo etiam anima morti eſt obnoxia. Fallacia accidentis ab antecedenti parum differt, fit quum rei tribuitur per ſe, quod ei ſolum fortuito convenit, ut homo pulcher generat; ergo homo deformis non generat. Non cauſſæ pro cauſſa fallacia eſt habere pro rei cauſſa, quæ illam minime producit. (*b*) ejuſmodi erat ſophiſma Paganorum a Tertulliano, & aliis egregie ſolutum, Chriſtianis objectum: Dum Chriſtianiſmus in mundo fuit mille calamitates orbem romanum oppreſſerunt; ergo Chriſtianiſmus hujuſmodi calamitatum cauſ-

(a) *Circulum ſane admittebat feſtivus ille Clericus, qui jam ætate provectus, interrogatus cur ſacris initiari non ſineret, reſpondebat, velle ſe uxorem ducere; eccur denuo interrogatus uxorem non duceret, reſpondebat, velle ſacris initiari.*

(b) *Huc ſpectat illud vulgatum: Poſt hoc; ergo propter hoc; ideſt accidit poſt hoc; ergo hoc eſt illius cauſſa.*

cauſſa exſtitit. Cauſſam veram cujuſvis rei inquirere oportet. „ Cauſſam igitur monebat Cicero Div. II. c. XXVIII. inveſtigato in re nova, atque admirabili ſi potes; ſi nullam reperias, illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuiſſe ſine cauſſa; eumque errorem, quem tibi rei novitas attulerit, naturæ ratione depellito. Nihil enim fieri ſine cauſſa poteſt „. Hinc fortaſſe hauſit Leibnitius ſuæ rationis ſufficientis celeberrimum axioma. Fallacia argumentationis a veritate relativa ad abſolutam admittitur, quum ex eo quod aliqua ſententia cum aliis collata ſit vero ſimilior, abſolute inferatur veram eſſe. Hinc quamvis detur in Copernicana hypotheſi felicius ſiderum motus explicari, non ſtatim conſequitur ipſam eſſe veram. Aliæ excogitari poſſunt probabiliores, quæ adhuc dum nos fugiunt. Fallacia ratiocinationis a' falſitate unius ad veritatem alterius eſt, quum oſtenditur ſententiam noſtram veram eſſe, quia aliorum opiniones falſas eſſe demonſtravimus. Iſthæc porro argumentandi ratio tum valere poterit, quum opiniones ita ſunt oppoſitæ, ut una luculenter falſa demonſtrata, alteram veram eſſe conſequatur; ut ſi oſtendero humanos animos corporeos ac mortales eſſe non poſſe, inferre rito potero ſpiritales atque immortales eſſe debere. Fallax argumentatio ab uno genere ad aliud, quæ vulgo, Tranſitio de genere in genus nuncupatur, ab illis ſæpe adhibetur, qui plures facultates callent, & diverſa earum axiomata promiſcue uſurpant; hoc peccatum admittunt, qui mathematicas demonſtrationes phyſicis rebus aptant. Contradictionis fallacia dicitur, quum quendam pugnantia loqui contendimus, quum re ipſa pugnantia minime loquatur, quum ſcilicet idem de eodem afferat, ſed non ſecundum eundem reſpectum, vel in eodem ſenſu; hinc Titius eſt parens, Titius eſt filius; eſt parens; quia ſunt ei filii; eſt filius; quia patrem habet. Si plura ea de re cupias adi Facciolati part. V. Inſt. Log. Peripat. Acroaſes, & Art. cogit. part. III. cap. XVIII.

VI. *De ratione ſophiſmata enodandi*. Jam pauca de ſo-

ſophiſtici elenchi ſolutione adnectere oportet. Ac primum accurate diſpiciendum eſt, formane an materia peccet: ſi forma, complexio negetur; ſi vero materia, diſtinguatur propoſitio, & quatenus vera, & quatenus falſa ſit adverſario commonſtretur. Poteſt quandoque ſolutio fucata adhiberi, quum ſcilicet eos homines offendimus, qui non veritatem inquirunt, ſed victoriam, & altercandi mulierum ritu gloriolam. Solutionis vero fucatæ nomine venit reſponſum, quod nodum non ſolvit, ſed eludit. Quod conſici multifariam poteſt. 1. objectionem irridendo; 2. reciprocando & in ipſum adverſarium convertendo: 3. invidiam ei creando; 4. viros magni nominis, noſtræ opinionis defenſores ei ob oculos ponendo: 5. difficultates alias adverſario ſolvendas proponendo; 6. ad alia digrediendo; 7. abſurdum aliquid inde colligendo; 8. poſtremo quovis alio modo objectionis vim declinando. Atque ad 1. quod attinet, quot difficultates nullius ponderis ab ingeniis quibuſdam contentioſis excitari ſolent? in haſce diſſolvendas ſerio incumbere virum gravem ac doctum maximopere dedecet; quare ſatius eſt eas riſu excipere, riſuque repellere. Ad 2. quod ſpectat, fit quum ex. gr. de alicujus hominis forma diſputatur, & adverſarium inducere nequeas, ut eam elegantem, & venuſtam eſſe fateatur, in ipſummet adverſarium ea intorqueas, quæ in illius hominis forma carpit ac ſugillat. (*a*) Ad 3. Quod pertinet concitari invidiam mul-

(*a*) *Poteſt alia ratione reciprocari argumentum; atque in ipſum adverſarium converti, quemadmodum ſe effeciſſe teſtatur s. Hieronymus ep.* LXXXIII. *ad Oceanum, tentatus a viro quodam captioſiſſimo, contendit, clavum clavo trudens epiſcopum Carterium unius uxoris virum dici debere, quamvis præter illam, quacum vivebat, aliam ante baptiſmum habuiſſet. „ Suſtinui, inquit, Romæ a viro eloquentiſſimo cornutum, ut dicitur, ſyllogiſmum, ut quocumque me verterem ſtrictius tenerer. Uxorem, inquit, ducere peccatum eſt, an non? Ego ſimplex, & qui inſidias vitare neſcirem,* dixi

multimodis poſſe Clericus docuit nimirum I. quum ſententia, quam impugnandam aggredimur, non ingenue, & ſua nativa facie, ſed perperam & inique exponitur. II. quum nominibus invidioſis, exoſiſque titulis illa infamatur. III. quum eadem iis confertur, quæ jam ab Eccleſia damnatæ ſunt, quaſi commune aliquid cum illis haberet. IIII. quum pondus controverſiæ augetur, maximique momenti res ipſa fingitur, quamvis in ſe ſit leviſſima. V. quum auctor accuſatur, quod voces, uſu pluriumque auctoritate

 con-

dixi non eſſe peccatum. Rurſum aliud propoſuit. In baptiſmate bona opera dimittuntur, an mala? Et in hoc eadem ſimplicitate reſpondi, peccata dimitti. Quum me ſecurum putarem, cœperunt mihi hinc inde cornua increſcere, & abſconditæ prius acies dilatari. Si, inquit, uxorem ducere non eſt peccatum, baptiſmus autem peccata dimittit, quicquid non dimittitur, reſervatur. Illico mihi, quaſi a fortiſſimo pugile percuſſus eſſem, ante oculos caligo obverſari cœpit; ſtatimque recordatus Chryſippei ſophiſmatis „ ſi te mentiri dicis, idque vere dicis, mentiris „ (a) & in memet reverſus, converti in adverſarium propoſitionis ſtropham. Quæſo, inquam, te ut reſpondeas. Baptiſmus hominem facit novum an non? Vix dedit quod novum faceret, gradatim intuli: ex toto novum facit, an ex parte? Reſpondit ex toto. Deinceps interrogavi: Nihil ergo veteris hominis in baptiſmate reſervatur? Movit caput. Cœpi protinus texere. Si baptiſmus novum hominem facit, & ex toto novum facit, nihilque in eo veteris hominis reſervatur, non poteſt novo imputari, quod in veteri quondam fuit „. Ita s. doctor ne manus daret homini contentioſo, eum perbelle eluſit.

(a) *Hic eſt pſeudomenos ſive mentiens, quo de tot libri, Seneca teſte ep.* XXXXV. *veteres ſcriptitarunt; hic eſt nodus ille, qui mortem Philetæ Coo peperit, ut epigramma ejus monumento inſculptum, & ab Athenæo in Dypnoſoph. l.* VIIII. *c.* XIIII. *relatum tradit: Hoſpes, Philetas ſum. Perdidit me pſeudomenos. Et nocturnum ſtudium ejus cauſſa ſuſceptum. Videſis Facciolatum in Acroaſ.* III. *de Pſeudomeno.*

conſecratas, adhibere noluerit, ut hinc callide dogma rejiceret, quod vocibus illis exponi ab omnibus ſolet. VI. quum oppoſitæ ſententiæ rationes, atque principia malitioſe occultantur, vel ita exponuntur, ut nullius prorſus valoris atque ponderis illæ appareant. VII. quum tacentur incommoda, quibus opinio noſtra premitur, & occultantur incommoda, quibus convelli ipſa poteſt, vel plurimum labefactari. VIII. quum viciſſim ex ſententia, quam oppugnamus, invidioſa conſectaria deducuntur. VIIII. quum non ſolum nulla eorum mentio efficitur, quæ auctorem excuſare poſſunt, verum etiam in malam partem accipiuntur, quæ explicari commode queunt, & ſano ſenſu intelligi. X. quum plura in diſceptatione miſcentur, quæ penitus abs re ſunt, ad creandam tamen invidiam quammaxime conferunt. XI. quum novitas quaſi crimen objicitur. XII. quum contrariam ſententiam paucorum eſſe, & quidem exiguæ famæ oſtenditur; qui vero illi adverſantur, viros eſſe eximios, atque doctrina apprime celebres. XIII. quum ex peritis, idoneiſque judicibus fit provocatio ad iniquos, & imperitos. XIIII. quum denique contrariæ ſententiæ patroni ac fautores, perinde ac ſi perturbatores eſſent publicæ tranquillitatis, apud viros principes infamantur, malignisque ſuſpicionibus exponuntur, quaſi de regnis, de veritate, deque ipſa fide actum plane ſit, ſi eorum doctrina in ſcholis recipiatur,,. Ad 4. quod attinet, ii ad auctoritatem virorum, qui magnam ſibi famam apud omnes pepererunt, confugere ſolent, qui quum ſuam opinionem confirmare rationum momentis nequeant, in auxilium clariſſimorum hominum auctoritates accerſunt, ut ea ratione in auditorum ſuorum animum inducant; quod quidem argumentandi genus non inepte ad verecundiam appellavit Genuenſis. Ad 5. quæ ſpectat, palam eſt non propterea falſa eſſe quæ ille objiciat, quod nequeat, aut neſciat noſtris difficultatibus, quas ei aſtu callido, dataque opera ſolvendas proponimus, ſatisfacere. Huc eſt, argumentandi genus, quod ad hominem appellant, revocan-

eandum, quum videlicet ex alterius ſententiis veris, vel falſis, quas ille tuetur ut veras, noſtram illi perſuadendam ſuſcipimus. Atque illud etiam huc ſpectat, quod ad ignorantiam nuncupari poteſt, quum ſcilicet, adverſarium noſtras rationes, noſtramve opinionem irridentem, ut ſolidiora argumenta proferat, probabilioremque ſententiam excogitet, compellamus. Ad *6.* quod pertinet, nemo eſt qui non videat, eum ad alia digredi, qui nolit, vel qui neſciat recte diſſerere. Ad 7. neminem eorum latet, qui ſcholas Peripateticas vel a limine ſalutarunt, vulgatum illud: Adducere inconveniens non eſt ſolvere argumentum. Ad 8. poſtremo quod ſpectat, huc referri poſſunt illa duo genera ſophiſmatum, quæ ab analogia, & a congruentiis ducuntur. Argumentari ab analogia ſobrie ecaute debemus, ubi autem a phantaſiæ viribus abripi ſinamus, in maximos errores labamur oportet; ut ſummis quoque viris contigiſſe exploratum eſt. Gaſſendus in Phyſ. ſect. II. lib. III. c. VI. ſcribit Keplerum in ea fuiſſe opinione, quod tellus motum ſuum produceret & continuaret muſculis ac fibris non ſecus, ac cetera animantia. Argumentum porro congruentiæ nullius plane ponderis eſt, atque viro docto indignum; verum quandoque ad fucum contentioſis ſciolis faciendum adhiberi poteſt; ejuſmodi ſunt hæc: Adamus 34. annis in paradiſo Eden commoratus eſt; quia ætatis ſuæ 34. anno. Chriſtus extremum diem obivit; in faſtigio montis Calvariæ ſepultus; quia ibidem Chriſtus novus Adamus fuit in tumulo conditus.

ELEMENTORUM
ARTIS RECTE RATIOCINANDI.

LIBER V.

De Methodo.

Quanti ſit momenti ad veritatem feliciter detegendam, & perſpicue explanandam, & ad recte ratiocinandum, quod caput rei logicæ eſt, aptæ methodi uſus; nemo eſt, ut opinor, qui non videat. Nam ut veritatem deprehendamus, & in ejus inveſtigatione rite procedamus, interdum debent communia præcedere & examinari, interdum propria, modo incipere a toto, modo a partibus præſtat; alia prius definire, & dividere alia prius oportet; eſt ubi rationi facem præferat auctoritas, eſtque ubi viam auctoritati ratio ſternat. In quibus omnibus perficiendis methodus rationem docet opportune ſervandam: docet itidem & modum recte cogitata, acute inventa, illuſtri ac mundo perſpicuoque ſermone, qui lumen & decus rebus inventis adjiciat, efferenda. Præterea non ſolum univerſe præcipit, quomodo ſit procedendum in veri inquiſitione, & explicatione; ſed etiam qua ratione meditandum, legendum, ac diſputandum ſit, docet. Poſtremo in ſcientiarum ſtudium, quo ordine, quave ratione incumbendum ſit, commonſtrat. Quæ omnia in hocce libro ediſſeruntur.

CA,

CAPUT I.

De methodi finitione, ac diſtinctione ab ordine, & a reliquis mentis noſtræ operationibus: de materia quæſtionum, & opinionis Sorianæ confutatione; de triplici quæſtionum genere: de methodo analytica, & ſynthetica; ſimplici, & compoſita; ſcholaſtica, mathematica, & miſta, earumque legibus: de meditatione, lectione, & diſputatione rite inſtituenda: de doctoris, ſcriptoriſque muneribus.

I. *Methodi finitio, ac diſtinctio ab ordine, & a reliquis mentis noſtræ operationibus.* De methodo verba facturus, ab ejus finitione exordiar. Methodus itaque eſt ea mentis functio, qua notiones, judicia, ac ratiocinationes diſponimus, ſive ad inveſtigandum & ediſcendum, quod ignotum eſt, ſive ad explicandum, quod eſt compertum & detectum. In eo ab ordine abludit, quod ordo unum poſt aliud addiſcas moneat; methodus vero unum per aliud. Huc loci quærere ſolent ſcholæ, utrum methodus ſit quædam mentis operatio a reliquis diſtincta; atque eorum nonnulli ajunt, ac nonnulli negant; hanc negantium opinionem amplectitur Corſinius Log. part. IIII. c. I. n. III. ut quæ ſibi probabilior videatur, ea potiſſimum ratione ductus, quod facili negotio cum reliquis mentis functionibus confundi poſſit. Verum ſecus ſentio. Atque ſicuti placuit inter notionem, judicium, & ratiocinationem diſcrimen admittere, quamvis & in judicio notiones ſint, & in ratiocinatione judicia; ita etiam ab hiſce differre methodum dicendum eſt, quamvis in rebus ignotis vel inveſtigandis, vel exponendis notiones, judicia, & ratiocinationes præcedant, comitentur, & conſequantur.

II. *De quo quærendum ſit, ubi J. G. de Soria opinio refellitur.* Atqui ſi verum inveſtigare recta methodus docet; moneat in anteceſſum oportet, quæ ſint prætereunda, ne fruſtra in eis diſpiciendis atque

examinandis tempus teratur. Quænam iſta ſint, commonſtraſſe me memini cap. 11. libri 1. At Janus Gualbertus de Soria Rational. Phil. Inſtit. c. 1. part. 11. earum rerum numerum incredibiliter auget, quarum inveſtigatio eſt nobis ſedulo declinanda; contendit enim nos corporis univerſim accepti eſſentiam ignorare, (qua quidem in re ei omnino non refragamur) ſingulorum corporum eſſentias etiam nos latere; fugere itidem, ac potiori jure mentis noſtræ aciem ſubſtantiarum inſenſibium ac ſpiritalium naturas, perceptionum, indolem; præterire nos etiam, utrum quæ notiones ex iiſdem objectis, hominibus aliis advenerint, ſint illis ſimiles, quas nos ex fontibus iiſdem hauſimus, & alia plura quorum enodatio ex recenſitis rebus dimanat. Ac proinde ne operam quis expendendis hiſce ludat, auctor eſt. Verum bona pace tanti viri, quæ ſentio, ut libere promam, veritatis amor compellit. Ac principio adeo rem deducit, ut Scepticiſmum inducere videatur; nam ſi quæ profert eo tendant, ut nos moneat, ne in iis notionibus corporis ac ſpiritus &c. tuto acquieſcamus, quas jam comparavimus vel ſenſuum miniſterio, vel meditationis ope, quaſi adæquate res ipſas nobis exhiberent; ſui laudatores & adſeclas nos quoque habebit; ſi porro eo ſpectant, ut noſtrum injiciat in pectus deſperationem proficiendi in ejuſmodi rerum contemplatione, & ut nos ab hiſce ſtudiis avocet, longe opinione ſua fallitur. Verum hoc alterum adſtruere conatur, ut qui initio §. 1. „ plura ſunt, ſcribit rerum genera, quæ intellectus humani aciem omnem effugiunt, quæque ultra humanæ ſcientiæ limites conſtituta, ac poſita ſunt. Ne quis ergo forte tempus & operam incaute perdat in iis inquirendis, quæ craſſis ſemper circumfuſa & involuta tenebris homines latebunt, opportunum ducimus, paucis heic ea omnia complecti & percenſere, quæ non ignorare non poſſumus „. Præmiſſis hiſce ſuperiora ſubjicit. At niſi ſumma ineſſet de hoccе philoſopho meo animo opinio, eum utpote in phyſica, totaque philoſophica hiſtoria hoſpitem inficete exciperem. Sed in tanta litterarum

luce

luce eum cæcutire videtur. Nam forte eum præterit corporis naturam ex. gr. mirifice fuiſſe a philoſophis potiſſimum recentioribus illuſtratam; quippe qui experimentis, obſervationibus, accuratiſque animadverſionibus deprehenderunt dari nonnulla attributa (quæ vocant nec intenſioni, nec remiſſioni obnoxia), ut extenſio, ſoliditas, inertia, mobilitas, quieſcibilitas, figurabilitas; & alia duo quæ intendi remittique valent, ut gravitas, & attractionis vis; quæ quidem omnia ita ſe habent, ut hactenus corpus nullum ſive magnum, ſive parvum, ſive durum, ſive fluidum inventum fuerit, qpin hiſce attributis præditum ſit? Fugit fortaſſe eum notitia proprietatum corporum, quarum nonnullæ quibuſdam corporibus inſunt, nonnullæ vero abſunt, nonnullæ vero quandoque, nonnullæ vero ſemper; ut eſſe opacum, pellucidum, firmum, fluidum, coloratum, calidum, frigidum, ſapidum, inſipidum, odorum, inodorum, ſonorum, non ſonorum, durum, elaſticum, molle, aſperum, læve cet? Probe novit iſthæc omnia vir plane eruditus. Ergo ſi omnia iſthæc, partim ex integro a recentioribus philoſophis detecta, partim vero clariori in lumine poſita, qua fronte, quave ratione obgannire poterit Janus, ut ea ſtudia declinemus? Non inficior equidem multa eſſe adhuc dum tenebris involuta ſuper corporum ſpirituumque natura: multa aciem noſtræ mentis etiam in poſterum eſſe præteritura: ſed non omnia; ac proinde nequaquam inutilis eſſe poterit earum rerum inveſtigatio, quas ſimul recenſuit, indiſcriminatimque permiſcuit Janus. Vide cap. IIII. n. III. IIII. v. lib. III. horumce Elementorum.

III. *Triplex quæſtionis genus proponitur, ac paucis explicatur*. Vindicata quæſtionum materia ab ineptis memorati philoſophi difficultatibus, oportet jam triplex quæſtionum genus diſtinguere pro triplici, queis conflantur vocabulis, ſubjecto videlicet, copula, & attributo, ac paucis explicare. Prima eſt, quum dato ſubjecto quæratur, num aliquod attributum cum eo conveniat, copularique poſſit; ut quæritur: Quanta

 ſit

ſit diſtantia telluris a luna. Altera eſt, quum dato attributo, quæratur ſubjectum, quocum connecti debeat; ut Quænam ſit æſtus maritimi cauſſa. Tertia eſt, quum datis ſubjecto, & attributo, inquiratur, num iſthæc vocabula tuto copulari queant, ut An corpora omnia ſint ſuapte natura gravia.

IIII. *Analytica, vel ſynthetica methodus eſt; ac leges analyticæ aſſeruntur.* Ejuſmodi porro quæſtiones non unica ſolum ratione ſolvi poſſunt: hinc duplex earum diſceptandarum methodus exoritur (*a*), analytica videlicet, & ſynthetica. Analytica methodus ſive reſolutionis eſt ratio veritatis inveniendæ per reſolutionem compoſitorum in ſimplicia, effectorum in cauſſas: quare methodo iſthac docemur, ab iis, quæ notiora ſunt nobis, ad ea gradum facere, quæ notiora ſunt per ſe, & natura ſua: Synthetica e converſo; ſive compoſitionis procedit ab univerſalibus ad ſingularia, a ſimplicibus ad compoſita, a cauſſis ad effecta, ſive ab iis, quæ ſunt notiora ſuapte natura, ad notiora nobis. Illa ad inveniendum ſatis idonea eſt: hæc ad docendum & explicandum magni eſt uſus. Utriuſque regulas proferre & illuſtrare oportet. Atque ab analytica incipiens, ſit I. Animum tuum excute, utrum ſit ea cognitione præditus, qua ſit in anteceſſum imbutus oportet, ut quæſtioni alicui ſolvendæ par eſſe queat. II. Quæſtionis ſtatum diligenter expendito, atque eum ita definito, ut res a re facile diſcerni poſſit. „ Omnis in quærendo, monuit opportune Cicero de fin. l. II. c. I. quæ via quadam & ratione habetur, oratio, præſcribere primum debet, ut inter quos diſſeritur, conveniat, quid ſit id, de quo diſſeratur „. III. Animadverte, num quæſtio compoſita ſit, atque eam in partes dividito; ſingulaſque accurate examinato.

IIII.

(a) *Alii aliam methodi comminiſcuntur partitionem, in ſimplicem, & compoſitam; ſimplicem dicunt, quæ rem definiendo, Quid ſit, enucleat: compoſitam vero, quæ argumentando, quæſtionem compoſitam, Quale ſit, diſſolvit. Huc illud Ariſtotelis l. I. de Anim. facit: Sermo omnis aut definitio eſt, aut demonſtratio.*

IIII. Ab ea diſceptanda abſtineto, ſi ex iis eſſe deprehenderis, quarum inveſtigatio inutilis, periculi plena, tuique ingenioli viribus impar ſit. V. Animum ad vocabula, queis exprimitur, advertito, atque ſi ambigua, vel obſcura ſint, fac ut tibi nitide explicentur, ne dubio verborum ſenſu, fruſtra divexeris, inque errores abripiaris. VI. Excute ad quod genus quæſtionis, ex iis, quæ ſupra recenſuimus, pertineat, ut ſi ad primum ſpectet, attributum quale ſubjecto dato conveniat, ſi ad ſecundum, quale ſubjectum dato attributo, inquiras; ſi porro ad tertium attineat, inveſtiges, num datum ſubjectum & attributum rite inter ſe copulari poſſint. VII. Ut in eo negotio recte procedas, remque acu tetigere valeas, in auxilium accerſito ratiocinationem, experientiam, aliorumque teſtimonium, quorum ope effectus, cauſſas, attributa, proprietates, qualitates, relationes, analogias detegere poſſis, utque ita quæſtionem propoſitam ſolvere. VIII. In eo examine iſthoc effatum præ oculis habeto: quidquid evidentiſſime cognoveris, ne dubites quin ſit, ſicuti cognoſcatur (a). VIIII. Principia & medias notiones, quibuſcum conferre quæſtionem valeas, inveſtigato horum enim ope, quod prima fronte non probabile videtur, in auditorum animum induces, evidenter commonſtrando relationem, connexionemque inter dubiam notionem, & eas, quæ extra omnem dubitationis aleam ſunt poſitæ. X. Ac ne tibi fucus fiat, eas primum notiones & principia in

(a) *Hoc eſt celeberrimum Carteſianorum axioma; atque in ea Ariſtotelis duo ſumma diſputandi principia reſolvi poſſe contendit Facciolatus: Quidquid eſt, quandiu eſt, neceſſe eſt eſſe; Non poteſt idem eſſe, ac non eſſe. Utriuſque criterium eſt evidentia; criterium porro criterii eſt conſcientia; quia illud mihi evidens revera eſt, quod me plane comprehendere, nec aliter comprehendere poſſe, mihi conſcius ſum. Verum Carteſius illud axioma ex Lucullo apud Cic. Acad.* IIII. *c.* XIIII. *fortaſſe didicit, qui,, Perſpicuitas, ait, ſatis magnam habet vim, ut ipſa per ſe, ea quæ ſint, ita ut ſint, indicet,,.*

in dubium tantiſper revoca, quæ vel tute certa in anteceſſum judicaſti, vel ab aliis tibi pro certis obtrudantur; non eo id examinis ſuſcipitur, ut certa rejiciantur, vel ad dubia & incerta amandentur; ſed ut nihil firmum ratumque habeatur, quin prius examine diligenter fuerit excuſſum, evidenterque comprehenſum. XI. Si poſt accuratum examen haud poteris quidquam enucleate comprehendere, judicium de ea re ſuſpendito; vel dubium, qualis cognitio tua eſt, pronunciato. XII. Aliorum auctoritates ne in eas res cumules, quæ ratiocinio, ſenſum miniſterio, experimentis ſunt diſcutiendæ, & e contrario in iis diſciplinis, in quibus primum locum auctoritas vel divina, vel humana ſibi vindicant, eas proferto. XIII. Hypotheſes adhibere quandoque potes, modo prudenter iis uti ſcias. Hypotheſis nomine huc loci deſignatur fictio quædam probabilis, cujus ope quæſtio ſolvitur. Carteſius, Copernicus, aliique recentes philoſophi in detegendis rerum cauſſis, explicandiſque naturæ phænomenis non ſine fructu eas uſurparunt. At ne iis turpiter abutaris, animum adverte ad ſingula rei attributa, vel phænomena, num hypotheſi recte congruant: ſi recte congruant, obſervato diligenter, num pugnantia hypotheſis complectatur, ex quibus nec probabilis, nec poſſibilis eſſe deprehendatur. Si vero poſſibilem probabilemque eſſe agnoveris, rationibus, argumentis, conjecturiſque prudentibus eam confirmare conator, ut aliis ſuadere valeas: adſeclaſque tuorum inventorum, tuique ingenii admiratores comparare tibi poſſis. (*a*)

V. *Me-*

(a) *J. G. de Soria Rat. Ph. Inſtit. par. ult. c.* 111. *analytica de meth. egregie ſcribit. Cl. hujus ævi philoſophus Chriſtianus Wolfius in Diſcur. prælim. Log. c.* 1111. *methodum veritatis detegendæ, ſcientiæque comparandæ fuſe expoſuit; ſed huc omnia recidunt: Utere vocibus apta definitione explicatis: principia ne admittas niſi plane probata: enunciata omnia fac ex hujuſmodi principiis oriantur: rite recteque demonſtra: in explicando, & demonſtrando, conſequentia ex antecedentibus*

V. *Methodi ſyntheticæ canones proferuntur, & illuſtrantur*. Jam ad methodum ſyntheticam venio, cujus I. lex eſt: Obſcura & ambigua vocabula ſi adhibeas, in anteceſſum enucleato, diſtinguito, ac definito, ne lectori, aut auditori, ut te tuaque intelligant, moram injiciant. In hunc ſcopulum ſæpe impingunt viri docti, quippe qui aliorum ingenia ex ſuis dimetiuntur, nec ſuorum diſcipulorum, vel lectorum imperitiam, imbecillitatemve præ oculis habent. Obſcura porro vocabula non ea ſolum vocito, quæ rancidula atque obſoleta exiſtimantur, ſed etiam ea, quorum notio auditorem, lectoremque lateat. Ambigua vero ea, quæ multiplici ſenſu accipi queunt. II. Ea præmittito quæ lucem dicturis adjiciunt; quare in bono lumine collocato, atque extra omnem dubitationis aleam ponito; ut fidem tuto iis, qui legunt, adhibere valeant. III. Eas enunciationes, diſtinctiones, finitiones præſtabilito, quæ rem verſandam ſpectant: ut illorum vitium declines, qui plura congerunt, ac præmittunt vel non neceſſaria, vel lucem dicendis ac ſubrexendis haud allatura: qua quidem in re peccavit præ ceteris Wolfius tom. III. de jur. nat. cap. II. & alibi, ubi propoſitiones multiplicat, commentaria in eas lucubrat, quæ nulla probatione indigent, ut quæ ſunt per ſe claræ: atque eæ omnes eo ſpectant, ut in lumine collocent rem, quæ paucis explicari verbis enucleate poterat. IIII. Simplices generaleſque propoſitiones, fac ut præeant compoſitas minuſque generales. V. Ex iis recte conſtitutis ac præjactis genuina elicito conſectaria, ea videlicet, quæ re vera in antecedentibus contineantur. Quo quidem in negotio attentio ſumma eſt adhibenda, num ſint ita connexa ut liquido unum ex altero dimanet.

VI. *In ſcholaſticam, & mathematicam dividitur methodus; & ſcholaſtica explanatur*. Proximum eſt, ut celebriorem methodi diviſionem proferam, ac paucis explanem. Partitur porro methodus in ſcholaſticam, & ma-

tibus nota facito: eas dumtaxat hypotheſes ſume, quæ veri viam aperiant: a certis probabilia, & a rebus verba probe diſtingue.

mathematicam ſcholaſtica methodus eſt, qua propoſito quæſtionis ſtatu, rationes, quibus propria auctoris ſententia fulciatur, proferuntur, atque adverſariorum objectiones diluuntur. Ac proinde ejus canones erunt. I. Quæſtionis ſtatum, ſive diſceptationis cardinem enucleate exponere, ut qua de re ſermo ſit, ſtatim lectori, vel auditori innoteſcat. II. Varia auctorum ſuper ea materia in medium placita proferre, ut quid de re eadem viri docti excogitarint, probe noveris, atque hinc anſam arripere tuam ſententiam proponendi. III. Principia & effata certa, de quibus nulla apud doctos diſputatio eſt, ea quæ attente ſunt declinanda, quæque diligenter ſunt advertenda, ut diſceptationis caput acu tangatur, præmittere. Hæc omnia ſcholaſtici, prænotanda, ſive præſuppoſita appellant. IIII. Rationes ac momenta afferre, non verborum ſeſquipedalium copia, non figurarum apparatu, non eloquentiæ ubertate ornata ac depicta, ſed ſimplici, perſpicua, artificiique experti oratione expoſita, ut rationis, argumentique vim nullo labore diſpicere, ac deprehendere valeas. V. Adverſariorum objectiones ſubtexere, ac nitide explicare, & pro virili parte refellere, atque harum ſolutione novum ſuſceptæ cauſſæ lumen aſpergere.

VII. *Mathematica definitur, & partes, quæ eam conſtant, declarantur*. Mathematica vero methodus ea eſt, qua ex præmiſſis definitionibus, poſtulatis & axiomatis quicquam demonſtratur. Eam methodum in ſuis dogmatis tradendis uſurpant Mathematici, qui a definitionibus orſa capiunt; inde ad poſtulata, & axiomata, in matheſi miſta, ad obſervationes, & experientias gradum faciunt; his tandem theoremata, & problemata ſuperſtruunt; ubique vero corollaria, ſcholia, & lemmata, ſi res id poſtularit, adjiciunt. Quid ſit definitio, quotuplex ſit, & quibus legibus regatur, ſatis abunde lib. II, cap. III. n. VIII. dictum eſt. Poſtulatum eſt enunciatio clara & perſpicua petitionem complectens, cui abnuere auditor nequit; uti poſtulo, ut a quovis puncto ad quodvis punctum recta linea ducatur. Axioma, Pronunciatum, ſive

Ef-

Effatum a Cicerone dictum eſt propoſitio adeo evidens & certa, ut ab ea diſſentire nulla ratione poſſit is, qui vocabula, queis exprimitur, recte perceperit; ut Totum majus eſt unaquaque ſui parte; Duæ rectæ lineæ ſpatium non comprehendunt. &c. Ex definitionum, poſtulatorum, & axiomatum comparatione & uſu demonſtratio habetur. e. gr. Quod ex omnibus ſui partibus conſtat, eſt majus unaquaque ſui parte: Totum autem ex omnibus ſui partibus conſtat: ergo totum eſt majus unaquaque ſui parte. Demonſtratio porro omnis mathematica ab antiquis ſcriptoribus dividitur in Problema, & Theorema. Problema eam appellant demonſtrationem, quæ aliquid conſtituere jubet ac docet; ut ſi quis demonſtrare conetur, ſupra recta linea finita poſſe triangulum æquilaterum conſtitui, demonſtratio hujuſmodi problema nuncupabitur; non ſecus atque apud Dialecticos problema dictitatur quæſtio illa, cujus utraque pars contradictionis (ut ſcholæ loquuntur) eſt probabilis, qualis eſt quæſtio hæc: Daturne vacuum an non? Sic etiam quæſtio Mathematicorum qua quicquam conſtrui jubent, cujus contrarium fieri etiam valet, problema vocitatur; & ne ab allato exemplo abeam: poteſt etiam ſupra eadem recta linea triangulum non æquilaterum conſtitui, Iſoſceles videlicet, vel ſcalenum. In eo autem problema mathematicum a dialectico abludit, quod hoc probabili dumtaxat ratione, illud vero firma evidentique demonſtratione confirmari poſſit. Theorema porro nuncupant eam demonſtrationem, quæ affectionem ſolum quandam, proprietatemve unius, vel plurium quantitatum rimatur; ut ſi quis demonſtrare velit, in omni triangulo tres angulos eſſe æquales duobus rectis, ejuſmodi demonſtrationem, theorema appellabunt; quia non jubet, aut docet triangulum, aut quidpiam aliud conſtruere, ſed contemplatur tantummodo hanc trianguli cujuslibet conſtituti affectionem, quod illius anguli duobus rectis æquales ſint. Quare a contemplatione theorema dictitatur. In theoremate porro fieri nequit, ut pars utraque oppoſita vera eſſe queat.

Præ-

Præterea tam problema, quam theorema propoſitionis nomine a mathematicis donata ſunt; quia in utroque quicquam proponitur vel efficiendum, vel demonſtrandum. Ad hæc ad problematum, ac theorematum demonſtrationes advocantur quandoque in auxilium problemata quædam, ac theoremata minus præcipua, vel ex aliena diſciplina excerpta, vel ex iis, quæ antea demonſtrata ſunt, perſpicua, atque problematis vel theorematis præcipuis inſeruntur, ut hæc brevius & facilius demonſtrentur. Lemmata dicuntur; ac definiri poſſunt in hunc modum: Sunt demonſtrationes, ſive conſtructiones illius, quod ad demonſtrationem alicujus theorematis, vel problematis præcipui aſſumuntur, ut demonſtrationes expeditiores brevioreſque evadant. Corollaria, quæ demonſtrationibus ſubnecti ſolent, ſunt conſectaria, quæ ex illis dimanant. Scholia denique ſunt quædam notæ, in quibus obſcura, ac dubia explanantur, ac decernuntur, doctrinatum uſus commonſtrantur, hiſtoria atque inventionum fontes deſcribuntur, atque id generis alia exhibentur (a). Regulas, quibus iſthæc methodus regatur, jam ſupra explicuimus, quum de ſynthetica ſermonem inſtituimus; quare nihil ſupereſt aliud, quam ut media explanemus, quarum ope veritas inveſtigari ſolet, meditationem videlicet, lectionem ſcriptorum alienorum, & diſputationem; in quibus peragendis, expoſita jam methodorum genera, prout rei natura atque indoles poſtulabit, adhibenda ſunt.

VIII. *Quid meditatio, & quomodo inſtituenda ſit.*

Atque ut a meditatione incipiam; primum quid eo no-

(a) *Alia methodi ſpecies, quæ inter ſcholaſticam & mathematicam incedit, quæque utriuſque particeps eſt, nec inficete miſta appellari poteſt. Atque eſt, quæ præjactis definitionibus, atque diſtinctionibus, & aliis, quæ lumen conſequentibus adſpergunt, propoſitionem profert, eamque argumentis firmat, objecta diſjicit, & quandoque corollaria, vel ſcholia ſubtexit. Hanc ſequutus eſt Bertius in Theologia, P. de Turre, & P. Scarella in Phyſicis; eandem & nos in iſthoc opere uſurpavimus.*

nomine deſignetur; ac deinde quæ requirantur, ut recte inſtituatur, patefaciam. Itaque meditatio eſt accurata & critica rei conſideratio, & in omne latus verſatio. Quam quidem eo aggredimur, ut penitius rem quamque introſpiciamus, atque, ut plenam ac diſtinctam effectuum, cauſſarum, attributorum, proprietatum, qualitatum, modorum ejus notitiam nobis comparemus. Methodum analyticam in eo negotio uſurpemus oportet, ſi oleum & operam perdere nolimus, & animo præjudiciis exuto atque ſumme attento meditationem aggrediamur, ſatiſfateque proſequamur opus eſt. De præjudiciis recolenda I. lib. dicta. Ad attentionem porro quod attinet eam excitare debemus I. Sæpe nobiſcum ſerio reputando, veritatis excellentiam, utilitatem, neceſſitatemque, ſcilicet eam eſſe veluti mentis noſtræ ſolem, qua illuminetur, atque exornetur, & ſine qua in tenebris ignorantiæ & obſcuritatis turpiter marceſcit. II. Mentem noſtram ab alienis cogitationibus, & moleſtis occupationibus arcendo, tranquillam pacatamque ſervando. III. Præ oculis vetus illud: Feſtina lente, habendo, id eſt, ſedulo rem verſando, maturoque conſilio; non obiter, ſed diligenter, ita tamen, ut ea probe cognita, ad alias res gradum facere poſſimus. IIII. Litteris conſignando, quæ meditamur; ea ratione omnem mentis aciem ad eam rem convertemus, quam non ſolum fugienti oculo lectitamus, ſed verbis exprimere, & in chartam conjicere curamus. V. Solitarios eſſe ſtudendo; quum ſoli ſumus ſerio in rem incumbere valemus, eamque expendere, ejuſque cauſſas, effecta, relationes, modos animadvertere poſſumus. VI. Silendo; nam non ſolum nos qui animum in rem intellectu difficilem intendimus, ſed etiam ii qui nobiſcum ſunt, taceant oportet; convicium enim & turba quidquam animo reputare prohibent. VII. Horas matutinas in meditatione inſumendo; difficile quippe dictu eſt, quam id temporis rebus accurate examinandis aptum ſit. Equidem ſæpe acu tetigi, probeque intellexi in iis horis, quæ alias vel penitus non perceperam, vel perpe-

ram,

ram, & admodum confuſe. VIII. Mentem diu in rebus contemplandis exercendo; faſtidium enim ac tædium, quod parere nobis meditatio ſolet, exercitatio vel omnino vincit, vel ſaltem minuit, extenuatque. VIIII. Attentionem ultro in meditatione ſummam adhibebimus, ſi præ oculis habebimus facile nos deriſum iri a viris doctis, qui in lucubrationibus noſtris ob attentionis defectum, errores, inſcitas auctorum interpretationes, ridiculas opiniones, leves conjecturas deprehendent. Ac præſertim ſi adverſus illos, quibuſcum bellum nobis eſt, ſcriptitamus, omnem hujuſmodi homines mentis aciem acuent, ut quidquam in libris noſtris offendant, quod carpant, vellicent, ſugillentque.

VIIII. *Quid legendum, cur, & quomodo.* Ad hæc meditationis materia vel experimentum, vel lectio eſſet poteſt: de experimentis rite conficiendis confuſe ſcripta lib. III. c. IIII. n. VI; de lectione vero pauca adnectamus oportet; ſed recolenda, quæ c. VII. lib. laudati protulimus, ſunt diligenter. Ac monitum I. erit: A libris cave, qui bonos mores inficiunt, atque ad vitia proſequenda hortantur. Difficile dictu eſt, quot mala Italis quampluribus ſciolis pravorum librorum aſſidua lectio pepererit! Hi enim comparata ſibi ex compendiolis, & dictionariis, quibus ævum noſtrum ſatis abundat, umbratili ſcientiarum notitia, magna aviditate, incredibilique ſtudio, lucubrationes tranſalpinorum hominum arripiunt, evolvunt, devorantque, perciti vel barbaro auctoris nomine, vel nova libelli inſcriptione, vel ſcita materiæ verſandæ methodo. Verum quum plerumque in ejuſmodi libris, eruditioni impietatis ſemina admiſceantur, ipſique juvenes ſatis acuminis, ac doctrinæ haud habeant, ut errores deprehendere poſſint, incaute eos bibunt, magno animæ, reipublicæque detrimento. Sapientiſſime ſe geſſerunt, Valerio teſte lib. I. c. III. Lacedæmonii, qui Archilochi poetæ libros e ſua civitate exportari juſſerunt, utpote parum verecundos ac pudicos, timentes ne eorum lectio plus liberorum ſuorum moribus noceret, quam inge-

ingeniis exornandis prodeſſet. II. Libros lectita ad augendam ſcientiam tuam idoneos; ſcilicet eos, qui non perfunctorie rem verſent ac per ſumma capita, ſed accurate, exacte, copioſe. Non me latet, adoleſcentes ut plurimum a lectione diuturna ingentium librorum vehementer abhorrere, ac ſcientiarum compendioſis & miſellis inſtitutionibus maximopere oblectari. Sed pro certo habeant ſe imperfectas admodum & mancas ſcientiarum notiones in iis offenſuros, neque horumce librorum lectione in viros vere doctos evaſuros. III. Libellos feſtivos ac jucundos eo evolvito, ut elegantiam, & veritatem una cum honeſta voluptate inde carpas. Hujuſmodi ſunt comœdiæ, tragœdiæ, & alia poematia, libelli eriſtici, ephemerides, & novellæ litterariæ: in harum præſertim lectione mens mira voluptate afficitur, quum ob eventuum varietatem, multiplicemque eruditionem, tum ob ſtili nitorem & feſtivitatem, quo conſcribi plurimum ſolent: equidem quum quandam litterariam ejusmodi hiſtoriam in manus ſumo, eandem ex ejus lectione voluptatem accipio, ac ſi ſcitulam romanenſem fabellam manu verſarem. IIII. Ejus libri, quem legendum ſuſcipis, editionem exactiorem emendatioremque, quoad ejus fieri poſſit, tibi comparato. Non leve ſane incommodum lectori ſtudioſo affert liber mendoſus, atque erroribus undique refertus; & in aſſequenda genuina auctoris mente ſæpe impedimento eſt. Typographos accuratos propterea cognoſcere oportet, ut libros ab eis editos conquiramus; cujusmodi ſunt volumina typis excuſa a Manutiis, Philippo Junta, Stephanis, Wechelis, Jodico, Badio, Seb. & Antonio Gryphiis, Frobeniis, Mammerto Patiſſono, Chriſtophoro Plantino, Franciſco Raphelengio, Elzeviris, Hieronymo Commelino, Jo. Oporino, Gabriele Jolito, aliiſque; quorum quidem editiones magni ducuntur. Inter noſtrates præ ceteris eminent Fratres Simonii, Regius Typographus, Joſephus Raimundus, &c. V. Libros non multos, ſed bonos, ideſt, rebus ſelectis, ordine mirabili, eleganti ſtilo, criticæ luminibus conſcriptos

ut habeas curato; ſecus tempus teres, cerebrum obtundes, memoriam inutili merce onerabis. Nullius pretii libros noveris ex Hiſtoria litteraria, in qua vel non occurrunt, ut qui laude digni minime ſunt, vel male mulcantur; ex dictis virorum doctorum, ex obſcura auctoris fama, quum illum apud alios laudari haud offenderis. In ea re peccant quandoque ii qui nimis eruditi videri amant. Quoſvis libros etiam de trivio arripiunt, evolvuntque; eorum loca, & auctoritates in ſuis porro lucubrationibus afferre non erubeſcunt. In hunc ſcopulum impegit præ ceteris eruditiſs. Hyacinthus Gimma. VI. Selecto libro, eum attente, non perfunctorie, a capite ad calcem percurrito; atque in antecesſum vitæ, doctrinæ, ſectæ, inſtituti, famæque auctoris notitiam conquirito in Hiſtoriis, Novelliſque litterariis. VII. Sæpe tecum ipſe recolito quo tua lectio ſpectet, ut ad ea potiſſimum animum advertas, quapropter librum lectitas. Hinc ſi eloquentiæ comparandæ, philoſophiæ, theologiæ, &c. cauſſa, in iis diutius immoreris locis, ubi de rebus ejuſmodi ſermo erit. VIII. Solida a futilibus, vera a falſis, certa a dubiis accurate ſecernito; atque ubi in frivola, levia, non neceſſaria incideris, ea libenter præterito, ne ad utiliora addiſcenda ſpatium ſurripias. VIIII. Quum locum memoria dignum offenderis, tantiſper conſiſte, non ſemel, ſed pluries lectita, ut penitus animo mandes; prodcit etiam ore proferre, ut citius ediſcas. X. In adverſaria referto, futuris uſibus ſeponito, quæ notatu digniora videbuntur, ne memoria, quæ labilis eſt, ætateque decreſcit, tibi excidant, nulluſque diuturnæ variæque lectionis fructus tibi ſuperſit. Memorabile in ea fuit, uti ſcribit Card. Federicus Borromæus in opuſculo quodam inedito apud Muratorium, Riſleſs. ſopra il Buon Guſto p. II. c. VII. Cæſaris Baronii exemplum, qui vel inſtinctu divino, vel admonitu fortaſſe cujuſpiam, quo primum tempore ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam animum adjecit, notaverat, excerpſeratque multa, & volumen quoddam inconditarum rerum diverſarum ſibi præparat, cujus quotidie creſcente

mo-

mole potuit ditiſſimus, copioſiſſimuſque videri, ſicuti vero erat, apparatus atque ſupellex ejuſmodi veluti pignus eſt futuræ meſſis, & incluſa intra ſinum copia ultro laceſſit animum, ut in legitimam juſtamque ſcriptionem ipſa proferatur. Æqualis Baronii Sirletus fuit, major haud dubie eo, ſi rerum ſcientiam ingeniique acumen ſpectaris: aviditate diſcendi pares erant, multaque Baronius in quotidiano congreſſu a Sirleto didicerat, & in magiſtri prope loco ipſum quidem venerabatur. Sirletus Baronio minor fuit hoc ipſo, quod ea, quæ legiſſet, minime coacervabat, atque pauculis notis librum, quem legerat, adſperſiſſe, & parva idem ad libri calcem deſcripſiſſe contentus, nullam aliam curam adhibuit; & ſicuti memoria pollebat, id ſatis ſibi fore eſt arbitratus. Inde factum eſt, ut quum nullum rerum apparatum haberet Sirletus, nihil etiam ſcriberet. Baronium contra ſupellex illa ingens ad ſcribendum invitavit. Et in vitæ fine venerabilis Sirletus volens utique ſtudiorum ſuorum fructum ad publicam utilitatem exſtare aliquem, admonuit ſuos, poſſe pleraque volumina componi ex iis, quæ paſſim notata reliquerat: eaque colligi, in ordinem adduci, divulgarique mandavit. Sed id poſtea minime factum fuit. XI. Eam methodum in hiſce excerptis rebus diſponendis adhibeto, quæ tibi expeditius faciliuſque rem quæſitam exhibebit. Ratio ipſa cuique dictabit rationem partas opes commode reponendi, res videlicet notatu digniores ſub certos titulos referendas eſſe, & earum indicem ad marginem eſſe appingendum. Notatu, dixi digniores; ne trivialium vulgariumque rerum ſilvam congeras; & libros unde excerpſiſti, diligenter notato cum capite, articulo, ſectione, pagella. Si liber porro tuus erit, neceſſe non eſt locum exſcribere præſertim prolixum. Si vero liber vel codex ms. nec tuus erit, nec obvius, ſed rarus, locus tibi erit etiamſi prolixus omnino exſcribendus. Ne te porro pigrum exſtitiſſe fruſtra pœniteat. Prætetea ſi quum vel tuos, vel aliorum libros percurreris, quidquam tibi in mentem venerit, quod apprime ad rem, qua de ſcribere poſtea

animus eſt, ne te litteris mandare pigeat. Cl. Mazochius ita ſe geſſiſſe teſtatur in conflando ſuo Spicilegio Biblico. Ergo ut inceperam, ſcribit Prolegomenon ſect. 1. ſi quid mihi veniſſet in mentem, quod ab aliis non ante animadverſum reperirem, tum demum (non omiſſo quidem quod agebam, ſed quantum neceſſe, intermiſſo) hæc οὐδὲ πάρεργον paucis expoſita, mandabam ſingulis foliis, invicem a ſe divulſis. Tantumdem & in hoc Gymnaſio Neapolitano feci: quo me ad explanandas Divinas Scripturas juſſa Caroli Regis evocaverunt ab hinc annos prope triginta. Cur in ſingularibus, inquis, foliis illa notabas, ac non potius, uti fit, in codice uno compacto, & hiſce ſcriptitandis deſtinato? Quia non id tunc agebam, ut in Scripturas ex ordine commentarer, verum ut quæ forte in quemlibet locum extudiſſem, ea mihi ne diſſipata perirent; atque ut hæc, quæ nullo ſervato ordine tunc enotaſſem facillime poſtea in ſeriem conſuetam digeri poſſent. Quid enim facilius quam confuſam foliorum ſtruem (modo ſingulorum initio adſcriptum fuerit, ad quemnam Scripturæ librum, quodve caput, capitiſque verſum ea adnotatio pertineat) ordinate diſponere? Quæ commoda ab libro compacto abſunt. Ergo proceſſu temporis, quot ſunt Scripturæ libri, tot fere hujuſmodi foliorum congeries, ſuo quamlibet involucro coopertam, ad manus habebam; in quibus & nova addere & demere quælibet, & reperire olim ſcripta primo acceſſu liceret. Hæc notavi ut ſciatur, qua ratione ſim uſus, ut labor mihi levior evaderet, ſimulque ut a foliis diſſolutis ordo ſeriei ſemper adhibitus perturbationem amoliretur.

X. *Quid diſputatio, quotuplex, & quibus legibus regenda ſit*. Poſtremo de diſputatione loquuturus, cujus ope verum nanciſci ac deprehendere nitimur, primum quid ſit, deinde quotuplex, denique leges, queis regenda ſit, exponemus. Atque ad primum quod attinet, nihil eſt aliud diſputatio, quam impugnatio alicujus opinionis, ut ejus falſitas argumentis oſtendatur; vel dogmatis, ut ejus veritati lux ma-

major accedat; eaque inter binos homines peracta quorum alter patronum agit, alter vero ſtrenuum ejus opinionis, vel dogmatis impugnatorem. Hinc luculenter apparet, non eſſe diſceptationes ejuſmodi inſtituendas vel rixandi, vel eruditionem oſtentandi, vel vanam gloriolam aucupandi gratia, ſed veritatem inveſtigandi ac deprehendendi, vel deprehenſam illuſtrandi uberius, ac validius confirmandi. Duplici porro ratione confici ſolet; vel ſervata exacte differendi methodo, per longam videlicet ſyllogiſmorum & enthymematum catenam; quibus ille qui patronum agit, accurate reſpondere adſtringitur ſingulas enunciationes repetendo, & veras concedere, falſas negare, dubias diſtinguere; idque eſt in forma, ut ajunt, argumentari: vel continua atque ornata oratione objectiones in medium proferendo, minime adhibita illa jejuna ſyllogiſmorum ſerie, cui, qui reſpondet, ſatisfacere cogitur ſingula rationum momenta expendendo, ac diluendo; idque argumentandi genus vulgo academicum audit; quia ſcilicet ea ratione in academia, congreſſibus eruditorum hominum differitur, in quibus ſinguli collegæ, vel academiæ membra, ſuas diſſertationes, diatribas, ſyntagmata & alia id generis lucubrationes recitare ſolent. Utrumque argumentandi morem commemorat Seneca ep. LXXXVIIII. „ Omnis oratio, ſcribens aut continua eſt, aut inter rogantem, & reſpondentem diſtincta: hanc dialecticam, illam rhetoricam placuit appellare „. Latino ſermone in hiſce diſceptationibus utuntur; quippe quod res inter eruditos ac doctos homines agitur: quanquam ſi rei utilitas id poſtulet, vel eorum conditio qui interſint, italicum ſermonem adhibere non dedecet. Et plane ſi Commercium, vel Agricultura, vel ejuſmodi aliud diſputationis materia foret, in omnium etiam latini ſermonis imperitorum commodum diſſerere italica oratione deceret. Eadem ratione permotus Bartholomæus Interius de republica litteraria egregie meritus, in Cathedra quam de Commercio, & Mechanica Neapoli inſtituit, voluit hujuſmodi artes italica lingua doceri. A recepta

vulgo conſuetudine abeundum non eſſe libenter concedo; ſed ſi eorum conditio, qui adſunt, ſecus agendum prudenter dictabit, a conſueto more diſcedere nefas haud eſt. Hinc P. Ricciottius Dominicanus paucis ab hinc annis in gratiam nobilium mulierum Florentinarum theſes quaſdam ex philoſophia depromtas in medium diſputandas italica oratione propoſuit. Quod vero ad tertium ſpectat, primum monita quædam ſubjiciam impugnatori ad amuſſim ſervanda, deinde alia quædam ad defenſorem attinentia. Ac I. Illud diſceptandum tibi ſumito, quod pro dignitate verſare potis eris. Quare ea declinare debes, quæ captum tuæ mentis ſuperant (*a*), (niſi velis ficte & in ſpeciem, vel atheorum, vel hæreticorum partes agere arcana fidei myſteria aggrediendo, ut ex diſceptatione lux iis ſplendidior accedat), vel ea, in quibus aut plane hoſpes eris, aut parum verſatus, ne tibi in diſputatione coram ingenti auditorum turba aqua hæreat, vel obmuteſcere cum dedecore ſummo cogaris. II. Selecta theſi, quam impetendam ſumere animus eſt, primum enucleate eam exponito, & quo ſenſu impugnes. De qua re convenire cum defenſore debes, ne tibi elenchi ignoratio objiciatur, neve Andabatarum more pugnantem auditoribus te deridendum propines. III. Argumenta in medium proferto ſolida, vel ſaltem probabilia, ne ſophiſtæ nota tibi inuratur; neve te non veritatem detegere, ſed gloriolam arguti ingenii comparare tibi velle oſtendas. IIII. Ne a recta argumentandi ratione abeas, id probato, quod negandum jure duxerit defenſor. Nec mediam notionem ſemel ſuſceptam mutato, ne tibi medium jam mutaſſe obganniatur. V. Digreſſiones ad rem minime facientes ſedulo devitato, ne extra chorum canas. Licet quandoque digredi, atque altius rem repetere; ſed ut res probe teneatur, nitide exponatur, luculenterque demonſtretur. At inutilis digreſſio moras trahit, auditores tædio afficit, defenſorem obtundit, diſputatori infamiam parit. VI. In

(a) *Legeſis Facciolati Acroaſim x. de quo quærendum non ſit.*

In diſputando obſcuritatem declinato, ſed perſpicuo, eleganrique, quoad ejus fieri poterit, ſermone loquitor. Id vitii vel ex tarditate & paucitate ingenii diſputantis, vel ex celeritate, & abundantia, qua ſupra res diſceptandas rapitur, vel etiam ex faſtu & ſuperbia, qua ſtilo turgido, ſeſquipedalibus obſoletiſque verbis utitur, dimanare ſolet. Si ergo tardum tibi ingenium eſt, noli id oneris tibi aſſumere, ſed prudenter cauteque declina; neque enim tanta eſt diſputatorum caritas, ut tu, minerva invita, reluctantibuſque viribus diſputare cogaris. Si vero copia & celeritate abripiaris, corrigere atte & moderatione ejuſmodi mentis naturæque fervorem poteris. Si poſtremo ſuperbia laboras, tecum ſerio reputato nihil eſſe, a quo homines univerſi (ne ſuperbos quidem ipſos excipio, qui quum id vitii vehementer ſtomachantur, ipſi admittere non verentur) magis abhorreant, quam a ſuperbiloquentia. Quare ab ea abſtineto, ne quum gloriolam ac plauſum inquiris; vituperationem & infamiam aſſequaris. Ea de re lectitanda eſt politiſſimi Facciolati Acroaſis VII. de obſcurit. in diſputando. VI. Ex ſuperbia etiam profluunt convicia, dicteria, aculeata mordacitas, deriſus, quæ ſæpe uſurpant in diſputando tricones, ut quod rationibus non valeant, conviciis obtinere contendant. Tu, ſi ſapis, id vitii cane pejus & angue abhorreto; virum enim honeſtum, nedum chriſtianum maximopere dedecet.

Jam ad partes defenſoris explicandas gradum facere oportet. Ac I. Si tu in publicum prodire velis, ac diſceptandas theſes vel ex philoſophia, vel ex theologia, vel ex alia quavis diſciplina excerptas proponere: diu in id rei attente incumbito, libros de eadem re agentes, diurna nocturnaque manu verſato, difficultates ac nodos ſedulo expendito, reſponſaque validiora ac ſolidiora inquirito, ac probe addiſcito. II. Vires ingenii tui in anteceſſum diligenter excutito; ac ſi id oneris ferre recuſent, aſſumere tibi noli; ne quum oneri ſuſtinendo impar ſis, indecore ſuccumbere in propatulo cogaris. III. Ingenii viribus excuſſis, at-

que penitiori rei diſceptandæ notitia comparata, in publicum dicta jam die animoſe prodito; ac primum eleganti eruditaque præfatione diſputationi viam ſternito; deinde qui invitandi munere fungitur, argumentaturo primo loco perhonorifice adnuat, ut & brevi verborum apparatu primum veluti proludat, ac tandem argumentis theſim tuam impetere aggrediatur. IIII. Diſputatoris argumentum perhumaniter excipito, brevi elogio afficito, & adamuſſim aſſumito, vel repetito. Quo peracto accurate obſervato, num ſyllogiſmus ſit ad regulas exactus; atque ſi in eas peccare deprehenderis, complexionem inficiari ſummo jure poteris ut quæ in præmiſſis non contineatur, neque cum iis connectatur, quod rectæ ratiocinationis caput eſt. V. Si vero in forma ſyllogiſmus non peccabit; in examine cujuſque enunciationis ſubſiſtito; nam in iis falſitas vel ſaltem ambiguitas latitet neceſſe eſt; ac proinde ſi earum aliquam falſam eſſe diſpicies, abnegabis; ſi vero dubiam ancipitiſque ſententiæ diſtinctionem adhibebis, & ſenſu, quo vera apparebit, dabis, quo contra falſa, negabis. Poteris etiam enunciationem inficiari, ſi quo tendat, non ſatis perſpicies, ut adverſarius ſe ſuamque mentem enucleatius explicare poſſit. VI. Si porro adverſæ partis argumenti vim ac rationem jam probe tenes, tuum eſt ejus vim ac nodum ſolvere, & in id ſedulo incumbere, quum ut ſolidum & grave reſponſum adhibeas, tum ut reſponſi vim rationibus, experimentis, obſervationibus, auctoritatibus (pro materiæ indole ac natura) confirmes atque illuſtres. Non eſt ſane ferendus illorum mos, qui jejune vel negant, vel concedunt, vel diſtinguunt, nullam adjicientes rationem ſui reſponſi. Quod quidem eo ſaltem efficiendum eſt, ut adverſarius reſpiret, & reſumendæ argumentationis tempus ei præſto ſit. Ceterum auditoribus etiam tædio ſunt e contrario quorundam defenſorum copioſa ac prolixa reſponſa, quæ quia ſummo labore addidicerunt in medium proferunt, etſi ad rem minime faciant: qui quidem Cicerones agere non illepide dicuntur. VII.

Cave

Cave, ne quam enunciationem adverſario imprudenter concedas, qua tibi negotium faceſſere queat, atque inimici laqueis, quum eos aſtu declinare negligis, turpiter te irretitum deprehendas. Ceterum beatus Auguſtinus, cumque eo omnes ad unum homines ii, qui veritatem non gloriolam inanem diſputando inquirunt, poſſe temere conceſſa, iterum inficiari arbitrantur. „ Non ſolent, inquit lib. I. contra Acad. n. VIII. al. c. III. concedere illi, quos ad diſputandum non inveniendi veri cupiditas, ſed ingenii puerilis jactantia impellit. Itaque apud me præſertim quum adhuc nutriendi educandique ſitis, non ſolum conceditur, ſed etiam in præceptis habeatis volo, ad ea vos diſcutienda redire oportere, quæ conceſſeritis incautius „. VIII. Si adverſarii argumentum ad incitas te redegerit, atque nulla ad evadendum amplius pateat tibi rima, veritatis amans ingenuus ſi fores, in ejus partes concedere, atque in ejus ſententiam manibus pedibuſque deſcendere deberes: At quum in more ſit poſitum, ut ab ejuſmodi litterario bello defenſor non victus, ſed victor diſcedere debeat, hinc enititor longo verborum apparatu fucum diſputatori facere (*a*). Interim tecum porro adverſarii momenta reputans ſi deprehendes validiora ſolidioraque iis eſſe, quibus tua fulciatur opinio; ne dedecere te ducas victas ei manus dare, mutatoque conſilio eam porro in lucubrationibus tuis ſententiam amplecti, quam vero ſimiliorem eſſe cognoviſti; licet in eo certamine, ut defenſoris perſonam pro more ageres, ab ea abhorrere commonſtraveris. VIIII. Poſtremo, qui defenſori aſſidet, quum ei aquam hærere, vel in argumentis aſſumendis, vel in reſponſis opportunis adhibendis, vel in quavis alia re cæſpitare ſentiet, ſuppetias actutum ei ferat, partes ejus agat, animum addat, atque adverſariorum tela retundat, nullum denique non moveat lapidem, ut ei ſubveniat, atque ab inimico-rum

(a) *Sic agitur, probe novi: Sed non is ego ſum qui id moris probem: eo ſolum iſthæc allevi, ut conſuetudini vulgo receptæ me attemperarem.*

rum laqueis glorioſe eripiat.

XI. *De munere doctoris.* Parta veritas vel viva voce in ſcholis, vel litteris in libris explicari ſolet; quare de doctoribus, & ſcriptoribus ſermonem inſtituere oportet. Ac de ratione docendi loquuturus, ne ea quæ de magiſtris libro 1., & de iis qui loquuntur lib. II. c. II. ſcripſi, quæ doctores etiam ſpectant, huc loci repetam, pauca adjiciam, quæ proprie ad doctores attinent; deinde de ſcriptoribus verba faciam. Ac I. probe ſciat doctor oportet ea, quæ alios docere velit; nam ſi ſcientiam vel artem non calleat, in omnes partes excuſſerit, penituſque cognoverit, diurna meditatione & commentatione familiarem ſibi reddiderit, uno verbo ſuam fecerit, quonam pacto pro dignitate eam auditores ſuos docere potis erit? Si enim in ſaltatione, in cantu, in aliiſque id generis levibus artificiis, nemo ſcite agit, niſi quod agit, ſæpiſſime jam egerit, quanto magis in hoc graviſſimo docendi munere neceſſe eſt, quæcumque tradere avemus, ea prius cogitando verſare & bene addiſcere? II. Nonnullas artes non ſolum penitus cognoſcere, ſed etiam experiri oportet, ut ſatius auditores ſuos docere valeat prudens doctor. Qua de re hiſtoriam admodum jucundam narrat Tullius de Orat. n. 75. Quum Annibal Carthagine expulſus Epheſum ad Antiochum regem veniſſet, invitatus eſt ab hoſpitibus ſuis, ut Phormionem peripateticum audiret. Quod quum ſe non renuere dixiſſet, loquutus eſt copioſus homo aliquot horas de imperatoris officio, & de omni re militari. Ceteri qui illum audierant, vehementer ejus oratione delectati, quæſiere ab Annibale, quidnam ipſe de illo philoſopho judicaret: hic Pœnus libere reſpondiſſe fertur: „ ſe multos deliros ſenes vidiſſe: ſed qui magis, quam Phormio deliraret, vidiſſe neminem „. Neque mehercule injuria. Quid enim arrogantius fieri potuit, quam græcum hominem, qui nunquam hoſtem, aut caſtra viderat, & ne minimam quidem partem ullius publici muneris attigerat, dare præcepta de re militari Annibali, qui tot annos de im-

perio

perio certaverat cum populo romano omnium gentium victore? III. Dilucidis verbis rem explicare debet doctor, ut ab auditoribus ſuis rite intelligi poſſit. Hinc eorum magiſtrorum morem æquo animo ferre nunquam potui, qui quum adoleſcentes nec ſatis acutos, nec ſatis cultos alloquuntur, exquiſitum turgidumque ſermonem uſurpant. Imam popularemque orationem adhibeant, ut ſe eorum ætati, ingenio, imbecillitatique accommodent. Quare vocabula auditoribus incognita luculenter explicent, claras accurataſque rerum finitiones proponant, exemplis opportunis illuſtrent, & ſæpe adoleſcentulos interrogent, an omnia quæ audiverint, probe perceperint. IIII. In docendo prolixas & crebras digreſſiones vitare oportet; licet nihil eorum, quæ ad rei cognitionem neceſſaria ſunt, prætermitti debeat. V. Ad ſingulas doctrinas ingentes auctorum turmas laudare non decet, ne tironum cerebrum obtundatur potius, quam erudiatur; ſelectos tantum & optimos libros pro re nata ſapiens doctor memorabit, ut eos adire & conſulere, quum ipſis facultas erit, auditores queant. VI. Nexum doctrinarum ſervare docentes debent, atque ut eum auditores percipiant, curare ſummopere debent, ne aqua eis hæreat in intelligendis conſequentibus, qui antecedentia vel non rite perceperunt, vel ſaltem quum opus eſt, non animadvertunt. VII. Hinc juvat multum admodum, vel ſibi proprio ingenio, vel ſuo, ut ajunt, marte, illius ſcientiæ aut artis, quam tradendam ſuſcipiat doctor, inſtitutiones conficere; vel ſi per ſe potis non erit eas elucubrare, accuratas perfectas atque omnibus numeris abſolutas ſeligere, atque auditoribus ſuis plane explicare. VIII. Neque omittere debet in iis explanandis monitos auditores ſuos facere, quanam ratione doctrinæ, quæ ad manus ſunt, cum illis quæ in anteceſſum poſitæ atque enucleatæ jam fuerant, cohæreant atque connexæ ſint. VIIII. Se facilem patientemque præbeat doctor tam in audiendis diſcipulorum difficultatibus, quam in eximendis ſcrupulis, qui illis forte ſuboriantur. X. Antiquis nova pru-

prudenter admiſceat, noviſque antiqua, prout rei conditio poſtulet, ſapiens doctor; ubi enim antiquis doctrinis major lux ac ſplendor ex novis accedit; ac novis firmius robur ex antiquis, doctoris eſt utraque ſapienter ac perbelle temperare, atque auditoribus ſuis propinare. Recolenda ſunt etiam dicta n. IIII. hujuſce capitis, quæ huc plane ſpectant.

XII. *De ſcriptoris muneribus*. Poſtremo reliquum eſt, ut pauca adnectamus de ratione veritatis litteris tradendæ, ſive de libris conſcribendis. Accurate & exacte rem perſequi non eſt hujus loci, nec mei inſtituti; præter ea quæ hic & illic ſparſim in hoc opere ac præſertim in lib. III. ubi criticæ artis elementa expoſuimus, & in hoc, quem perficiendum curamus, quædam generalia præcepta ſolum proferemus. Ac I. qui ſcribit, vel hiſtoriam refert, vel diſciplinam proponit, vel auctores explicat, vel aliorum errores refellit; quare apprime calleat ea oportet, quæ muneri ſuo rite obeundo neceſſaria ſunt. II. Hinc ſi ad hiſtoriam conſcribendam animum appellere velit, veram geſtarum rerum notitiam ſibi comparare, ac litteris conſignare ſtudeat, nec ei ex ſuo ingenio quidquam adjicerere, vel demere audeat; ac proinde non ſolum edita volumina evolvere, ſed etiam mss. conſulere, atque ex iis genuinas veraceſque rerum notitias haurire debet. Cicero de Oratore lib. II. hiſtoriæ leges explicans,, Quis neſcit, ſcribit, primam eſſe hiſtoriæ legem nequid falſi dicere audeat? deinde nequid veri non audeat? nequa ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo? nequa ſimultatis? Hæc ſcilicet ſundamenta nota ſunt omnibus. Ipſa autem exædificatio poſita eſt in rebus, & verbis. Rerum ratio ordinem temporum deſiderat, regionum deſcriptionem vult etiam; quoniam in rebus magnis, memoriaque dignis conſilia primum, deinde acta, poſtea eventus exſpectantur, & de conſiliis ſignificari, quid ſcriptor probet, & in rebus geſtis declarari non ſolum, quid actum aut dictum ſit, ſed etiam quomodo; & quum de eventu dicatur, ut cauſſæ explicantur omnes, vel caſus, vel ſapientiæ, vel temeritatis:
hó-

hominumque ipſorum non ſolum res geſtæ, ſed etiam qui fama ac nomine excellant, de cujuſque vita atque natura „. III. Si diſciplinam tradendam ſuſcipit, ea omnia probe ſciat neceſſe eſt, quæ modo n. anteced. monuimus. IIII. Si vero interpretem agit, iis utatur regulis, quas de arte hermeneutica lib. III. dedimus. V. Si denique aliorum errores refutandos ſumit, critices lumina in auxilium advocet, ac ne rectos prætereat fines ſedulo curet. VI. Ne extra chorum canat monitum illud præclarum Plinii junioris ſecum reputet „ In ſumma primum ego ſcriptoris officium exiſtimo, ut titulum ſuum legat, atque identidem interroget ſe, quid cœperit ſcribere „. VII. Partas opes accurate dividere ac perbelle diſponere ſtudeat; ne, quæ præcedere debeant, poſtponat, neve confuſe omnia in unum lectoribus exhibeat: titulum igitur operi ſuo, brevem, ſucci plenum, proprium, non mendacem, non copioſum, non translatum apponat; opus omne in partes, vel libros, libros in capita diſtribuat; atque cuique libro, vel capiti rei ſummam & argumentum præfigat. Hæc omnia ad operis materiam attinent. Ad eloquentiam jam venio. VIII. Vires ſuas diligenter expendat, num potis ſit ea decore eloqui, quæ ex diuturna lectione ac meditatione congeſſit; ſiquidem plures ſunt, qui ad inveniendas res aptum habent ingenium, ad luculenter vero explicandas ineptum. Hinc Tullius Tuſcul. I. c. 3. „ Multi jam eſſe latini libri dicuntur ſcripti inconſiderate ab optimis illis quidem viris, ſed non ſatis eruditis. Fieri autem poteſt ut recte quis ſentiat, & id quod ſentit, polite eloqui non poſſit: ſed mandare quenquam litteris cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis & otio & litteris. Itaque ſuos libros ipſi legunt cum ſuis, nec quiſquam attingit præter eos, qui eandem licentiam ſcribendi ſibi permitti volunt „. Neque idem dicendi genus cuilibet ſcriptioni convenit, ſed pro rei varietate varium eſt. VIIII. Quare Cicero de hiſtorico ſtilo verba

ba faciens in hunc modum eum paucis deſcribit de Orator. lib. 11. „ Verborum autem ratio, & genus orationis fuſum atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens, ſine hac judiciali aſperitate, & ſine ſententiarum forenſium aculeis proſequendum eſt „. X. Oratio docentis pura, perſpicua, propria, elegans, quoad ejus fieri poſſit, patheticis figuris deſtituta ſit oportet; ac proinde in omnibus didacticis lucubrationibus vocabula barbara, obſcura, tranſlata vitanda ſunt, modo neceſſitate compulſus aliquod ejuſmodi verbum uſurpare non adſtringatur. XI. In aliorum libris explicandis quis orationem ferret turgidam, obſcuram, perturbatam? ut ergo lucem auctoribus explanandis adſpergat interpres, non autem ſpiſſiores tenebras offundat, perſpicue loquatur neceſſe eſt. XI. In aliorum erroribus rejiciendis feſtivo dicendi genere uti decet, modo calumnia, dicteria, convicia, ſcommata devitentur. XII. In iis denique ſcriptionum generibus, in quibus narratur, docetur, explicatur, refellitur, ſtilus iis dotibus miſtus quæ rem præ manibus habitam non dedeceant, adhibendus eſt. Qui vero ea de re plura aveat, conſulat Heinecciana Fundamenta ſtili cultioris part. 1. cap. 11.

CAPUT II.

De monitis quibuſdam ad omne ſtudii genus ſpectantibus: de ſtudio Matheſeos, Phyſicæ, Medicinæ, Metaphyſicæ, Ethicæ, Juris Naturæ, Gentium, Civilis, & Canonici, atque omnium ſcientiarum principis Theologiæ; nec non de auctoribus, qui ſingulas, & omnes recenſitarum ſcientiarum partes excoluerunt, illuſtraruntque.

I. *Monita quædam ad omne ſtudii genus attinentia.* Reliquum eſt, ut de ſcientiarum quarundam ſtudio verba faciamus. At monita quædam omne ſtudiorum genus ſpectantia præjaciantur oportet, ut ea præ oculis ſtudioſius quiſque chriſtianus homo habeat, ne oleum & operam ludat. Ac I. princeps ac primus

mus ſtudii ſcopus ſit ope ſcientiarum, penitius Deum, ejuſque infinitas perfectiones cognoſcere; ac veluti gradatim per haſce veritates naturales ad ſupremam falli ac fallere neſciam veritatem pervenire. II. Satius pleniuſque Deum cognoſcens ſtudioſus homo ſe ad eum ſuper omnia diligendum, honore ſummo, laude maxima proſequendum excitare debet, atque ad ejus mandata ſarta tecta habenda. Nam ut ſapientiſſime advertit s. Paulus 1. Cor. IIII. „ Et ſi habuero omnem ſcientiam, caritatem autem non habuero, nihil ſum „. Salomon in juventute ſua arcana ſcientiarum myſteria novit, atque coram Deo & hominibus magni factus; quippe qui intellectus ſcientiæ, cordis caritatem erga Deum ejuſque præcepta adjungeret: verum ubi ſe vitiis perdite mancipavit, gloriam nominis partam turpiter conſpurcavit: „ Dediſti maculam in gloria tua „ Eccli. XXXXVII. Quare huc omnia ſtudia redeant, ut Deum tuum glorifices, verearis, & colas. Nam ſi beatus Apoſtolus monuit: I. Cor. X. „ Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite „ quanto magis ſpiritus noſtri operationes, ut ſtudioſa veritatum naturalium inveſtigatio &c. ſunt Dei cultui & gloriæ devovendæ? III. Laborem in ſtudio exantlandum, tædium ſubeundum æquo animo excipiat ad luenda peccata, atque ad æternum præmium in cœlis ſibi comparandum. IIII. Hinc libros pernicioſos, maledicos, impios in Deum, ac ſanctam Religionem cane pejus & angue abhorreat. V. In ea potiſſimum ſtudia incumbat, in quibus verſatus ſit oportet, ut muneri ſuo probe ac recte obeundo aptus eſſe queat; quapropter Sacerdos theologiæ, Sacrarum Litterarum, ss. Patrum, Hiſtoriarum Eccleſiaſticarum ſtudio ſe dedat; medicus libros artem medendi enucleantes diurna nocturnaque manu verſet; legis peritus leges ejuſque interpretes evolvat. Licet quandoque animi levandi ergo ad aliena digredi, ſed cito eo redeundum, unde diſceſſimus, ne quum aliena conſectamur, propria ignoremus. Legendi ſunt de methodo ſtudendi libelli ab eruditis viris conſcripti,

in quibus monita præclara exhibentur, tum ad rite ſtudendum, tum ad mirifice in ſcientiis proficiendum. Adeundus P. Bernardus Lamius presbyter Oratorianus: Trattenimenti ſopra le ſcienze, Lud. Ant. Muratorius, Buon Guſto; Joannes Mabillonius, De ſtudiis monaſticis, Schola Mabillonica, P. Octavius Imbertius, Metodo di ſtudiare le ſcienze &c. Hi omnes regulas pro quolibet ſtudii genere exhibent; verum ut animæ æternæ quoque ſaluti ſtudium prodeſſe valeat, lectitandus eſt brevis tractatus de methodo chriſtiane ſtudendi, quem ſcripſit cl. Chanteriſmus in Speciminum Moralium tom. I.

II. *Matheſeos diviſio, & recentes ejus illuſtratores indigitantur*. Congerendas huc loci alias præceptiones ſuper ſtudio rite inſtituendo minime duxi, quippe qui eas, ubi de ratione legendi verba feci, exhibuiſſem. Neque de ſingularum ſcientiarum ſtudio heic agendum aggredior, præcipuas attingam, eaſque potiſſimum, quæ in ſcholis doceri ſolent. Atque ut a mathematica diſciplina exordiar, quæ mentem in ratiocinando excolere, perficereque valet, primum quot partes complectatur; deinde quinam ad hæc ei illuſtrandæ egregie operam navarint; poſtremo cui uſui in rebus præſertim phyſicis ſit, commonſtrabo. Atque ad primum quod ſpectat, a Gemino vetuſto geometra & aliis, ut Proclus in commentariis in primum Euclidis librum, tradit, in hunc modum diſciplinæ mathematicæ partiuntur. Quam quidem diviſionem, quoniam diſtincte copioſeque docet, quam late Matheſis pateat, ad verbum ferme ex Proclo ſecundum Franciſci Barocii patricii Veneti interpretationem huc adſcribam. Volunt itaque prædicti auctores ſcientiarum mathematicarum quaſdam in intelligibilibus dumtaxat ab omni materia ſeparatis, quaſdam vero in ſenſilibus, ita ut attingant materiam ſenſibus obnoxiam, verſari. Prioris generis ſtatuunt duas longe primas præcipuaſque ſcientias, Arithmeticam, & Geometriam: (Arithmetica univerſim computandi ſcientia definitur: computatio vero vel per numeros 1, 2, 3 &c. fit, vel per litteras a, b, c &c. quæ nu-

numerum, quantitatemve quamlibet indicant: prior computandi ratio, Arithmetica vulgo appellatur, poſterior vero Arithmetica Specioſa, vel Algebra dictitatur. Geometria vero eſt magnitudinum ſcientia, linearum nempe, ſuperficierum, ac ſolidorum) in poſteriori vero genere conſtituunt ſex, Aſtrologiam, Perſpectivam, Geodæſiam, Canonicam ſive Muſicam, Supputatricem, atque Mechanicam. Aſtrologiam dicunt eſſe eam facultatem, quæ de mundanis edifferit motibus, de corporum cœleſtium magnitudinibus, figuris, & illuminationibus, a terraque diſtantiis, ac de aliis hujuſmodi rebus. Hujus rurſum tres conſtituuntur partes, Gnonomica, quæ in horarum dimenſione, poſitu gnomonum, exercetur: Metheoroſcopica, quæ elevationum differentias, ſiderumque reperit diſtantias, nec non multa alia, & varia aſtrologica perdocet theoremata: & Dioptrica, quæ planetarum, cererarumque ſtellarum diſtantias hujuſcemodi dioptricis dignoſcit inſtrumentis. Perſpectivam ajunt a Geometria gigni, atque uti radiis viſoriis, tanquam lineis, & angulis, qui ex hiſce conſtituuntur oculorum radiis. Dividitur autem in eam, quæ proprio nomine dicitur Perſpectiva, quæ quidem reddit cauſſam earum apparentiarum, quæ aliter, quam ſint, ſeſe nobis offerre ſolent, ob eorum, quæ ſub viſum cadunt, alios ſitus & diſtantias, ut parallelarum coincidentiæ, vel quadratorum, tanquam circulorum, aſpectionis: & in univerſam Specularíam, quæ circa varias multiplices que verſatur refractiones: nec non in eam, quæ Sciographice, hoc eſt umbrarum deſignatrix appellatur, quæ oſtendit, qua ratione fieri poſſit ut ea, quæ in imaginibus apparent, haud inconcinna, vel deformia ob deſignatorum diſtantias, altitudineſque videantur. Geodæſiam appellant eam ſcientiam, quæ res quantas metitur, ut materialium rerum acervos, tanquam conos, & puteos, tanquam cylindros. Quod quidem non aſſequitur intelligibilibus rectis lineis, ut Geometria, ſed ſenſilibus tantum, interdum quidem certioribus quodam pacto, ut radiis ſolaribus,

interdum vero craſſioribus, ut ſpartis, & perpendiculo. Dividitur hæc, ut Geometria, in eam partem, quæ plana, & in eam, quæ ſolida dimetitur. Canonicam ſive Muſicam, vocant eam ſcientiam, quæ apparentes concentuum conſiderat rationes, ſenſuſque ubique utitur adminiculo; & quæ (ut Plato inquit) talis exſiſtit, ut menti aures ipſas præpoſuiſſe videatur. Supputratix eadem apud ipſos eſt, quæ apud nos Arithmetica practica. Hæc enim numeros conſiderat, non ut in intelligibilibus, ſed ut ſunt in ſenſilibus ipſis. Mechanica denique, quæ in cognitione rerum ſenſilium materiæque conjunctarum conſiſtit, apud ipſos multiplex eſt. Quædam enim eſt inſtrumentorum effectrix, quæ ὀργανοποιητικὴ vocatur, eorum, inquam, quæ gerendis ſunt bellis idonea, qualia ſane Archimedes etiam fertur conſtruxiſſe, Syracuſas terra marique obſidentibus reſiſtentia; quædam mirabilium prorſus rerum effectrix, quæ θαυματοποιητικὴ dicitur, quippe quæ alia quidem ſpiritibus maximo cum artificio conſtruit, quemadmodum etiam Cteſibius, atque Heron operantur; alia autem ponderibus, quorum motus quidem inæquilibrium, ſtatus vero æquilibrium eſſe cauſſam cenſendum eſt, ut Timæus etiam determinavit; alia vero nervis, ſpartiſque animatas convolutiones, ac motus imitantibus: quædam eſt æquilibrantium omnino, & eorum, quæ centroponderantia vocantur, cognitio: quædam denique ſphærarum effectrix, quæ σφαιροποιΐα appellatur, ad cœleſtium circumvolutionum imitationem, qualem Archimedes etiam fabricatus eſt: atque ut uno verbo dicam, omnis, quæ materiam movendi vim habet. Hæ igitur ſunt diſciplinæ mathematicæ apud antiquos. Militarem autem artem, eam, inquam, quæ ad inſtruendas coordinandaſque pertinet acies, quam Græci τακτικὴν vocant, unam aliquam ex mathematicis partibus dicendam eſſe non cenſent, ut quidam alii voluerunt, ſed uti eam volunt modo quidem arte Supputandi, ut in enumerandis legionibus; modo vero Geodæſia, ut in dividendis, dimitiendiſque caſtramentationi ſpatiis in campo „. Hiſce pæne omni-

mnibus Matheſeos partibus mirificam lucem adſperſerunt recentes eruditi viri, qui in ea ſcientia illuſtranda augenda perficiendaque nervos omnes intenderunt. Si eorum huc loci nomina ſolum recenſere vellem, infinitus forem. Innumeros Gallia, Germania, Anglia, Italia, hoc, ſæculoque proxime præterito, æterna memoria dignos Mathematicos ediderunt. Quis vel a limine hiſtoriam litterariam ſalutavit, atque ignorat Galilæi, Viviani, Carteſii, Neutoni, Chaleſii, Hiræi, Ozanani, Valliſii, Stevinii, Ricciolii, Clavii, Tacquetii, Erigonii, Arnaldi, Viettæi, Hariotii in Matheſin merita? Conſuli poteſt illuſtrium mathematicorum hominum catalogus, quem cl. Voſſius in tractatu de mathematicis diſciplinis pertexuit. Chriſtianus Wolfius matheſim univerſam pluribus voluminibus illuſtravit; atque difficile dictu eſt, quanto amore ejuſmodi diſciplinam cl. iſte philoſophus proſequeretur, quotque labores in ea adornanda exantlarit! At quid tranſmontanos commemoro? Quot in dies Italia noſtra magnos geometras parit? Nullus plane excurrit annus, quin ex typographicis officinis Neapolitanorum, Romanorum, Florentinorum, Bononienſium, Venetorum &c. in publicam lucem emittantur Elementa, Inſtitutiones, Diſſertationes, Tractatus &c. de mathematica re. Nicolai de Martino, Viti Caravelli, Rogerii Joſephi Boſchovichii, Leonardi Ximeneſii, Antonii Lecchii, Franciſci Jacquierii, Comitis Julii Caroli a Fagnano, Euſtachii Manfredii, Octaviani Cametti, Paulini a s. Joſepho, Joannis Baptiſtæ Caraccioli, aliorumque mathematicæ lucubrationes, in hujuſce perutilis ſcientiæ ſtudioſorum gratiam, publica luce donatæ luculenter oſtendunt, & quanti apud noſtros Italos id generis diſciplina fiat; & quos adire optimæ ſpei adoleſcentes debeant, ut hujuſmodi ſcientiæ elementa addiſcant.

III. *Quot bona ſtudium matheſeos afferat*. Quot porro bona in reliquas ſcientias, atque artes ex Matheſeos cultu, & incremento dimanarint, ii norunt omnes, qui in re litteraria hoſpites non ſunt omni-

no. Atqui ſi id negotii illuſtrium virorum auctoritate extra omnem dubitationis aleam ponere oporteret, nulli mihi labori eſſet, in medium proferre, quum veterum Platonis, Hippocratis, Procli, Quinctiliani, Plutarchi, Origenis, Boethii, s. Thomæ Aquinatis; tum recentium Galilæi, Carteſii, Neutoni, Wolfii, aliorumque plurium teſtimonia, qui hujuſce diſciplinæ utilitates & commoda mirifice commendant: præſtat tamen unum, & alterum audire. Plato de Rep. VII. „ Geometria, ſcribit, ejus, quod eſt ſemper, cognitio eſt. Attollet igitur ad veritatem animum, atque ita ad philoſophandum præparabit cogitationem, ut ad ſupera convertamus, quæ nunc, contra quam decet, ad inferiora dejicimus. Quam maxime igitur præcipiendum eſt, ut qui præclariſſimam hanc habitant civitatem, nullo modo Geometriam ſpernant; nam & quæ præter ipſius propoſitum quodammodo eſſe videntur, haud exigua ſunt: quin etiam ſcimus ad diſciplinas omnes facilius perdiſcendas intereſſe omnino attigeritne Geometriam aliquis, an non „. Hippocrates vero ad Theſſalum filium „ Geometriæ, & Arithmetices cognitioni ſtudium adhibito, mi fili. Neque enim ſolum vitam tuam glorioſam, & ad multa in rebus humanis utilem, verum etiam mentem acutiorem, & longe ſplendidiorem ad fructum eorum omnium, quæ in arte medica uſui ſunt, conſequendum reddet. Quanquam quidem Geometriæ cognitio quum multas & varias formas habeat, & omnia cum demonſtratione ad exitum perducat, tum ad oſſium poſitus, & articulos ſuis ſedibus emotos, tum etiam ad reliquam membrorum compoſitionem, utilis futura eſt &c. „ Quid? nonne ex hujus diſciplinæ ſtudio recte ratiocinandi facilitas conſequitur? nonne ex Matheſi & temporum ratio, & locorum intervalla, & ſiderum diſtantia, ſitus, magnitudo, & militiæ inſtrumenta, & pacis commoda, & maxime rerum naturalium cognitio hauriuntur? nonne ex Matheſi nautica acus, qua nihil excogitari potuit utilius iis, qui per maria univerſa diſcurrunt? nonne ex Matheſi

tot

tot admirabilia inſtrumenta & machinæ, queis & in cœlo, & in tellure plurima naturæ arcana ſunt detecta, enucleata, illuſtrata, promanarunt? Apprime ergo utilis eſt Matheſeos univerſæ notitia.

IIII. *Matheſeos in re phyſica uſus vituperatores, juxta, ac laudatores*. Haud me præterit, non deeſſe quoſdam moroſos homines, qui in tanta litterarum luce contra ingentem doctorum virorum numerum in hanc ſcientiam invehantur, eique bellum indicant, atque extra Phyſices præcipue fines eliminare conentur, ut Gregorius Breſſanus, qui Botii veſtigia premens in Galilæo refellendo, libellum edidit Patavii ann. 1753. ita inſcriptum: „ Il modo di filoſofare introdotto dal Galilei ragguagliato al ſaggio di Platone, e di Ariſtotile „ in quo immortalis memoriæ virum Galilæum veluti turpiter a veritate aberrantem paſſim deridendum propinat. Verum ejuſmodi inficetum libellum refellit Sandonius in quadam epiſtola ad ejus auctorem ſcripta. Quanquam & in eadem opinione conſtitutos eſſe Cœleſtinum Cominalem in opere inſcripto: Anti-Neutonianiſmus, in quo & methodum, & philoſophandi regulas, & opiniones Neutoni rejicienda ſumit; & F. Joſephum Antonium Ferrarium, & D. Camillum Durantem probe ſciam; quorum alter Philoſophiam Peripateticam adverſus veteres, & recentiores præſertim philoſophos propugnavit; alter vero Criterium novorum ſyſtematum philoſophiæ per duodecim demonſtrationes inſtituit. Contra ingens illuſtrium doctorumque philoſophorum recentium multitudo, & a Galilæo excogitatam philoſophandi rationem, & a Carteſio, & Neutono adoptatam, in philoſophia ornanda ac perficienda tenent atque adhibent; quippe quæ aptior præ Scholarum Ariſtotelicarum methodo deprehenſa ſit, tum ad explicanda vulgata naturæ phænomena, tum ad novas in naturæ contemplatione res inveniendas. Conſulendus ea ſuper re eſt P. Jo. de Turre, qui procem. Inſt. Phyſic. triplicem methodum, intelligibilem ſcilicet, veriſimilem, & realem diſtinguit, quo philoſophi in naturæ rebus enucleandis,

pro temporum conſuetudine ac fato uſi ſunt: ſed recentes phyſici realem adhibent, quippe qui experimentis & obſervationibus naturam rerum inveſtigant ac rimantur.

V. *Quid Phyſica, & quot partibus conſtet*. Sed antequam auctores, qui tempeſtate hac noſtra de rebus phyſicis ſumma cum ingenii laude ſcriptitarint, in medium proferam; operæ pretium erit, quid Phyſica ſit, & quot partes complectatur, in anteceſſum indigitare. Phyſicæ nomine naturæ ſcientia exprimitur, ſive illa, quæ in corporum natura atque indole cognoſcenda, ſcilicet in ejus attributis, proprietatibus, affectionibus, ſitu, ordine, conſtitutione, viribus, effectis, horum cauſſis, modis, magnitudinibus, ortu deprehendendis, ac demonſtrandis verſatur. Vulgo in generalem, & particularem dividitur; illa corporis univerſe accepti naturam, ejuſque affectiones expendit: iſthæc vero ſingula corporum genera examinat. Atque ut copioſius explicem, quæ generali in Phyſica pertractantur, I. de principiis corporum, de eſſentia corporis, de extenſione, ejuſque diviſibilitate, &c. agitur. II. Mechanica exponitur, quæ nihil eſt aliud, quam omnis ſcientia motus; ejus quidem partes ſunt Statica, quæ in æquilibrio ſolidorum, & in machinis, & inſtrumentis, queis moveantur, verſatur; Hydroſtatica, quæ in corporum fluidorum æquilibrio; & Hydraulica, quæ in machinis, & inſtrumentis ejuſmodi corpora e loco ad locum transferendi occupatur; Motus pendulorum; Baliſtica quæ projectorum corporum motum verſat; Dinamica, quæ quid corpori ſit eventurum, quum impellatur, decernit; Vires Centrales &c. III. Secundæ corporum affectiones explanantur. Particularis vero Phyſica continet Aſtronomiam, quæ corporum cæleſtium motus, ordinem, magnitudinem &c. contemplatur; Aerologiam, quæ aeris indolem, proprietates, qualitates, effectus, regiones, tempeſtates; Meteorologiam, quæ illa, quæ in ſublimi aeris parte gignuntur, ut nix, pluvia, tonitrua &c. inveſtigat; Geographiam, quæ telluris deſcriptionem, figuram

videlicet, extenſionem, affectiones deſcribit; Anatomiam, quæ admirabilem humani corporis ſtructuram docet; Opticam, quæ de luce; Acuſticam, ſeu Muſurgiam, quæ de ſono loquitur: Zoologiam, quæ de brutis animantibus agit; quæque complectitur Ornitologiam, quæ de volatilibus verba facit; Ictiologiam, quæ de piſcibus ſermonem habet; Tetrapodologiam, quæ de quadrupedibus loquitur; Entomologiam, quæ vermes, ſerpentes, muſcas, culices, & cetera hujuſmodi inſecta animalcula oratione proſequitur; Botanicam, quæ plantarum genera, conſtitutionem, vim &c. explanat; Doctrinam Foſſilium, quæ corpora in terræ viſceribus abdita ſcrutatur; quæque continet Metallurgiam, quæ de metallis ſcribit; Hiſtoriam lapidum, quæ lapidum naturam, indolem, & numerum deſcribit; Mineralogiam, quæ e telluris ſinu eruta corpora illuſtrat; Horologiam, quæ de montium origine, & viciſſitudine verba facit: Hydrographiam, quæ de maribus, fluminibus, & fontibus ſermonem inſtituit. Atque hæ ſunt præcipuæ totius Phyſicæ partes, quam quidem P. de Turre l. c. exiſtimat univerſim partiendam eſſe in Matheſim, Aſtronomiam, & Hiſtoriam Naturalem; quippe qui optime noverit, quam neceſſariæ ſint Phyſicæ recenti illuſtrandæ, atque adeo intelligendæ, Matheſis, & Naturalis Hiſtoria.

VI. *Quinam ad hæc Phyſicæ illuſtrandæ operam ſedulam navarint*. Ad auctores porro quod attinet, qui ad ſcientiam naturæ excolendam, augendam, perficiendamque incubuerunt, innumeri plane ſunt, tum ex tranſalpinis, quum ex noſtratibus. Quorum alii partes quaſdam Phyſicæ illuſtrandas; alii ejuſdem ſcientiæ Inſtitutiones, & Elementa concinnanda ſuſceperunt. Nos vero ne in iis recenſendis, qui vel diſſertationes, vel diatribas, vel tractatus, & alias id generis ſcriptiones ſuper quibuſdam ſcientiæ naturalis partibus, elucubrarunt, immoremur, ad quoſdam commemorandos eorum, qui in uſum juventutis ſtudioſæ Elementa, vel Inſtitutiones ſcri-

ptitarunt, gradum facimus. Hi enim plurimum eos laudant, qui de re aliqua phyſica egerunt; atque ex iis meliora ſelectioraque excerpere ſolent. Atque ut Carteſianos Ed. Purchotium, Jacobum Rohaultium, Petrum Silvanum Regiſium, &c. mittam, Chriſtianus Wolfius, Joannes Keillius, Gulielmus Jac. Graveſandius, Petrus Maſſchembroekius Elementa Phyſicæ adornarunt, quæ omnium manibus teruntur. PP. Joſephus Zanchius, & Joſephus Khellius Phyſicas Inſtitutiones etiam typis conſignarunt. D. Maſſuetius, Elementa recentioris Philoſophiæ, & Marchioniſſa Chaſtelleta, Inſtitutiones Philoſophicas (in quibus Phyſica docte verſatur), D. Deſaguliersſius, Curſum Phyſicæ experimentalis, & D. Nolletus, Lectiones Phyſicæ experimentalis, Hartſœkerius, Curſum Phyſicæ, D. Segorgnius, Inſtitutiones Neutonianas gallice conſcripſerunt, quæ omnia in Italicum ſermonem ſunt verſa. Ex noſtris vero Italis philoſophis præter breviores Corſinii, Thumiggii, Jacquierii, Alterii, &c. copioſas Phyſicæ Inſtitutiones habuimus a P. Fortunato a Brixia, a P. Joanne Baptiſta Scarella, & a P. D. Joanne Maria de Turre, qui primum eas anno 1749. italice edidit inſcriptas: Scienza della Natura, deinde latine anno 1753. concinnavit. Quod quidem opus, ut quidam ſcioli ſolent, ne, inſolenti rerum domeſticarum faſtidio parvi pendant, noſtrates monitos volo; quippe quia nihil in eo deſiderari poteſt, quod ad adoleſcentes in rebus phyſicis inſtituendos ſit neceſſarium.

VII. *Medicinæ ſtudium, ac de re medica ſcriptores.* Medicina porro, quæ veluti phyſica practica eſt habenda, huc ſuum ſibi vindicat locum. Humana corpora infirmitate laborantia ſanitati reſtituere adlaborat; quæ oportet, ut morborum cauſſas rimetur, & corporis humani ſtructuram, & conſtitutionem ſcrutetur, & remedia deprehendat, & indigitet, queis, morbis occurrere valeamus. Quam ſit neceſſarium Phyſicæ univerſæ ſtudium, ac præſertim Mechanicæ Medico cuique, vel ex eo patet, quod corpus humanum, quum ſolidis, ac fluidis partibus

con-

conſtet, iis Mechanicæ legibus obnoxium eſſe debet, quibus cetera corpora ſolida, vel fluida regantur. Legatur opus Jani Claudii Hadriani Helvetii inſcriptum: Principia Phyſica medica in tironum medicinæ gratiam conſcripta, editum Francofurti 1754. nec non Jacobi Keilii Tentamina Medico-Phyſica evolvantur. Huc etiam ſpectat Petri Penſæ Syſtema Medico-Mechanicum, quo febris natura, circuitiones, ſigna, pars affecta, cauſſæ &c. mechanice proponuntur, ac demonſtrantur, vulgatum Neap. 1749. Quod porro attinet ad anatomen corporis humani, juvenes Compendium Anatomicum totam rem Anatomicam complectens Laurentii Heiſterii, & Inſtitutiones chirurgicas Neapoli recuſas ann. 1749. lectitare poſſunt. Mitto Boerhaavios, Hallerios, Van-Swietenios, Baglivos, Cyrillos, Ethmulleros, Hoffmannos, Morgagnios, Vallisnerios, alioſque innumeros, qui ætate hac noſtra medicinam illuſtrarunt, auxerunt, perfeceruntque; quos quidem paulo provectiores facti adire poſſunt tirones, & diurna, nocturnaque manu immortales eorum lucubrationes de re medica verſare, ut inde penitiori ſcientiæ hujuſce notitia hauſta humani corporis ægrotationibus obſiſtere queant, & in priſtinam ſanitatem reſtituere. Conſulendus Boerhaavius, de methodo ſtudendi medicinæ.

VIII. *Metaphyſicæ partes, & cultores.* Ad Metaphyſicam, quæ plerumque Phyſicam conſequitur, venio. Ea eſt ſcientia principiorum genericorum, cauſſarum, relationum, proprietatum rerum omnium æternarum, factarum, poſſibilium, nec non ſpirituum ac potiſſimum animæ humanæ, ejuſque ſummi opificis Dei. In quatuor partes vulgo tribuitur. Quarum prima de origine, ordine, relationibus &c. hujus rerum univerſitatis, & Coſmogonia, vel Coſmoſophia vocitatur; qua de re conſulendi ſunt Genuenſis in diſſerr. de rer. corp. orig. & conſtitut. & in Meditationibus Italice conſcriptis, & Hiſtorici Angli in tom. 1. aliique plures apud hoſce laudati. Altera de Ente univerſim, ejuſque proprietatibus, ac generibus loquitur, & Ontologia nuncupatur: quo de negotio egre-

egregie, acuteque Scholaſtici philoſophi ſcribunt. Tertia de ſpiritibus univerſe, ac præcipue de anima humana, ejuſque affectionibus verba facit, diciturque Pneumatologia, ſeu Pſycheſophia. Ea ſuper re lectitandi ſunt Petrus Ubaldinus, Iſidorus Bacchettius, Januarius Sancheſius, Adamas Fuginellius, qui copioſe, atque accurate hanc Metaphyſiæ partem illuſtravit in opere: Principia Metaphyſices &c. Quarta denique Dei naturam, attributa, cultumque naturalis luminis ductu ſcrutatur, appellaturque Theoſophia, vel Theologia Naturalis. Videſis Fenelonium, Moniliam, Auctorem libri: Il Gentiluomo Iſtruito, alioſque. Qui porro Metaphyſicam univerſam verſandam ſuſceperunt plures ſunt. Chriſtianus Wolfius hanc materiam prolixe, & luculenter pertractavit. Antonius Genuenſis copioſam Metaphyſicam dedit, qua magnam ſibi famam per totam Italiam conciliavit. Breviores Metaphyſicæ Inſtitutiones elucubraſſe conſtat Joannem Sperlettæum philoſophum Magdeburgenſem, Jaſzlinſzkium, Corſinium, P. Fort. a Brixia, Jacquierium, Leonardum Vitula, Al. Ant. Vernejum, Comitem Ludovicum Barberium, Alterium, alioſque.

VIIII. *Ethicæ ſtudium, & ea de re libri in lucem editi*. Ad eam tandem philoſophiæ partem gradum faciam, quæ ordine poſtrema eſt; dignitate vero, atque utilitate prima. Eſtque ea, quæ ad honeſtatem mores hominis conformat: duplex eſt generalis, & particularis: illa hominis officia univerſim tradit, virtutis amorem, vitiique odium ingerit: iſthæc diverſa hominum munera, conditiones, ac ſtatus ſigillatim expendit. Apud veteres philoſophos in ſummo erat honore hæc philoſophiæ pars, totiſque animi viribus colebatur. Teſtes ſunt etiam locupletiſſimi illi pauci veterum philoſophorum Socratis, Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Senecæ, Epiteſti &c. libelli ea ſuper re conſcripti, qui adhuc ſuperſunt. Atque apud nos Chriſti Servatoris aſſeclas, licet Moralis Theologia ea ſit, quæ moribus hominum leges decernat ac regulas, non eſt prorſus inutile E-

thicæ

thicæ ſtudium; quippe quæ doceat, quænam ea ſint, quæ honeſta, æqua, & laude digna duci debeant: contra quæ inhoneſta, & iniqua ſuapte natura ſint. Hinc mirum non eſt, tot Chriſtianos philoſophos huic diſciplinæ illuſtrandæ operam ſedulo novaſſe. quorum nonnullos commemorare huc loci penſi mei eſſe puto. Atque iis omnibus miſſis, qui totius philoſophiæ curriculum percurrentes, Ethicas Inſtitutiones quoque elucubrarunt, ut Purchotius, Corſinius, Jacquierius, Ferrarius &c., quamplures exſtitere, qui ſeorſim ea de re volumina congeſſere. Ant. Genuenſis Metaphyſicæ Ethicam adjecit, quemadmodum Heineccius Ethices Elementa Logicæ ſive Rationali Philoſophiæ ſubtexuit. Lud. Ant. Muratorius Philoſophiam Moralem italica oratione vulgavit ann. 1735. pluries recuſam. D. Maupertuiſius Berolini edidit ann. 1749. opus ita inſcriptum: Eſſai de Philoſophie Morale, ſive ſpecimen Philoſophiæ Moralis, quod magnum inter quamplures Italos ſcriptores, videlicet Franciſcum M. Zanottium, Caſtum Inn. Anſaldum, Pium Thomam Schiara excitavit bellum; quo factum eſt, ut in unum collecti libelli hinc inde elucubrati in vulgus prodirent iſthoc indice: Raccolta di trattati di diverſi Autori concernenti alla Religion Naturale, ed alla Morale Filoſofia de' Criſtiani, e degli Stoici. Nicolaus Ghezzius typis conſignavit opus: De' principj della Morale Filoſofia riſcontrati co' principj della Cattolica Religione; & Eques Comes Carolus, particularem Ethices partem illuſtravit in opere, cui titulum fecit: Elementi di Morale per ciò che riguarda all' eſercizio di eſſa nell' adempimento de' doveri dell' uomo.

X. *Juris naturæ, & gentium illuſtratores*. Huc etiam ſpectat ſtudium juris naturæ, quod mere crepant belluli, ac feſtivi ſaperdæ, qui ſeverum ſupercilium induti nihil frequentius, & honorificentius pronuntiant, & commemorant, quam Grotios, Seldenos, Hobbeſios, Cumberlandos, Puffendorfios, Thomaſios, Budæos, Wolfios, Heineccios, & ſi qui

ſunt

ſunt alii ex aquilone profecti ad jus naturæ illuſtrandum. Verum ne ſciṭuli noſtri frugibus, quas domi habent, neglectis, glandes in tranſalpinis libris inquirant, in quibus & errores, & hæreſes, & impietates ipſis quidem Paganis inauditæ ad ſingulos pæne verſus offenduntur, legant S. Thomæ Aquinatis quæſtiones de hominum Officiis, de Legibus, de Juſtitia, & Jure, quæ ſane omnibus præſtant lucubrationibus, quas de jure naturæ & gentium evulgarunt Thomaſius, Puffendorfius, & alii; evolvant Franciſci Victoriæ Relectiones de bello, de poteſtate civili, & de naturæ jure; Franciſci Suareſii præclarum de legibus volumen; Soti, Leſſii, Banneſii, Molinæ, Vaſqueſii de juſtitia, & jure ſcriptiones; Chryſoſtomi Javelli de homine, de cive, & de cive Chriſtiano libros mira eruditione refertos. Ceterum ne fucum faciant tranſalpini homines, vel ſpecioſis librorum inſcriptionibus, vel ornata, elegantique oratione (quam quidem perpauci aquilonares in ſuis lucubrationibus uſurpant) ſciant nihil plane ſanum, vel bonum in eorum operibus contineri, quod ex noſtris Scholaſticis non ſurripuerint; legeſis ex. gr. Puffendorfium de homine, & cive, & nihil boni deprehendes, quod in ſubſellii infimi Scholaſtico quovis non invenias. Quo circa ea, quæ Grotius ipſe in Scholaſticorum laudem tradidit in proleg. de jur. B. & P. exſcribere abs re eſſe haud puto „ Ubi in re morum conſentiant, ait, vix eſt ut errent: quippe perſpicaces admodum ad ea vitanda, quæ in aliorum dictis reprehendi poſſunt. In quo ipſo tamen diverſa tuendi ſtudio, laudabile præbent modeſtiæ exemplum rationibus inter ſe certantes, non qui mos nuper adeo inquinare cœpit, conviciis turpi fœtu impotentis animi „. Hinc in ſuo opere S. Thomæ, Cajetani, Victoriæ, aliorumque auctoritates pro re nata afferre eum minime pudet, quod Grotio Puffendorfius, Budæus, Barbeyracus, aliique vitio immerito vertunt. Opus P. Finetti de jure naturali dignum quoque eſt, quod legatur. Interim conſulatur tom. VI. Theol. Chriſt.

F. Dan.

F. Dan. Concina, & doctiſſ. P. Deſingus Benedictinus in de jure naturæ, ubi, miſſis aliis, quæ ibi bono in lumine collocantur, ait „ Quidquid boni principii, ac regularum habent heterodoxi in jure naturæ, illud omne hauſerunt ex doctoribus Catholicis, ſine quibus in hodiernum diem nihil ſcirent„. Quod in toto opere luculenter oſtendit. Ab jure naturæ parum (ratione ortis ſui, quippe quod a lumine naturali profectum eſt, quotidiana experientia, nec non humanæ naturæ imbecillitate) abludit jus gentium; nam illud docet, quæ Deo, quæ nobiſmet, & quæ aliis debemus; hoc vero tradit, quæ populi, gentes, & reges naturali lumine, diuturna experientia, & conſuetudine ducti ſibi ſanxerunt. Quo de non modo plura apud veteres reperiuntur, ſed etiam apud recentes auctores, qui ex inſtituto id rei verſarunt. Octo libri Politicorum Ariſtotelis, Xenophontis Reſpublica, Plutarchi plura huc ſpectant. Menochii, & Boſſuetii Politica ex Scripturis excerpta mirificam lucem huic juri gentium adſpergit. Ann. 1757. cl. Damianus Romanus JC. Neapolitanus librum evulgavit ita præſcriptum: Del vero diritto della natura, e delle genti, e de' mezzi, che ci conducono alla più facile cognizione di eſſo„. in quo erudite, ac docte, uti ſolet, negotium verſat, & pro re nata Bodinos, Grotios, Puffendorfios, Heineccios, alioſque Proteſtantes homines refellit. Joannes Baptiſta Almicius Brixianus expurgandum, augendum, & illuſtrandum ſuſcepit opus, de jure naturæ & gentium Samuelis Puffendorfii; ac reipſa illum ſplendorem ei adjecit, quem primus ejus parens minime dederat, eaſque tenebras, quum errorum innumerorum, tum obſcuritatis, quas ſuo operi offuderat Puffendorfius, fugavit Almicius. Quamquam id conſilii minime nonnullis arriſerit, & propter honorem, quo Catholicus homo virum Proteſtantem afficiat, & propter ingentem errorum colluviem, quo ut Augiæ ſtabulum expurgari minime queat: en operis indicem: Il dritto della natura, e delle genti, o ſia ſiſtema generale de' principj li più importanti

di

di Morale, Giuriſprudenza, e Politica di Sam. Barone di Puff. rettificato, accreſciuto, e illuſtrato &c:„. Huc etiam ſpectare videtur opus a cl. Damiano Romano conſcriptum „ Della Morale de' SS. Padri utiliſſima per la ſcienza del gius della natura, e delle genti, e perciò vindicato dalla critica ingiuſta, che ne han fatta tre moderni ſcrittori „ & Neapoli editum ann. 1756.

XI. *De jure Civili ſcriptores*. Proximum eſt, ut de jure civili agamus; id generis jus non eſt cunctis hominibus commune, ſed unius Reipublicæ, Regni, Civitatis, Populi &c. proprium. At quum in tota pæne Europa, quum legibus Romanis, tum propriis gubernemur, oportet utrumque ſtudium copulare. Incredibilis ſcriptorum multitudo, Romanis legibus illuſtrandis operam ſtudiumque navarunt, quorum criticam veluti hiſtoriam exhibuit immortalis memoriæ vir Joſephus Aurelius de Januario in celeberrima Republica Juriſconſultorum, quam qui ſemel legendam in manus ſumſerit, nunquam ponere vellet, ita allicit, abripitque lectorem. Ad jus proprium quod ſpectat pragmaticas, conſtitutiones, leges &c. regni addiſcere opus eſt. Inſtitutiones Imperiales municipali Neapolitanorum juri accommodatas in tres tomos diſtributas in lucem emittere aggreſſus eſt Bernardus de Ferrante optimæ ſpei juvenis, & ſupra ætatem doctus, in Neapolitano lycæo extra ordinem juris profeſſor ann. 1754. in quo volumen 1. Romani, & Neapolitani juris hiſtoriam exhibens typis conſignavit. D. Orontius Figherà Inſtitutiones Juris Neapolitani duobus tomis contentas paucis abhinc annis edidit; idemque prolixius copioſiuſque Franc. Rapolla præſtitit.

XII. *Auctores, qui Inſtitutiones Canonicas adornarunt, recenſentur*. Juri Civili jus Canonicum ſuccedat, quod leges ab Eccleſia latas, quibus Chriſtiani univerſi adſtringuntur, complectitur. Infinitus forem, ſi eorum dumtaxat nomina adnumerare vellem, qui hujuſmodi Juris Canonici Inſtitutiones in tironum commodum evulgarunt. Quorum nonnullos

ante-

antequam laudem, operæ pretium duco, quoſdam perutiles libros commendare ad id negotii attinentes. Ac primum ſciendum eſt Laurentium Vannuchium J. C. in quadam oratione Liburni edita ann. 1757. de præcipuis ad jus Canonicum comparandum præſidiis loquutum eſſe; & Jo. Baptiſtam Epiſcopum Feltrenſem conſcripſiſſe Inſtitutiones Juris Canonici, in quibus perſpicue, eruditeque quid ſit jus Canonicum, quæ ejus partes, quinam fontes, & quæ collectiones ſint, explanat; & P. Joſephum Binetium in Cæſareo Leopoldina univerſitate SS. Canonum profeſſorem compilaſſe opus inſcriptum: Apparatus eruditionis ad juriſprudentiam præſertim Eccleſiaſticam &c. in quo jus naturæ, gentium, divinum, apoſtolicum, & pontificium, jus ſynodale, œcumenicum, nationale, & provinciale &c. delineatur. Venetiis recuſum ann. 1754. & Carolum Sebaſtianum Berardum presbyterum Unelienſem prementem veſtigia S. Antonini, Bellarmini, Joannis Quinctiani, Antonii Demochara, Antonii Contii, Antonii Auguſtini, aliorumque plurium, qui ingentes labores in Gratiani emendatione exantlarunt, librum edidiſſe Taurini ann. 1757. ita inſcriptum: Gratiani Canones genuini ab apocryphis diſcreti, corrupti ad emendatiorem codicum fidem exacti, difficiliores commoda interpretatione illuſtrati opera, & ſtudio &c. P. F. Lucium Ferrariſium ord. min. reg. obſervant. S. Franciſci Promtam Bibliothecam Canonicam, Juridicam, Moralem, Theologicam &c. pluribus voluminibus contentam edidiſſe, quæ & pluries recuſa eſt, ut quæ apprime utilis, ac proficua deprehenſa ſit. Atque ut ad Inſtitutiones Juris Canonici gradum faciam, miſſis Paullo Lancellotto, Antonio Cuccho, Franciſco de Roye, Joanne Cabaſſutio, Claudio Fleuryo, Franciſco Maria Gaſparro, Dominico Auliſio, aliiſque; ad recentiſſimos ejuſmodi elementorum ſcriptores veniam; atque agmen ducat P. Franciſcus Schmierius Benedictinus, qui librum ſuum ita nuncupavit: Juriſprudentia Canonico-Civilis, ſeu jus Canonicum univerſum juxta v. libros

bros Decretalium nova & facili methodo explanatum SS. Congregationum decretis, S. Rotæ deciſionibus, ſummorumque Pontificum Conſtitutionibus roboratum, nec non ampliſſima totius juris Civilis peritia pro theoria & praxi locupletatum, in duos tomos diſtributum, duobus tomis ſ. Venetiis recuſum ann. 1754. J. Vincentius Gravina, Petrus Antonius Daniel Romanus, & P. Remigius Maſchatius a S. Eraſmo Canonicas Inſtitutiones dederunt plauſu magno ubique exceptas. Et ne quod domi habeo, foris quærere videar, præter Carolum Gagliardum, qui plures Canonici juris partes illuſtravit, Julius Laurentius Selvaggius preſſiores, Dominicus Cavallarius paullo fuſiores Canonicas Inſtitutiones typis Neapolitanis conſignarunt; quæ quum rerum ordine, ſelectaque eruditione, tum orationis elegantia & perſpicuitate cuique ſe maximopere commendanr.

XIII. *Quid, & quotuplex ſit Theologia.* Reliquum eſt, ut quædam ad ſcientiarum omnium principem ſpectantia delibemus, cui ſcilicet reliquæ omnes famulantur, & in qua eccleſiaſticus homo, in cujus potiſſimum gratiam elementa iſthæc, qualiacumque ea ſint, elucubravi, dies noctesque verſetur oportet. Univerſi, ut opinor, me de Theologia loqui probe norunt. Ipſa ſi verbum verbo reddere velis, ſermo de Deo eſt: at enucleatius, & fuſius eam finire opus eſt. Theologia igitur eſt ſcientia, quæ in Dei, & rerum, quæ ad Deum quoquo modo pertinent, contemplatione conſiſtit. Vulgo dividitur in naturalem, & ſupernaturalem: ſupernaturalis in beatam, infuſam, & acquiſitam: acquiſita in poſitivam ſive dogmaticam, & ſcholaſticam: & iſthæc utraque in polemicam, moralem, & miſticam. Paucis vocabula hæc enucleare decet. Naturalis Theologia ea vocitatur, quæ naturali lumine comparatur, ut illa eſt, quæ Metaphyſicæ partem conſtituit. Supernaturalis ea dicitur, quæ ſupernaturali lumine acquiritur; id vero lumen, vel eſt gloriæ lumen, vel in nos infunditur, vel per fidem, & ratiocinationem, vel virtualem revelationem comparatur: hinc triplex Theologia dimanat

nat beata, infuſa, & acquiſita. Beata qua ſancti in cœlis degentes pollent, quum Deum facie ad faciem intuentur. Infuſa eorum fuit, qui Spiritu divino afflati cœperunt loqui magnalia Dei. Acquiſita denique, ſive proprio ſtudio, ac labore parta, atque ratiocinans Theologia eſt ſcientia, quæ ex iis, quæ fide divina certa ſunt, hauritur; eſtque vel poſitiva, vel ſcholaſtica. Poſitiva eſt illa, quæ complexiones ſuas oſtendit per principia certa ex verbo Dei ſcripto, vel tradito, nobiſque per Eccleſiam, ut ei faſces ſubmittamus, propoſito. Scholaſtica vero ita dicta, quia in ſcholis docetur, eaſque jandiu occupavit, re eadem eſt ac poſitiva, methodo diverſa; ſubtilius, accuratius, & preſſius complexiones ſuas demonſtrat, conquiſitis undique argumentis etiam ex aliis ſcientiis, & ad artis ſyllogiſticæ formam exactis. Utraque porro poſitiva, & ſcholaſtica, ſi hominum mores ad Dei legem exigendos, & ſecundum ejus legis ſcita coercendos ſuſcipit, Moralis nuncupatur: ſi de fidei dogmatibus, vel cum Paganis, vel cum Mahumedanis, vel cum Hæreticis pugnat, ut horum errores enucleet, ac rejiciat, & dogmata Religionis noſtræ ab adverſariorum difficultatibus & objectis vindicet, Polemica vocitatur: ſi denique, quum ad ciendos cordis noſtri affectus erga ſummum bonum Deum, tum ad eos monitis, & legibus, ne extra veritatis orbitam divagentur, incumbat, Myſtica dictitatur.

XIIII. *Qui aliquas Theologiæ partes illuſtrarunt.* Jam expoſita Theologiæ natura, ac multiplici diviſione, auctores, qui vel ſingulas ejus, vel omnes partes illuſtrandas ſuſceperunt, recenſendi ſunt, id eſt P. Petavius, & P. Thomaſinius in Dogmatibus Theologicis, P. Morinus in de Sacra Ordinatione, & Pœnitentia, Juveninius in de Sacramentis, P.F.Renatus Hyacinthus Drouvenius doct. Sorb. Dominicanus in opere de re Sacramentaria contra perduelles hæreticos duobus tomis ſ. contentos cum notis, & additionibus, P. F. Jo. Vinc. Patuzzi Ven. recuſo ann. 1756. aliique Poſitivam: s.Anſelmus, Robertus Pullus,

Petrus Lombardus, Gulielmus Antiſſiodorenſis, s. Thomas Aquinas, Joannes Dunſius Scotus, aliique innumeri ſcholaſticam Theologiam pertractarunt. Hi enim in eam methodum Theologiam redegerunt, qua ad hæc uſque tempora verſata eſt. Scholaſticæ Theologiæ hiſtoriam pertexuit P. Lamyus. Polemica de Theologia ſcriptitarunt plerique clariſſimi viri, quorum anteſignanus eſt & dux Card. Bellarminus, hunc ſequuti ſunt Panigarola in Calvinicis, Fratres Walemburgici, Card. Perronius, Pighius in eorum Theologicis lucubrationibus, Becanus in Manuali, Pallavicinus in hiſtoria Conc. Tridentini, Card. Gottius in vera Chriſti Eccleſia ſignis, ac dogmatibus demonſtrata, ac latine reddita a P. Covio, Boſſuetius in hiſtoria variationum Eccl. Proteſt., aliiſque libris, P. Pichlerius in Theologia Polemica in duas partes diviſa & Venet. recuſa ann. 1749. P. Seedorfius in epiſtolis ad Federicum principem &c. P. Liborius a Jeſu in Controverſiis Scolaſtico Polemico Hiſtorico-Criticis Mediolani editis anno 1752. P. Sianda in Lexico Polemico, aliique plures. Moralis denique Theologiæ ſcriptores ſunt plane infiniti; atque in duas ſcholas Probabiliſtarum ſcilicet, & Probabilioriſtarum dividuntur. Atque iis prætermiſſis, qui ſæculo proxime præterito ea de re ſcriptitarunt; tædio maximo lectorem afficerem, ſi eorum nomina dumtaxat recenſere vellem, qui ætate hac noſtra Theologias Morales ediderunt. Probabilioriſticam Theologiam Moralem elucubrarunt P. Antonius (vulgo Antoine) Petrus Colletus, D. dela Font, P. Jac. Van-Boſſuytius, P. Concina, P. Coniliatus, P. E. Amortius (quanquam hunc media inter rigorem & laxitatem ſe incedere via contendat, ut Franc. Friſus in Inſtitutionibus Moralibus editis Petav. ann. 1751.) aliique; at plures ſunt etiam, qui Probabiliſmum amplexati Theologias Morales adornarunt, ut P. Viva, P. Mazzotta, P. Paull. Hieron. a S. Helena, qui Salmaticenſes compendifecit, eruditus juxta ac pius Epiſc. S. Agathæ Gothorum D. Alph. de Ligorio, aliique. Myſticam denique Theologiam illuſtrarunt s. Jo. a

Cru-

Cruce, s. Thereſia, s. Franciſcus Saleſius, Card. Bona, Chriſtophorus Schorer, & Petrus Jannottius Præpoſitus Cathedralis Eccleſiæ urbis Caſtelli Theologiam Myſticam in tres partes diſtributam edidit Lucæ ann. 1751. in quo opere erudite, ac religioſe nobiliſſimam ejuſmodi ſcientiam pertractavit.

XV. *Qui Theologiæ Inſtitutiones ediderunt*. Antequam porro ad eos laudandos, qui Theologiam univerſam Dogmaticam, ſive Poſitivam, Scholaſticam, Polemicam, Moralem complexi ſunt, veniam, principio indigitem oportet eos, qui Apparatus ad hanc ſcientiam elucubrarunt, vel locos Theologicos pro dignitate verſarunt; qui veluti quidam apparatus ad ſacram Theologiam ſunt. Apparatus ad Poſitivam Theologiam Petri Annati omnium manibus teritur. Tirocinium Theologicum Francolini ad id negotii attinet. P. Jo. Baptiſta Fauræus Apparatum brevem ad Theologiam, & Jus Canonicum &c. Romæ ann. 1751. typis conſignavit, & Cl. Aloyſius Ant. Verneyus Apparatum ad Philoſophiam, & Theologiam duobus tomis contentum in 8. Romæ evulgavit ann. 1751. Aureus porro liber de Locis Theologicis Melch. Cani nulli eſt obſcurus. P. Petrus Franc. Perius Abbas ord. s. Bened. congr. Vall. Umbr. in opere inſcripto: Theologiæ Dogmaticæ principia naturalia geometrica methodo expoſita, ad demonſtrandam externam fidei certitudinem, atque infallibilitatem Romanæ eccleſiæ in fide, & moribus ordinata, id eſt in tom. 11. ſex libris complexus eſt quidquid ad Sacras Scripturas, Traditiones, Concilia, Romanos Pontifices, ss. Patres, Humanam Hiſtoriam attineat. De Locis ſcripſit etiam perſpicue, & accurate Juveninius. Verum Theologos, qui univerſam Theologiam pertractarunt, quis adnumerare potis erit? Paucis dicam, Eſtium, Tournelium, Witaſſium, Boucatium, Du-Pleſſium, Habertum, Juveninium, Hermenierium, Hamelium, Chignolium, Belluartium, Charmeſium, Abellium, F. Bernardum a Bononia Capuccinum, Capaſſium, Genuenſem (quorum duum cl. virorum Theologicæ Inſtitutiones, quum poſt eo-

eorum mortem ſint typis commendatæ, poterant ne ullo Reipublicæ Litterariæ detrimento in ſcrin delitefcere, ac blattiſtineiſque corrodi, publica lu minime dignæ ex ipſorum quoque parentum, q eas in vulgus emittere neglexerunt, ſententia)] Laurentium Bertium, nec non Buzium, qui Berti num opus compendifecit, & adnotationibus, & d ſertationibus auxit; quod quidem opus tomo v. tei pore poſtremo, ſed ordine primo de Locis Theolo cis ornavit alter Theologus ex eadem familia Aug ſtinenſi; Auctorem dictionarii Theologiæ italice re diti a P. Aquila Virginiano, & notis onuſti. Q plura aveat, Du-Pinium adire poterit de ſtudio Th ologiæ. Sed jam nihil eſt reliqui, patientiſſime ctor, niſi ut receptui canam, ac tibi dicam: F utere, & vale.

FINIS.



AØL
1053402
XXIII
C
17
Digitized by Google

Digitized by Google